Clifford Herschel Moore

HISTORICORVM ROMANORVM

RELLIQVIAE

DISPOSVIT RECENSVIT PRAEFATVS EST

HERMANNVS PETER

VOLVMEN PRIVS

LIPSIAE
IN AEDIBVS B. G. TEVBNERI
CIↃDCCCLXX

Peter, Hermann Wilhelm Gottlob

VETERVM

HISTORICORVM ROMANORVM

RELLIQVIAE

DISPOSVIT RECENSVIT PRAEFATVS EST

HERMANNVS PETER

LIPSIAE

IN AEDIBVS B. G. TEVBNERI

CIↃDCCCLXX

LIPSIAE: TYPIS B. G. TEVBNERI

CAROLO · PETERO
PATRI · CARISSIMO

S

Virorum doctorum usui editis recensitisque historicorum Romanorum relliquiis nondum satis prospectum esse, nemo credo negabit, qui aliquam studiorum in hac re positorum notitiam habeat. nam ex eis, quorum opera nunc fere utendum est, Augustus Krause (*Vitae et fragmenta ueterum historicorum Romanorum composuit A. K.* Berolini 1853), cum, quod critici munus esset, non satis perspiceret, ita in fragmentis conligendis et recensendis uersatus est, ut ab hac quidem parte eius opera plane inutilis sit; in scriptorum uitis et scriptis autem quamquam plus profecit, tamen etiam hic plura turbauit magis quam ordinauit et emendauit, cum non solum Pighii coniecturis et hariolationibus quasi fastorum Capitolinorum auctoritatem adtribueret sed etiam aliorum inuentis temere fidem haberet. Carolum uero Ludouicum Rothium, qua erat adsiduitate et ingenii sagacitate, praeter ceteros idoneum fuisse ad illud desiderium philologis explendum omnes mecum sciunt, eundemque acre studium posuisse in his historicis eorumque relliquiis conpluribus rebus significatum erat. et sane quaedam in eo opere, quod Gerlachii editioni Sallustii (anni 1853 p. 251—440) adnexum in publicum prodire uoluit, feliciter enucleavit: in uniuersum tamen exspectationem fefellit, idque maxime ob has res, quod et de singulorum scriptorum uitis et scriptis disputare praetermisit et earum relliquiarum, quae non ad uerbum propagatae essent, summam proposuisse satis habuit; quo factum est, ut si qua e ueteribus historicis a Graecis scriptoribus relata essent, ea aut breuiter tantum modo indicaret aut Latine redderet.

Nec ad ueteres conlectiones refugium erat. nam qui ante Krausium et Rothium post A. Riccobonum (*de historia cum fragm. hist. Lat.* Venet. 1568), A. Augustinum (*collect. fragm. hist. cum emend. Fuluii Vrsini* Antuerp. 1595), Ausonium Popmam (*fragm. histor. uet. Latin.* Amstelod. 1620)

has relliquias ediderunt, Wasse (1710), Corte (1724), Haverkamp (1742), Frotscher (1828), cum illas Sallustii libris subiungerent, hoc quasi parergon esse arbitrati uix quidquam aliud quam fragmenta, quae a Popma conlecta erant, hic illic correcta, spretis tamen eius scholiis haud inutilibus in meliorem ordinem redegerunt.

Sed omnium eorum, de quibus adhuc egi, opera sese continebat intra liberae rei publicae historicos, eorum uero, qui libertate rei p. Romanae euersa historiae operam nauauerunt, fragmenta a nullo umquam conlecta exstant. quam ob rem me operam non esse perditurum sperabam, si ueterum historicorum relliquias denuo disponerem et recenserem atque quae de eorum uitis et scriptis inuenire possem, conponerem, inferiorum autem ipse primus conligerem atque eadem ratione qua superiorum recenserem et praefarer.

Cum autem hoc opus incohassem ubi ex largis et uberibus fontibus haurirem, postea a maioribus bibliothecarum thesauris remotus et ad aridiora loca delatus pleraque, quae antea excerpseram et conlegeram, digessi et ea scripsi, quae nunc typis excusa habes. qua quidem in re quamquam sumptibus non parcens multos libros ipse conparaui, alios per muneris scholastici ferias ampliores librorum copias adiens perlegi aut inspexi, tamen facile concedo fieri potuisse, ut alios libros, non ita, ut par esset et ipse cuperem propter temporis ad usum concessi breuitatem totos in usum meum conuerterem, alii, etsi perpaucos eos esse spero, omnino cognitionem meam fugerent. caue autem ne omnes, quorum a me non esse mentionem factam inueneris, omnino me ignorasse concludas. nolui enim librorum citatorum molem, quae uel sic satis magna est, inutilium testium inscriptionibus exaggerare; uelut in primis sciens neglexi Martini Hankii libros *de Romanarum rerum scriptoribus* (2 uoll. Lips. 1669. 1674), qui cum G. I. Vossii libro de historicis Latinis iam edito (1627) scriberet, tamen nec opes ab hoc summa cum sedulitate et industria congestas recte adhibuit nec iudicio eum aequauit atque multos errores, quos ille iam expulerat, denuo in litterarum historiam inuexit. nam, ut hoc unum moneam, duos libros, quos Ioannes Annius Viterbensis, unum *de aureo saeculo seu Italiae rebus ante Romam conditam*, alterum *de Romae*

urbis origine inscribens, finxerat atque sub Fabii Pictoris nomine Romae ediderat, quamuis iam cum multi tum Vossius eam fraudem perspexissent, tamquam incorruptae antiquitatis testibus usus est: id quod satis erit ad ingenii eius aciem, quam hebes et obtusa fuerit, demonstrandam, nec huius testimonia desiderabis, immo mihi gratiam habebis, quod talium librorum atque eorum, in quibus nil noui repperi, inscriptiones in scriniis meis delitescere uolui.

In fragmentis autem conquirendis summam curam posui, sed nihilo minus eorum numerum, quae adhuc edebantur, me minuisse potius fateor quam auxisse. perpauca enim ipse addidi, plura autem, cum aut uirorum quorundam doctorum errori aut falsariorum fraudi deberentur, eieci. de illorum maxima parte in eis, quae de uitis et scriptis singulorum historicorum praefatus sum, disputaui et, quo iure ea in relliquiis conponendis spreuerim, ostendi. praeterea nunc semel moneo, me nec Fabii Planciadis Fulgentii *de abstrusis sermonibus* libri nec Aurelii Victoris, qui dicitur, *de origine gentis Romanae* rationem habuisse. neque enim dubito, quin de Fulgentio Laurentius Lersch (in Fulgent. edit. Bonn. 1844) cum fictis antiquorum auctorum exemplis 'illum librum ornatum esse demonstraret, uerum uiderit; de altero autem libro idem, cum iam alii coniecissent, Henricus Iordan tam certis argumentis nuper *(über das Buch origo gentis Romanae* in Herm. uol. III p. 389—428) euicit, ut, quod antea proposueram peculiariter de hac fraude agere, nunc supersedere posse mihi uidear.

Sed recepi in ipsas relliquias (uno fragmento 12. Claudii Quadrigarii, de quo in adnotatione egi, excepto) ea tantum modo fragmenta, quae auctoris nomine adposito ad nos peruenerunt, atque de ceteris, quae cum probabilitate quadam coniecturis ad quosdam scriptores referri uidebantur, in praefationibus disputaui. Tum, si qua fragmenta binis pluribusue locis tradita essent, si ad uerbum ex suis scriptoribus deprompta essent, unum locum in contextu posui, alterum in adnotatione breuiter indicaui, cum uerborum discrepantias in commentario critico recenserem; sin bini scriptores ueterum historicorum sententias, non uerba repraesentare studuissent, etiam alterum locum totum in adnotationem transtuli, ut ex

utriusque loci consensu, quae fuissent ipsius scriptoris propria, intellegi posset. Etiam quas res a conpluribus scriptòribus deinceps enumeratis scriptas fuisse traditum est, eas, nisi nimis amplae uiderentur, in unius cuiusque relliquiis repetii, ut omnes uno conspectu haberes. adparatum autem criticum et si qua adnotanda erant, uetustissimo cuique historico, quem a ceteris exscriptum esse ueri simile esset, plerumque adieci, quamquam non ignorabam, ab ipso scriptore, cui illas relliquias debemus, ex illis historicis recentissimum quemque usurpatum esse.

Tum receptorum fragmentorum eum ordinem institui, ut ea, quae ad certam aliquam rem referri possent, siue additis librorum numeris siue non additis decerpta erant, ceteris eiusdem libri praeponerem, ea tamen, quae numero libri carerent, asterisco adposito distinguerem. deinde cetera ita ordinaui, ut primis locis conlocarem quae ab antiquioribus scriptoribus seruata essent, aut, si multa eiusdem historici ab eodem (uelut Sisennae a Nonio), similes res cum similibus coniungerem. a quo consilio profectus cum primo, ne praeoccupato animo essem, solo meo iudicio usus relliquias disposuissem, postea in multis me ad eundem ordinem peruenisse animaduerti ac Rothium.

Haud exigui uero operis erat relliquias ad optimos libros manu scriptos recensere et, si fieri posset, emendare, in qua quidem re, etsi Roth haud infeliciter quaedam temptauit, nemo adhuc uia et ratione ingressus erat. itaque eis fragmentis, quae ad uerbum ad nos propagata essent, ex praestantissimis quibusque editionibus, quas infra uno conspectu coniunctas inuenies, omnem adparatum criticum adscripsi et, si quorum scriptorum ut Gellii, Seruii, Varronis adparatus, quem conlectum esse scirem a uiris doctis, nondum publici iuris factus esset, illos precibus adii, ut mihi utendum eum commodarent, atque in ea re omnium summam humanitatem et beneuolentiam expertus sum. quatenus tamen ad eas relliquias, quae non uerborum sed rerum studio debentur, codicum discrepantias adnotarem, diu dubitans haesitaui; uerebar enim, si, quae mihi potiores uiderentur, adscriberem, ne omitterem, quae aliis maioris pretii esse uiderentur, ut ipsas editiones reuoluere cogerentur, quod uel maxime in opere meo uitare

studui; contra non ignorabam, me sic facile in nimiae diligentiae crimen incurrere posse. sed malui legentium otio quam chartae et typothetis parcere atque etiam haec fragmenta omnibus discrepantiis — exceptis hic quidem orthographicis — instruxi.

Deinde in adnotatione conficienda haec potissimum nobis proposita fuerunt, ut et eos locos, quibus eadem uerba, quae in contextu habes, auctore omisso adhibita esse uiderentur, exscriberem — facilius enim sic ipsorum ueterum scriptorum manum agnosces — et, si qua fragmenta tenore neglecto ex narratione auulsa essent, ex aliis scriptoribus orationis tenorem adderem, ad quem illa pertinere uiderentur, qua opera haud pauca fragmenta, quae antea eis, qui historiae student, nulli usui erant, historiae testimonia a me facta esse spero. Praeterea Ribbecki, Vahleni, Iordani exempla secutus in hanc adnotationem etiam eorum uerborum singularium, propter quae fragmenta quaedam grammatici uel lexicographi libris suis inseruerunt, explicationem, qualis ab illis proposita erat, receperam. postea tamen cum intellexissem, legentium et animos et oculos tam uariis rebus distractos nimis turbari, seposuimus illam lemmatum explicationem in indicem uerborum, ubi uerbis illis singularibus, quae scriptores explicandi causa scripserint, translata reperies.

Denique adieci indices. nimirum paucissimi erunt, qui hunc librum ab initio perlegant, maior erit eorum numerus, qui hic illic eum inspiciant. quorum commodis ut omni ex parte inseruirem, quinque confeci quam adcuratissime indices. primo ex litterarum ordine enumeraui eos scriptores, quorum relliquiae hoc uolumine continentur; tum in usum historicorum potissimum tabulam rerum Romanarum, quae his fragmentis memoriae traditae sunt, ex temporum ordine positarum addidi. sequitur omnium eorum uerborum index, quae in fragmentis ad uerbum seruatis exstant, et nominum propriorum rerumque memorabilium ceteris fragmentis comprehensarum. postremum ut unus quisque, si quod fragmentum nouum offendisse sibi uisus esset, nullo negotio certior fieret, num illud meam cognitionem fugisset, dedi conspectum et eorum scriptorum, quibus relliquiae a nobis receptae debentur, et eorum locorum, quos certa quadam causa inductus ex earum numero eieci.

Quoniam quod consilium in hoc libro meo conficiendo secutus sim, proposui, pergo ad rem longe gratissimam, ut summas agam gratias eis uiris doctis, qui egregie de hac qualicunque opera meriti sunt. atque primum quidem MARTINVS HERTZ pro eximia qua fouet aliorum studia beneuolentia RUDOLPHVM PEIPERVM amicum ex thesauris Gellianis depromere passus est, quae ad fragmenta a Gellio seruata adnotauerat, tum GEORGIVS THILO, cuius liberalitatem iam alii mecum experti sunt, ex larga copia librorum manu scriptorum, quos ad Seruium conquisiuit, ipse exscripsit, quibus locis Lionis contextus a libris suis dissentiret, CAROLVS ZANGEMEISTER mecum communicauit Orosii codicis omnium praestantissimi discrepantias eorum locorum, qui ad hunc librum pertinebant, idemque de Varronis codice Florentino debeo AVGVSTI WILMANNSII amicitiae. tum ut etiam Nonii adparatum aliqua ex parte augerem, factum est benignitate BETHMANNI, qui codicem Nonii Wolfenbuttelanum, et uiri doctissimi DU RIEU, qui duos codices eiusdem Nonii Leidenses a me rogatus liberalissime Lugduno Batauorum huc transmisit. denique per totum tempus, cum huic libro operam darem, me adiuuit et consilio et re PATER CARISSIMVS, plagas autem corrigendi molestias grauissimas mecum susceperunt EDVARDVS RASMVS et ERNESTVS DROYSEN. quibus uiris ex animi mei sententia cupio et opto, ut in libro haud indigno opera consumpta esse uideatur.

Francofurti ad Viadrum mense Octobri a. CIↃDCCCLXX.

Adnectam breuem earum editionum conspectum, quibus ad plura fragmenta recensenda usus sum, nam ceteras suo quamque loco indicaui, in qua re me optimis quibusque subsidiis usum esse ipse animaduertes. sunt igitur illae haece:

Appiani edit. Schweighaeuseri (1785) et I. Bekkeri (1852).

Arnobii ed. Orelli (1816), Hildebrandi (1844), Oehleri (1846), apud quos optimi libri Parisini scripturae diligenter adnotatae sunt.

Asconii ed. Baiteri (1833).

Censorini ed. O. Jahni (1845), a quo adiectas optimorum librorum discrepantias (Darmstad. et Vatic.) postea contuli cum eis, quas Hultsch in editione sua publici iuris fecit.

Charisii ed. H. Keilii.

Ciceronis ed. altera Orelli. hic illic inspexi etiam Kayseri adcuratissimam editionem.

Diomedis ed. H. Keilii.

Dionysii Halicarnasensis ed. Reiskii (1774) et Kiesslingii. eo adparatu critico contentus fui, quem in praefationibus adtulit Kiessling. potiores enim discrepantias ille se adtulisse adfirmauit, minutas in hoc quidem scriptore Graeco cumulare mihi operae pretium non est uisum.

Festi ed. C. O. Muelleri. adieci ea codicis Farnesiani scripturarum supplementa, quae edidit H. Keil in mus. Rhen. n. VI p. 618 sqq.

Frontini strategematum ed. Oudendorpii (1779), ex qua scripturarum discrepantias sumpsi, et Dederichii (1855).

Frontonis ed. Naber.

Gellii ed. Gronouiana, Lionis, Hertzii. quae cum ad id quod proposueram, non sufficerent, horum librorum mss., de quibus uide editionem eius praefat. I p. IIII sq., discrepantias mihi suppeditauit M. Hertz:

ad libros I—VII	
libri rescripti Vaticani, a nobis significati	A
— Vaticani n. 3452	V
— Parisini regii n. 5765	P
— Rottendorfiani (cod. bibl. acad. Lugd. Bat. Gronou. 21)	R
— Buslidiani	β
— librorum aliquot recentiorum significatorum	ς
ad libros VIIII—XX	
libri Parisini regii a nobis significati	R
— Vossiani maioris F. 7	L
— Bernensis (404)	B
tum libri Petauiani (Vatic. 1646)	p
— Vossiani minoris	φ
— Paris. bibl. S. Germanensis 643	g
— Magliabecchiani 329	m
— Vaticani bibl. regin.	o
— Vaticani n. 3452	a

Isidori originum ed. Ottonis et Areualis.

Livii ed. Drakenborchii, Alschefskii, Weissenbornii, Hertzii, Maduigii, aliorum. Codicum scripturas debemus ad libros I—X (Medicei bibl. Laurent. LXIII 19, libri omnium optimi, Vormatiensis Beati Rhenani, qui est Medicei simillimus, Parisini, olim Colbertini, n. 5725, tum librorum deterioris notae, qui tamen non omnino neglegi possint, Harleiani primi, Leidensis prioris, Florentini S. Marci) Alschefskio et libri rescripti Veronensis (bibl. capit. n. 40), qui continet l. III c. 6—VI c. 7 et ex codice archetypo recensionis Nicomachianae descriptus est, Theodoro Mommseno, qui nuper hunc codicem diligentissime et descripsit et edidit. Tertiae decadis liber primarius est codex Puteaneus, cuius discrepantias lib. XXI—XXIII habemus apud Alschefskium. librorum ceterorum, quos contulit partim E. Miller, partim G. Becker,

in editionibus Weissenborni Weidmanniana. ubi interciderunt quaedam huius libri folia, in subsidium uocandi erant lib. XXI c. 1—c. 20, 8; c. 21, 13—c. 29, 6; c. 30, 11—c. 41, 14 Mediceus LXIII 20 et Colbertinus (Par. 5731), qui conlati exstant apud Alschefskium, lib. XXX c. 30, 14—c. 37, 3 et c. 38, 2—fin. liber Colbertinus et Bambergensis, quorum discrepantias edidit Kreyssig (*T. Liuii ab urbe condita lib. XXXIII.* 1839). Quarta decas emendata est maxime ope codicis Moguntini, quem Maduig, et Bambergensis, quem Weissenborn pluris aestimat. ex his prior continebat lib. XXXIII c. 17 med. — fin. XXXX, nunc autem desideratur, ut refugiendum sit ad exempla Moguntinum a. 1519 et Basileense a. 1535, quae secundum eum edita sunt. quae de huius scripturis constabant et quas ex cod. Bambergensi scripturas diligenter enotauerat, libri XXXIII editioni adiecit Kreyssig. librorum recentiorum notitia debetur Drakenborchio, ex quibus selecta quaedam recepi. Denique libri XXXXI—XXXXV debentur uni codici Laurishamiensi nunc Vindobonensi, cuius nunc tres collationes typis excusae sunt, una Kopitari in Weissenborni ed. Weidmanniana, altera Vahleni apud Hertzium, tertia Maduigii in ipsius editione. eas religiose adhibui et si quibus in rebus dissentire uideram, dissensum in commentario critico adnotaui.

Ioannis Lydi ed. Bekkeri.

Macrobii ed. Eyssenhardti.

Ioannis Malalae ed. L. Dindorfii.

Minucii Felicis ed. C. Halmii.

Nonii ed. Mercerii et Gerlachii Rothiique. horum adparatum criticum diligenter transtuli, itemque quaedam ex Harleiano codice ad Catonis fragmenta ex Iordani editione, quae in eius usum excerpserat E. Bondius; praeterea ipse adhibui:

1. codicem Laurentianum (a nobis significatum F), plut. 48, 1, cuius libri tres priores saec. XI, ceteri saec. XV esse exarati uidentur, ex quo multas scripturas a. 1863, cum Florentiae degerem, ipse excerpsi.
2. cod. Leidensem Voss. 73 saec. XI (quo etiam Gerlach usus est = L.)
3. cod. Leidensem Voss. 116 saec. XII, qui quod in prioribus libris pauca tantum modo exempla praebet, maximo opere dolendum est. = V.
4. cod. Wolfenbuttelanum Gudianum n. 96 saec. XI = W.

Orosii ed. Hauercampi, sed adcuratiorem codicis Laurentiani (plutei 65, 1 saec. VI—VIII) notitiam itemque aliquot cod. recentiorum debeo C. Zangemeistero, tum ipse contuli cod. Portensem saec. X, Rehdigeranum eiusdem fere saeculi Rud. Peiper.

Plinii n. h. ed. Silligii, Iani, Detlefseni. adparatum criticum ad ea fragmenta, quae in libris I—XXII exstabant, ex Silligii et Detlefseni libris inter se conparatis sumpsi, ita tamen, ut magis hunc sequerer; de ceteris libris, ubi Detlefsen deficiebat, solo Sillígio acquiescendum erat.

Plutarchi uitarum ed. maior Sintenisi (1839), adhibita tamen etiam altera eiusdem uiri docti ed. Teubneriana. moralium quae uocantur praesto mihi erat editio Didotiana.

Polybii ed. Bekkeri, L. Dindorfii, Hultschii, ex qua uarietatem scripturae sumpsi.

Prisciani ed. Hertzi.

Probi ed. H. Keilii.

Senecae philosophi Fickerti et Fr. Haasii.

Seruii ed. Masuicii et Lionis. praeterea mihi suppeditauit G. Thilo librorum manu scriptorum discrepantias, quae adhuc omnino desiderabantur. scholia Bernensia Vergilii transscripsi cum uarietate codicis ex edit. H. Hageni, Veronensia ex H. Keilii.

Solini ed. Th. Mommseni.

Strabonis ed. maior Krameri et Meinekii.

Suidae ed. Bernhardyi.

Syncelli ed. G. Dindorfii.

Tertulliani ed. maior Oehleri.

Valerii Maximi ed. Halmii.

Varronis de lingua latina ed. Spengelii. sed codicis Florentini adcuratam notitiam debeo Augusto Wilmannsio; libri de re rustica editionem adhibui Gesneri, sed codicum Politiani scripturas sumpsi, quoad fieri potuit, ex Iordani Catone, qui eas ab H. Keilio acceperat, cuius auctoritatem malui adscribere quam Gesneri, in cuius editione magnam partem eaedem discrepantiae inueniuntur.

Velleii praeter Kritzium et Haasium edit. Orelli, qui libri Amerbachiensis scripturas adtulit.

PROLEGOMENON

CAPITA QVATTVOR

I

DE ANNALIBVS MAXIMIS

Historiae Romanae primordia repeti solent a pontificis maximi annalibus uel annalibus maximis, de quibus duo habemus inlustria testimonia, unum Ciceronis (de orat. II 12, 52), alterum Seruii (ad Verg. Aen. I 373), ita conparata, ut egregie alterum altero aut suppleatur aut corrigatur. ille enim Antonium de historia Romana sic disserentem facit: *Erat enim historia nihil aliud nisi annalium confectio; cuius rei memoriaeque publicae retinendae causa ab initio rerum Romanarum usque ad P. Mucium, pontificem maximum, res omnes singulorum annorum mandabat litteris pontifex maximus efferebatque in album et proponebat tabulam domi, potestas ut esset populo cognoscendi; i qui etiam nunc a n n a l e s m a x i m i nominantur. hanc similitudinem scribendi multi secuti sunt, qui sine ullis ornamentis monumenta solum temporum, hominum, locorum gestarumque rerum reliquerunt.* Seruii uerba haec sunt: *Ita autem annales conficiebantur: tabulam dealbatam quotannis pontifex maximus habuit, in qua praescriptis consulum nominibus et aliorum magistratuum digna memoratu notare consueuerat domi militiaeque terra marique gesta per singulos dies, cuius diligentiae annuos commentarios in octoginta libros ueteres retulerunt eosque a pontificibus maximis, a quibus fiebant, annales maximos appellarunt.*[1])

[1]) Cf. etiam Macrob. III 2, 17: *Pontificem Aenean uel ex nomine referendorum laborum eius ostendit. pontificibus enim permissa est potestas memoriam rerum gestarum in tabulas conferendi et hos annales appellabant equidem maximos quasi a pontificibus maximis factos, unde ex persona Aeneae ait:*

Et uacat annales tantorum audire laborum.

quae uerba sunt hausta ex eodem fonte ex quo Seruii. primum enim idem Vergilii uersus adfertur a Macrobio, ad quem illa de annalibus

Hinc igitur de annalibus maximis disputantibus nobis proficiscendum est. antea tamen, ut omnis arceatur confusio aliorumque de illis errores tacite corrigantur, pauca explicanda esse mihi uidentur de ceteris eiusdem pontificum collegii scriptis. erant haece:[1])

1. libri pontificum siue pontificales siue pontificii, in quibus inerant et praescripta de sacris publice priuatimue faciendis et ius diuinum pontificiumque. exempla pauca ex eis seruata lubet ponere, ex quibus quae eorum fuerit indoles, facillime perspiciatur: Fest. s. u. opima p. 189: *Testimonio esse libros pontificum, in quibus sit: Pro primis spoliis boue, pro secundis suouetaurilibus, pro tertiis agno publice fieri debere.* Seru. georg. I 272: *Quoniam cautum in libris sacris est, feriis denicalibus aquam in pratum ducere nisi legitimam non licet. — sane quae feriae, a quo genere hominum uel quibus diebus obseruentur uel quae festis diebus fieri permissa sint, si quis scire desiderat, libros pontificales legat.* Seru. Aen. XII 603: *Cautum fuerat in pontificalibus libris, ut qui laqueo uitam finisset, insepultus abiceretur.* Horum librorum pars quaedam, qua et nomina deorum

---

maximis adnotauit Seruius, tum, quae de Aeneae pontificatu nugatur Macrobius, cognationem quandam habent cum eis quae u. s. l. adnexuit Seruius: *unde quidam ideo dictum ab Aenea annales aiunt, quod et ipse religiosus sit et a poeta tum pontifex inducatur.*

De annalibus maximis egerunt peculiaribus libris I. G. Hullemann *disputatio critica de annalibus maximis.* Amstelodami 1855 (de qua recte iudicauit K. Niemeyer in *Zeitschr. f. Gymnasialw.* XII 1858 p. 423—428) et E. Huebner, *die annales maximi der Römer* in Iahn. annal. LXXVIIII (1859) p. 401—423. praeterea plurimi alii occasione oblata plus minusue copiose, ex quo numero nunc satis est nominasse Beckerum in enchir. ant. Rom. I p. 7—11, Schweglerum, hist. Rom. I p. 7—12, Zellium, *über die Zeitungen der alten Römer* in *Lerienschr. N. F.* I p. 14—18, Clericum, *des journaux chez les Romains* p. 344—373. ego in tanta testimoniorum inopia, tanta opinationum et coniecturarum abundantia certissima quaeque malui proponere quam haerere in multorum inuentis refutandis, praesertim cum iam ab Hullemanno et Huebnero maximam partem expulsa sint.

[1]) Secutus sum in plerisque rebus Schweglerum h. R. I p. 31 sqq., quocum fere consentit Hullemann p. 10 sqq. cf. Becker a. R. I p. 11 sqq. Rein in *Pauly Realencycl.* V p. 1889 sq. Luebbert *quaestt. pontif.* p. 80 sqq. Mommsen in *Berichte der sächs. Gesellsch. d. Wiss. phil. hist. Kl.* 1853 p. 133 sq.

et rationes ipsorum nominum continebantur, indigitamenta fuerunt. quod enim Seruius ad Vergilii uerba georg. I 21 *studium quibus arua tueri* haec adnotauit *Nomina haec numinum in indigitamentis inueniuntur, i. e. in libris pontificalibus, qui et nomina deorum et rationes ipsorum nominum continent, quae etiam Varro dicit. nam, ut supra diximus, nomina numinibus ex officiis constat imposita, uerbi causa ut ab occatione deus Occator dicatur, a sarritione deus Sarritor, a stercoratione Sterculinius, a satione Sator,* parum adcurate Varronis sententiam expressisse uidetur. nam in libris pontificiis praeter 'deorum nomina et deorum ipsorum rationes' multa alia scripta fuisse uel ex eis quae supra adtuli exemplis satis adparet.[1])

2. commentarii pontificum, qui responsa et decreta pontificum in usum conlegarum conlecta conprehendebant.[2]) quod quasi promptuarium quoddam apud Romanos exemplorum studiosissimos utilissimum habebatur.[3]) cf. Cic. Brut. 14, 55: *Possumus — suspicari disertum — Ti. Coruncanium* [quem pontificem maximum fuisse hic est memoria tenendum[4])], *quod ex pontificum commentariis longe plurimum ingenio ualuisse uideatur.* de dom. 53, 136: *Vt reuertar ad ius publicum iudicandi, quod ipsi pontifices semper non solum ad suas caerimonias sed etiam ad populi iussa accommodauerunt: habetis in commentariis ue-*

---

[1]) Qui error nescio an inde natus sit, quod indigitamenta, quod res ferebat, primi libri pontificii fuerunt. cf. de indigitamentis I. A. Ambrosch, *über d. Religionsbücher d. Römer*. Bonn. 1843 (qui p. 38 sic indigetandi uim interpretatus est: *einen oder mehrere Götter nach einer im ius diuinum bestimmten Norm anrufen und nennen*, quam sententiam praefero Prelleri mythol. Rom. p. 119 sqq.). Ambroschium secutus est Marquardt ench. ant. Rom. IIII p. 7 sqq. 217.

[2]) Aliquot similia aliorum populorum exempla adtulit Niebuhr praelectt. ed. Isler. I p. 10.

[3]) Similiter M. Varro a Cn. Pompeio rogatus cum consulatum initurus esset, quoniam per militiae tempora senatus habendi consulendique, rerum expers urbanarum fuit, commentarium fecit isagogicum, ex quo disceret, quid facere dicereque deberet, cum senatum consuleret. Gell. XIIII 7.

[4]) Cf. Pompon. de orig. iur. 38 p. 4 Momms.: *Post hos fuit Tiberius Coruncanius, ut dixi, qui primus profiteri coepit. cuius tamen scriptum nullum exstat, sed responsa complura et memorabilia eius fuerunt,* ubi Mureti coniectura *feruntur* pro *fuerunt* ualde mihi adrisit. cf. de eo Klotz *lat. Litteraturgesch.* I p. 352.

stris C. Cassium censorem de signo Concordiae dedicando ad pontificum collegium rettulisse, eique M. Aemilium pontificem maximum pro collegio respondisse, nisi eum populus Romanus nominatim praefecisset atque eius iussu faceret, non uideri eam posse recte dedicari. Quid? cum Licinia, uirgo Vestalis, summo loco nata, sanctissimo sacerdotio praedita, T. Flaminio Q. Metello consulibus, aram et aediculam et puluinar sub saxo dedicasset, nonne eam rem ex auctoritate senatus ad hoc collegium S. Iulius praetor rettulit? cum P. Scaeuola, pontifex maximus, pro collegio respondit, quod in loco publico Licinia, Gai filia, iniussu populi dedicasset, sacrum non uiderier.[1]) Itaque, quoniam omnis pontificum ars hoc exemplorum thesauro nitebatur (Marquardt IIII p. 217), facile est intellectu, dum soli patricii ad pontificatum adi-

---

[1]) Eadem ratio intercedit inter augurum libros et conmentarios. cf. Schwegler I p. 34. — Antiquissimae partes horum pontificum scriptorum, et librorum et conmentariorum, uidentur fuisse leges regiae et conmentarii regum, ad quorum auctoritatem cum multa alia tum leges et actiones quae ex antiquitate traditae incerti auctoris essent, relatas esse existumandum est. Schwegler I p. 26 sq. Marquardt IIII p. 217. Teuffel *Roem. Litteraturg.* p. 84. hoc enim et per se est ueri simillimum et eo confirmatur, quod eadem lex de spoliis opimis a Festo (s. u. opima p. 189 secundum Varronem) et Pompilii regis dicitur et ex libris pontificum adfertur. accedit aliud testimonium quod Schwegler neglexit: posteaquam enim Liuius VI 1, 2 conmentarios pontificum incensa a Gallis urbe interiisse narrauit, § 10 haec scripsit: *Inprimis foedera ac leges — erant autem eae duodecim tabulae et quaedam regiae leges — conquiri quae conparerent iusserunt (tribuni militum). alia ex eis edita etiam in uolgus; quae autem ad sacra pertinebant, a pontificibus maxime, ut religione obstrictos haberent multitudinis animos, suppressa.* quae res non possunt inter se conciliari, nisi ita ut ex Liuii opinione in conmentariis pontificum etiam leges illas regias fuisse arbitremur. contra si leges regias ex eis, quae supra disputata sunt, in libros pontificum receptas esse concludas, hoc dico, exstare etiam alios quosdam locos, quibus conmentarii etiam librorum uim conprehendant, ut apud Plinium n. h. XVIII 14 et Ciceronem de diuin. II 18, 42 et eum auctorem quem Plutarchus Marcell. 8 in Graecum uertit (nam quam de spoliis opimis legem hic ἐν τοῖς ὑπομνήμασι Νομᾶν Πομπίλιον — μνημονεύειν narrat, eandem Varro ap. Fest. l. s. s. se ex libris pontificum hausisse profitetur). quibus locis Liuianus s. l. haud temere addi posse mihi uidetur. cf. de legibus regiis et de conmentariis regum Chr. Petersen, *de origin. hist. Rom.* Hamb. 1835, ubi quae horum librorum relliquiae ferebantur, diligenter conlectae sunt, sed quae disputata sunt de summa eorum auctoritate, prorsus displicent.

tum habebant, clausos hos conmentarios fuisse plebis oculis, id quod querentem facit C. Canuleium, tribunum plebis Liuius (IIII 3, 9).[1]) Quamquam apud Clericum (uid. Hullem. p. 7) omnes conmentariorum relliquias annalibus adiunctas et a multis uiris doctis, ut a Krausio (p. 23), Baehrio (hist. litt. Rom. II p. 1), Naegelio (*Studien* p. 271), Clossetio (*essai sur l'historiogr. d. Rom.* p. 419), conmentarios omnino confusos cum annalibus inuenies. illi tamen perpaucis locis exceptis (ut fortasse Cicer. Brut. 15, 60) semper a Romanis discrimen factum esse neglexerunt inter *conmentarios* et *annales* uel *historias*, cum numquam a conminiscendo conmentariorum uocabulum originem ducere inmemores essent. ut igitur quidam rhetores cum conmentariis in rostra escendere solebant, in quo causae agendae summa capita perscripta erant (Senec. exc. controu. prooem. 3, 6 p. 360 Bur.), ut pueri quae aliis declamantibus laudata erant, in conmentarios regerebant (Quintil. inst. II 11, 7), ut Cicero Lucceio si uelit scribere de rebus suis, confecturum se pollicetur *conmentarios rerum omnium* (ad fam. V 10, 12), ita hi a pontificibus conmentarii in conlegiorum memoriam conpositi erant, ut conminisci possent, quae in similibus rebus facta essent, multumque differunt ab annalibus.[2])

3. Denique quin non solum cetera sacerdotum collegia sed etiam pontifices habuerint acta sua et album, etsi nusquam, quod sciam, memoriae proditum est, uix est cur dubitemus. in illis perscribebantur quae conlegae egissent (*Protokolle*), hoc continebat singulorum conlegarum indices ex temporis ordine digestos. quorum librorum constat etiam ad nostram aetatem per-

---

[1]) Eosdem conmentarios dictos esse a Dionysio (VIII 56) cum Beckero ant. R. I p. 12 n. 13 et Hullemanno p. 8 sq. censeo, ubi *τὴν γενομένην ἐπιφάνειαν τῆς θεοῦ* (Fortunae muliebris) *κατ᾽ ἐκεῖνον τὸν χρόνον* (Coriolani) *οὐχ ἅπαξ ἀλλὰ καὶ δὶς* ita narrat, ut *αἱ τῶν ἱεροφαντῶν* (pontificum) *περιέχουσι γραφαί*. sed quod idem (X 1) ad decem uirorum leges pergens dicit *κομιδῇ δὲ ὀλίγα τινὰ ἐν ἱεραῖς ἦν βύβλοις ἀποκείμενα, ἃ νόμων εἶχε δύναμιν, ὧν οἱ πατρίκιοι τὴν γνῶσιν εἶχον μόνοι, διὰ τὰς ἐν ἄστει διατριβὰς κ. τ. λ.*, nescio an dierum fastorum nefastorumque tabulas in animo habuerit, quas patefecerunt populo decem uiri. cf. Mommsen chronol. p. 204. Corp. insc. lat. I p. 361.

[2]) Hinc cadit peruersa illa quorundam opinio, qui ex querellis Canuleii ad annales pontificum plebi aditum fuisse clausum conlegerunt.

uenisse exempla, acta fratrum Arualium et collegii Aesculapii et Hygiae (Orell. syll. inscript. I p. 420 n. 2417), album pontificum Sutrinorum (Grut. inscr. 302, 1), augurum Saliorum Palatinorum, aliorum collegiorum,' quae habes diligenter et adcurate enumerata a Marquardtio in antiq. Rom. IIII p. 182.[1])

Atque hi quidem sunt libri a pontificibus in usum conlegarum confecti. aliae autem ab eisdem tabulae in uitae conmunis usum proponebantur, fasti calendares uel hemerologia et fasti consulares, quas tabulas saepe inter se confusas recte distinxit Mommsen chronol. p. 106 (quem secutus est Huebner p. 409 sq.). quamquam etiam nunc de hac re certa testimonia desideramus. attamen pontifices potissimum periti caeli dimetiendi rationis fuerunt, atque, cum, ut certo scimus antiquis temporibus pontifex populo in Capitolium conuocato unius cuiusque mensis kalendis nonas, nonis ferias regis sacrificuli iussu uoce calauerit (uid. Becker II 1 p. 367. Marquardt IIII p. 263. Mommsen chron. p. 16. Huebner p. 409), et anno 191. 563 pontificum arbitrio ex M.' Acilii Glabrionis lege intercalandi ratio, cuius scientia etiam usque ad Iulium Caesarem penes eos solos erat (Plut. Caes. 59), permissa fuerit (Mommsen chron. p. 39 sqq.), quid est ueri similius quam ab eisdem pontificibus hemerologia illa conposita et in singulos annos in atrio regiae adfixa esse (Huebner p. 410)? ut uero hisce tabulis singulorum annorum ratio, ita fastis consularibus ipsorum annorum ordo constituebatur, qui fasti et nomine et re tam arte inter se conexi sunt, ut fieri non possit, quin ad eorundem auctoritatem redeant, praesertim cum publice consulum nomina et ordinem quasi sancta fuisse uel inde adpareat, quod etsi qui quo ordine primis annis liberae rei publicae consules essent, non esse perscriptum et posteris traditum esse concedetur, tamen etiam de illorum annorum consulibus omnes scriptores non minus inter se consentiunt quam de posteriore aetate (Mommsen chron. 190. 204. 128).

Nunc tandem, quoniam uiam tot obstaculis obstructam aperuimus, ad ipsos annales maximos peruenimus. nondum tamen adgredi placet ad locos illos Ciceronis Seruiique explicandos, quibus quasi adultorum annalium imago adumbrata est. antea

[1]) Cf. Ambrosch, de sacr. Rom. libr. p. 12.

qualis fuisse uideatur eorum origo, exponendum est. Mommsen enim (hist. R. I p. 451. 453) initio quasi corollarium quoddam grauissimarum rerum gestarum conspectum additum esse fastis consularibus censuit, tum demum, cum fastorum margo non caperet adnotationem, iuxta eos aliam tabulam, in qua soli annales scriberentur, a pontificibus esse adfixam. quam coniecturam, cuius certa testimonia desunt, satis firmasse sibi uisus est tabularum paschalium exemplo. tum Mommseni sententiam in plerisque rebus amplexus Huebner (p. 419 sq.) hoc addidit, eius rei uestigia quaedam adparere, cum in fastis Capitolinis et Venusinis adscriptum esset consulum nominibus, quod sub eis bellum susceptum esset, ut *bellum Gallicum Cisalpinum* (a. 225. 529 p. 435), *b. Philippicum* (200. 554 p. 436), *b. Antiochinum* (191. 563 p. 437), *b. Persicum* (171. 583 p. 437), similia.

Verum tamen num ex eo solo more ad fastos adnotandi annales maximi originem traxerint, est quod uehementer dubitemus. nimirum et eis, quae ad tabulas paschales[1]) et eis quae ad fastos consulares adiciebantur, hoc spectabatur, ut etiam postea temporis praeteriti memoria retineretur: sed qui annales maximos conficiebant cum tabulas publice et ita proponerent, ut ab omnibus Romanis quouis tempore conspici possent, num hac de causa eos fecisse contendes, ne apud posteros rerum gestarum memoria obliuione obrueretur? non possum a me inpetrare ut hoc concedam. immo si quid uideo, initio eodem consilio annales illos conscriptos et publice propositos esse arbitror, quo postea Caesar consul populi diurna acta conposuit et publicauit, ut in eorum qui tum uiuebant notitiam res Romanae perferrentur eaeque ita consignatae, ut patribus placebat.[2]) hoc uero

---

[1]) Infra demonstrare studebimus, ut ex tabulis paschalibus historiae Germanae primordia, sic ex pontificum annalibus Pisonis, Heminae, Sempronii, aliorum historiam ortam esse. tabulae paschales igitur conparandae potius sunt cum ipsis pontificum annalibus, si quidem inferiorem aetatem respicis, qua ut posteritatis memoriae inseruiretur, condebantur.

[2]) Itaque non adsentior Klotzio *Lat. Litteraturg.* I p. 356 sq. et Hullemanno p. 34 sq., qui antequam tabulae illae propositae essent, pontifices maximos rerum gestarum memoriam mandasse litteris suspicati sunt, sed ita, ut in pontificum penetralibus eas reponerent. refellunt hanc sententiam etiam Niemeyer *Zeitschr. f. Gymn.* 1858 p. 425 et

non antiquitus ea ratione factum esse, qua rem Cicero et Seruius nobis depingunt, uix quisquam censebit. quam ob rem mea sententia haec est: ut etiam post cladem ad Trasumenum acceptam M. Pomponius praetor a multitudine euocatus pro curia pugna magna exercitum uictum esse clamauit (Polyb. III 85, 8. Liu. XXII 7, 8), ita priscis temporibus, si quid magni momenti accidisset, uoce a magistratu aliquo per praeconem id pronuntiatum esse. tum, cum et res populi Romani et studium eas cognoscendi augerentur, neque nonae aut feriae a sacerdotibus calarentur sed descriptae in tabulis proponerentur, hoc pontifibus officium demandatum, ut res in tabulas relatas in regia ad forum sita (Becker I p. 223 sq.) publice proponerent, quo, ut temporis rationis cognitionem peterent, frequentes Romani confluebant.

Alia autem fuit causa scribendi, alia tabulas adseruandi et in tablino reponendi. et cum hoc pontifices maximi facerent, ut posteritatis memoriae inseruirent, paulatim et apud alios et apud hosce ipsos opinionem nasci potuisse non nego, eadem causa qua seruabantur, annales illos etiam conpositos esse. quid? quod posterioribus temporibus etiam tum cum conponerentur, posteritatis magis rationem habitam esse quam eorum hominum qui tum uiuebant, etiam ego totus existimo. sed iam antiquis memoriae retinendae causa a pontifice maximo res singulas litteris mandatas et loco tam insigni propositas esse, ut credam Ciceroni, uix mihi umquam persuadebitur.

Qua uero ratione hi annales conscripti sint, de ea re, si adcurate perpenderis, inter se prorsus dissentiunt Cicero et Seruius. atque Cicero quidem ita rem explicat, ut primum omnes res, simulatque accidissent, pontificem maximum priuatim litteris consignasse dicat. tum demum, cum annus exactus esset, simul omnes totius anni res in tabulam translatas et in regia propositas esse, ut populus quid quoque anno gestum esset, uidere posset. contra Seruio teste pontifex maximus in ipsa tabula, cum iam in regia adfixa esset,[1]) singulorum annorum praescriptis con-

Huebner p. 421. Cf. Schwegler h. R. I p. 45: *Vielleicht ist es ein psychologisches Naturgesetz, dass eminent praktische Völker, deren ganzes Sinnen und Trachten in der Gegenwart aufgeht, ohne historischen Sinn und ohne Interesse für objectiv historische Forschung sind.*

[1]) Dubitari enim non potest, quin Seruius l. s. l. cum adderet *t. deal-*

sulum nominibus et aliorum magistratuum, quos per ipsos annos uno quoque tempore, cum opus esset, certo sciendi potestatem habere plurimum populi interesset, quae digna memoratu essent per singulos dies notabat, id est non uniuersas res totius anni simul sed singulas quasque eisdem quibus gestae erant diebus uel, ut diligentius loquar, quibus de eis certior factus erat.[1]) Quaeritur, uter auctor praeferendus sit, neque enim quod inter eos interest discrimen, cum Hullemanno (p. 35) aliisque oblini poterit. uel obiter uero utriusque uerba inter se conparanti hoc adparebit, Seruium maiore fide eam ob rem dignum esse, quia adcuratiora de annalium confectione profert, eiusque auctor ipsius tabulae aliquam notitiam habuisse uidetur, Cicero autem in uniuersum agit neque quidquam de ipsa tabula adicit. deinde Cicero cum de oratore scriberet, parum uersatus erat in antiquis historiae fontibus neque eum ueri simile est ultra annales maximos, qui tum editi ei patebant, ad pontificum tablinum, ubi ueteres illae tabulae uel earum exempla reposita erant, penetrasse. at apud Seruium multae tales res, quas inseruit, referendae sunt ad Varronis, auctoris locupletissimi, grauitatem. denique, si in eorum cognitionem, qui simul uiuebant, annales a pontificibus conditos esse supra recte disputauimus, multo probabilius mihi uidetur, singulas res, ut gestae erant, ad eam prolatas esse, quam secundum Ciceronem omnes conlectas cum populo esse conmunicatas exacto anno. aut enim totus fallor aut earum promulgatio, quae, cum ad forum loco omnibus patenti fieret, in totius populi usum erat destinata, non poterat esse grata acceptaque aut multitudini magni pretii, nisi, simulatque cuiusque rei nuntius ad pontifices perlatus erat, sequeretur, ut statim desiderium noua et certa cognoscendi expleretur.

Iam uero ut ad annalium illorum imaginem quandam, quoad fieri poterit, depingendam pergamus, tabula, in qua scribebatur, erat gypso oblita, quo genere tabularum et Romani aliis locis et Graeci in uita publica multum uti solebant (cf. Stephan. s. u.

---

batam eam tabulam, quam publice exponebat p. m., in animo habuerit, non pugillarem illam, in qua ex Ciceronis opinione pontifex priusquam ederet, res memoratu dignas conligebat.

[1]) Sic enim propter ea quae antecedunt, malo Seruii uerba interpretari quam cum Huebnero existimare (p. 420) ipsos dies quibus quaeque res gesta esset, adscriptos esse.

λεύκωμα. Naegele *Studien* p. 268. Hullemann p. 38).[1] talem igitur quotannis ineunte anno[2]) uacuam suspendebat pontifex maximus in atrio domi suae, cum eam loco superioris notis conpletae substitueret.[3]) Summo autem loco scripta erant nomina consulum et aliorum magistratuum, quos tamen, cum non omnes eodem quo consules tempore crearentur, loco uacuo relicto partim postea additos esse probabile est (Huebner p. 420). tum sequebantur ipsae res 'domi militiaeque terra marique gestae', ut ait Seruius, quae pontifici digna memoratu esse uiderentur, eo quo gesta erant ordine, hic illic ut in solis defectione a. 403. 351 (fr. 2) ipso die adscripto. dolendum tamen est quod in tanta certarum relliquiarum inopia quae res quam adcurate expositae sint, definire non licet. suspicari tantum modo licet, procedente tempore et plures res et eas copiosius in tabulas relatas esse. uelut prodigia, quorum procuratio penes pontifices erat (Marquardt a. R. IIII p. 222), ante annum 249. 505 non esse litteris publice tradita recte animaduertit Mommsen (in praef. Flor. perioch. Iahni p. XX cf. I. Bernays in mus. Rh. n. 1857 p. 436). idemque (hist. R. I p. 454) anno quidem 298. 456 consulum bella nondum continuo, cum gererentur, in tabulis perscripta esse inde conclusit, quod, si factum id esset, uix tanta intercederet discrepantia de eius anni consulum rebus inter Liuium, qui unus eas narrat, et L. Cornelii Scipionis Barbati elogium marmori incisum. apud Liuium enim (X 12) Scipioni Etruria, Cn. Fuluio conlegae Samnites obuenerunt, cum Lucani societate cum Romanis essent coniuncti, at in elogio *Scipio Barbatus*

Taurasia Cisauna Samnio cepit

Subigit omne Loucanam opsidesque abdoucit.

uid. Corp. inscr. lat. I p. 16 sq. sed quoniam quae Liuius in

---

[1]) Clerici opinionem (p. 101 sq.) in ipsis parietibus atrii regiae annales esse depictos censentis iam Hullemann refutauit p. 39.

[2]) Sic etiam Huebner p. 420, qui in aliis Mommsenum sequitur. quod Hullemann p. 35 exacto anno tabulam suspensam esse arbitratur, haec sententia cadit cum testimonii Ciceroniani fide.

[3]) Hoc enim aperte et Seruius dicit et Cicero confirmat neque uideo, qui fieri potuerit, ut Hullemann p. 38 huius sententiae argumenta desideraret acriterque in eam inueheretur. quis enim, cum et annorum urbis et earum rerum, quae litteris consignarentur, numerus augeretur, tot tabulas regiae atrium cepisse credat?

tertia, quarta, quinta decade narrationi Polybianae inspersit, per Coelium Antipatrum, Valerium Antiatem, Claudium Quadrigarium, alios scriptores Romanos haud exiguam partem ad annalium maximorum auctoritatem redeunt, magna cum probabilitate eorum argumenta et sonum agnoscere nobis uidebimur in eis quae Liuius et initio et exitu singulorum annorum coniuncta uno conspectu satis exiliter absoluere solet de comitiis consularibus et praetoriis, de ludis Romanis et plebeiis, tum de prouinciis consularibus et praetoriis et de prodigiorum procuratione, denique diuersis locis si qui sacerdotes mortui[1]) aut aedes dedicatae erant, si census factus, si coloniae deductae, ludi funebres editi, signa ab aedilibus pl. ex multaticio argento posita, si annona cara aut peruilis fuerat, si Tiberis agros inundauerat, si lux obscurata erat.[2]) talibus enim rebus maiorem tabularum partem inpletam esse ex Catonis uerbis discimus, qui cum fastidio quodam sibi non lubere in originibus scribere professus est; 'quod in tabula apud pontificem maximum esset, quotiens annona cara, quotiens lunae aut solis lumine caligo aut quid obstitisset' (fr. 77).[3]) neque tamen aliae res omissae sunt, quas apud Liuium iam auctas et exornatas legimus scriptorum ingeniis, non ita, ut in tabula illa expositae erant, in qua capita tantum modo rerum breuiter et ieiune proposita esse existimandum est.[4])

Hoc enim diserte Cicero de legg. I 2, 6 Atticum facit dicentem: *Post annales pontificum maximorum, quibus nihil po-*

---

[1]) Recte Nissen (*Kritische Untersuchungen über d. Quellen d. Livius* p. 90) cum ex multis tum ex ea re, quod sacerdotum tantum modo mortes eaeque saepissime, nusquam fere aliorum uirorum uel clarissimorum a Liuio adlatae sunt, et has Liuii partes ex annalibus maximis fluxisse animaduertit et sacerdotum potissimum rerum in eis rationem habitam esse. uid. Nitzsch in Sybelii *histor. Zeitschr.* XI (1864) p. 11. mus. Rhen. n. XXIII (1868) p. 601. Mommsen *röm. Forsch.* I p. 82 sqq.

[2]) Liuius etiam diem defectionis adscripsit XXXVII 4, 5, ipsam horam die tamen omisso XXXVIII 36, 4. uid. Nissen, *Untersuch.* p. 57. 88 sq. Nitzsch ap. Syb. l. s. p. 12.

[3]) Mirum est quod Hullemann p. 38 commentarios pontificum dictos esse a Catone magna cum fiducia adfirmat. causae eius nullae sunt.

[4]) Prorsus inprobo quod Fr. Lachmann de font. Liu. I p. 13 annales maximos in mythis exponendis prolixos, in consulum historia breuiores fuisse opinatur. confudit enim, ut uidetur, Fabii, Cincii, aliorum annales cum pontificiis.

test esse ieiunius,[1]) *si aut ad Fabium aut ad eum, qui tibi semper in ore est, Catonem aut ad Pisonem aut ad Fannium aut ad Vennonium uenias, quamquam ex his alius alio plus habet uirium, tamen quid tam exile quam isti omnes?* similiterque Quintilianus inst. X 2, 7: *Quid,* inquit, *erat futurum, si nemo plus effecisset eo quem sequebatur? nihil in poetis supra Liuium Andronicum, nihil in historiis supra pontificum annales haberemus. ratibus adhuc nauigaretur.* Quae cum res ita sint, ita non cum hac annalium imagine qualem animo informauimus, concinere uidetur fabula illa uel uersu senario ex Hesiodo[2]) eleganter uerso distincta, ut ego quidem Gellium (fr. 4), qui ubi et annales maximos et Verrium Flaccum laudat, ipse se annales non inspexisse significat (Becker antiq. I p. 10. Mercklin *Citiermeth. d. Gell.* p. 651), falso uersum illum, qui a Verrio adiectus erat, ad annalium maximorum auctoritatem rettulisse coniciam solamque rem antea a Gellio expositam originem ducere ex uetustis illis annalibus.[3])

Altera autem eaque multo grauior est disputatio, qua fide pontifices res Romanas in publicam cognitionem protulerint. sed haec, cum perpaucae res diserte ad annales maximos relatae sint, nec quantum eius memoriae quae nobis est tradita, pontificibus, quantum inferioribus rerum scriptoribus tribuendum sit, discernere possimus, ad certum aliquem finem perduci non potest.

---

[1]) Libri manu scripti habent *iucundius. ieiunius* est coniectura Vrsini, quam cum Niebuhrio (hist. Rom. I p. 278) praetuli coniecturae Dauisii *incomtius* probatae a Bakio et ab Hullemanno (p. 63). solus Huebner p. 412 tuetur codicum scripturam. at quod defendit: *Warum sollte nicht Cicero an jener kunstlosen exilitas der alten Priesterannalen so gut ein gewisses Vergnügen empfunden haben, wie wir an manchen alten Chroniken?* hoc et a Ciceronis ingenio abhorret et a toto huius loci tenore. cf. etiam de orat. l. s. l.

[2]) Est Hesiodi ἔργ. κ. ἡμ. 266 ἡ δὲ κακὴ βουλὴ τῷ βουλεύσαντι κακίστη.

[3]) Closset, qui etiam alias res alienas cum pontificum annalibus miscuit, ex loco illo Bruti 14, 55, quo de Ti. Coruncanio agitur, uel cum eloquentia quadam a pontificibus annales scriptos esse conlegisse sibi uisus est. neglexit tamen ille et Ciceronem reuocare non ad annales sed ad commentarios pontificum (supr. p. V) et ab eo non hoc dici, eloquentiam Coruncanii ex libris illis elucere, sed, cum ex eis longe plurimum ingenio ualuisse uideretur, inde posse conici, eum fuisse disertum.

neque tamen pontificum dignitati iniuriam inferemus, si saepe magis rei publicae aut optimatium quam ueritatis rationem sibi habendam esse eos arbitratos esse suspicamur, resque non ut gestae erant, sed ut eas uideri uolebant, ab eis propositas esse. nam et pro patria mentiri boni uiri esse tum uulgo existimabatur[1]) neque mendacia sui collegii causa excogitata abhorruisse a pontificum ingenio, certiores nos fecit Censorinus, qui, ut aut odium explerent aut gratiam sequerentur, ne hemerologiis quidem eos pepercisse scripsit.[2])

---

[1]) Cf. Dionys. Hal. ep. ad Cn. Pomp. 3, 9: Ὁ δὲ Θουκυδίδης ἀρχὴν μὲν ἐποιήσατο ἀφ' ἧς ἤρξατο κακῶς πράττειν τὸ Ἑλληνικόν· ὅπερ Ἕλληνα ὄντα καὶ Ἀθηναῖον οὐκ ἔδει ποιεῖν, καὶ ταῦτα οὐ τῶν ἀπεῤῥιμμένον ὄντα, ἀλλ' ὧν ἐν πρώτοις ἦγον Ἀθηναῖοι, στρατηγιῶν τε καὶ τῶν ἄλλων τιμῶν ἀξιοῦντες· καὶ οὔτι γε φανερῶς, ὥστε καὶ τῇ πόλει τῇ ἑαυτοῦ τὰς φανερὰς αἰτίας τοῦ πολέμου περιάπτειν, ἑτέραις ἔχοντα πολλαῖς ἀφορμαῖς περιάψαι τὰς αἰτίας, καὶ ἄρξασθαι γε τῆς διηγήσεως μὴ ἀπὸ τῶν Κερκυραϊκῶν, ἀλλ' ἀπὸ τῶν κρατίστων τῆς πατρίδος ἔργων, ἃ μετὰ τὸν Περσικὸν πόλεμον εὐθὺς ἔπραξαν· ὧν ὕστερον καὶ ἐν ἐπιτηδείῳ τόπῳ μνήμην ἐποιήσατο φαύλως πως καὶ ἐξ ἐπιδρομῆς· διελθόντα δὲ ταῦτα μετὰ πολλῆς εὐνοίας, ὡς ἄνδρα φιλόπολιν, ἔπειτ' ἐπενεγκεῖν, ὅτι τούτων φθόνῳ καὶ δέει προελθόντες Λακεδαιμόνιοι, προφάσεις ὑποθέντες ἑτέρας, ἦλθον ἐπὶ τὸν πόλεμον, καὶ τότε λέγειν τὰ Κερκυραϊκὰ καὶ τὸ κατὰ Μεγαρέων ψήφισμα καὶ εἴ τι ἄλλο τοιοῦτο λέγειν ἐβούλετο. Similia crimini uertit Plutarchus de Herod. malign. c. 5 Herodoto. cf. Ulrici, *Charakter. d. ant. Historiogr.* p. 103.

[2]) Censorini uerba (de die nat. 20, 6) haec sunt: *Quod delictum ut corrigeretur, pontificibus datum negotium eorumque arbitrio intercalandi ratio permissa. sed horum plerique ob odium uel gratiam, quo quis magistratu citius abiret diutiusue fungeretur aut publici redemptor ex anni magnitudine in lucro damnoue esset, plus minusue ex libidine intercalando rem sibi ad corrigendum mandatam ultro quia deprauarunt, adeo aberratum est, ut C. Caesar* et q. s. ex eodem fonte quo Censorinus (Varrone?) sua hausisse uidetur Macrobius sat. I 14, 1: *Verum fuit tempus, cum propter superstitionem intercalatio omnis omissa est, non numquam uero per gratiam sacerdotum, qui publicanis proferri uel imminui consulto anni dies uolebant, modo auctio modo retractio dierum proueniebat et sub specie obseruationis emergebat maior confusionis occasio. sed postea C. Caesar* et q. s. cf. Sueton. Caes. 40. Solin. pol. 1, 43: *Quod cum in initio Romani probassent, contemplatione parilis numeri offensi neglectum breui perdiderunt, translata in sacerdotes intercalandi potestate, qui plerumque gratificantes rationibus publicanorum pro libidine sua subtrahebant tempora uel augebant* (ex eo partim ad uerba Ammian. Marc. XXVI 1, 12). cf. Goettling *Staatsverfass.* p. 180.

Verum tamen ut relicto hoc lubrico coniecturarum campo ad certiora enitamur, Cicerone teste ille mos res in tabulis proponendi non mansit ultra P. Mucium Scaeuolam (cons. a. 133. 621). fuit is pontifex maximus a. 123. 631, quoniam eo anno T. Flaminino Q. Metello cos. pro collegio pontificum eum respondisse Cicero dixit (pr. dom. 53, 136), sed nec quo anno pontifex maximus cooptatus sit accepimus nec quo anno mortuus. nihil igitur adcuratius adfirmari potest, quam circa a. 123. 631 tabulas proponi desitas esse, ita tamen, ut nec citra annum 132. 622 subsistere nec ultra a. 114. 640 euagari possimus. illo enim anno P. Cornelius Scipio, cum pontifex maximus Ti. Sempronium Gracchum trucidasset, sub specie legationis in Asiam in exilium est missus, ubi paulo post Pergami diem supremum obiit (Plut. Ti. Gracch. 21. Cic. in Catil. I 3, 3), hoc (114. 640) iam L. Metellus pontificum collegio praeerat.[1]) Quod uero P. Mucius potissimum huic consuetudini finem inposuit, non mirabimur, cogitantes eum fuisse Scaeuolam, ut ei haec pontificum historia, cum iam scripsissent Catones, Cassii, Pisones, alii, non posset non uideri nimis antiqua et ridicula.[2]) Simul autem ad eundem etiam hoc pertinere probabiliter existimabimus, quod Seruius illos annuos conmentarios in octoginta libros relatos esse memoriae prodidit (Mommsen h. R. II p. 461. Huebner p. 422), magnam hercle librorum molem, quae octoginta libros expleret, cum Liuius idem fere temporis spatium sexaginta conplexus sit.

[1]) Hoc nomen nobis traditum est ab Asconio (in Milon. p. 46 Orell.). qui quod criminatum eum esse rettulit S. Peducaeum tribunum pl., quod male iudicasset de incesto uirginum Vestalium, ex Liuio (perioch. 63) aliisque (ut Obseq. 95. Oros. V 15) conpertum habemus, illud iudicium factum esse eo quem supra posuimus anno. qui numeri adcuratiores de Mucii tribunatu (ut a Teuffelio in *Paul. Realencycl.* I p. 1017, Huschkio iur. antei. p. 5: a. 131. 623) adferri solent, prorsus conmenticii sunt. nec hoc ullo fundamento nititur, quod Dodwell (praelect. Camden. p. 656), quem secuti sunt Naegele (*Studien* p. 280), Closset (*Essai* p. 421), Nissen (*Untersuch.* p. 87), a. 130. 624 annales maximos desiisse scripsit aut quod Hullemann p. 46 sq. a. 126. 628 statuit. uid. Huebner p. 422.

[2]) Cf. Hullem. p. 41 sqq. minus apte Teuffel *Realencycl.* V p. 181: *Sein Zweck kann dabei, wie auch Cicero andeutet (?), nur der gewesen sein, die Geschichtschreibung frei zu geben, durch Eröffnung freier Concurrenz grössere Genauigkeit, Wahrhaftigkeit und Darstellungskunst herbeizuführen.*

Omnia tamen, ut in tabulis proposita fuerant, ita emissa esse uix crediderim. immo Mucium uel quisquis annales publici iuris fecit, tabularum uerba non intacta reliquisse atque non solum inmutasse[1]) sed etiam aliis rebus additis auxisse ueri est simillimum. nimirum esse etiam in litteris ius quoddam proprietatis, tunc prorsus ignorabatur. itaque ut illius aetatis scriptores superiorum uerba in suos libros transferre non uerebantur, ita eosdem etiam cum aliorum libros sub eorum nominibus ederent, manus ab eis non abstinuisse consentaneum est. tamen ad tantam amplitudinem quae esset similis narrationi Liuianae, pontificum annales creuisse uix quisquam dicet, ut aliquanto minores eorum libri fuisse uideantur quam Liuii.[2])

Certum autem nomen annalium maximorum tum demum illis pontificum tabulis inditum est, cum editae sunt. nam qui soli scriptores ante hoc tempus earum mentionem iniecerunt, Cato (fr. 77) et Polybius (ann. m. fr. 1), ita eas significauerunt, ut dicerent *tabula quae apud pontificem maximum est* (*ἐπὶ τοῦ παρὰ τοῖς ἀρχιερεῦσι κειμένου πίνακος*), quorum utrumque, si nouisset, breuiorem titulum spreturum fuisse non est credibile. post Mucium autem annalium maximorum inscriptio apud omnes increbuit, eiusque origo postea inde deducebatur, quod pontifex m a x i m u s eos condidisset.[3]) quae explicatio Romanorum in etymologicis leuitate sane digna nunc ab omnibus reiecta est. multo enim probabilius est illos annales, cum ederentur, maximos et fuisse et nominatos esse, atque nescio an etiam Cicero, quam-

---

[1]) Quae enim supra p. XIII ex annalibus maximis in Liuii libros transiisse uideri diximus, eodem plerumque singulis annis ordine procedunt, quem eius qui illos edidit operae deberi ueri est similius quam inferiori alicui historico.

[2]) Sic aptius magnitudo annalium librorum numeri explicatur quam ab Hullemanno p. 51, qui etiam post P. Mucium annales a pontificibus usque ad Verrii Flacci fere aetatem continuatos esse coniecit, dum materia sic conlecta et cum antiquis annalibus, quos edidit Mucius, coniuncta octoginta libros efficeret, cui sententiae uerba scriptorum ut fauere uiderentur, mirum in modum detorta sunt ab Hullemanno. cf. Niemeyer l. s. p. 426.

[3]) Paul. s. u. p. 126: *Maximi annales appellabantur, non magnitudine sed quod eos pontifex maximus confecisset.* Macrob. sat. III 2, 17: *Hos annales appellabant equidem maximos quasi a pontificibus maximis factos.* Seru. l. s. adl.

quam in aliis eius modi rebus iudex haud ita acer est, eandem sententiam secutus sit. nam quod l. s. a. *qui etiam nunc*, inquit *annales maximi nominantur*, ea uerba uix poterunt aliter explicari, nisi illos annales, etsi aliis, ut Cn. Gellii libris minimum nonaginta septem, Valerii Antiatis libris septuaginta quinque admodum prolixis superati essent magnitudine, tamen etiam tum maximos appellatos esse.[1]) Praeterea eidem annales aliquot locis propter scriptores *pontificum maximorum annales* (Cic. de legg. I 2, 6. Quint. inst. X 2, 7) et propter auctoritatem qua utebantur publicam *publici* dicuntur (Cic. de re p. II 15, 28. Diomed. III 480 P. 484 K.[2]), neque tamen sic eos inscriptos fuisse inde quisquam conlegerit.

Sed cum annales maximi rerum Romanarum antiquissimi fontes habiti sint, hodie erunt qui mirentur quod paucissima eorum testimonia exstant. at longe alia fuit apud ueteres ratio fontes adhibendi et indicandi, alia nunc est. tunc enim multo rarius quam nunc fit, scriptor aliquis propter auctoritatis grauitatem laudabatur, saepius, ut quae memoriae ab eo tradita essent, refellerentur. quam ob rem, cum auctoritatem annalium publicorum tantam fuisse existimandum sit, ut nemo fere de ea dubitare auderet, ea citandi causa, quae tum frequentior esse solebat, omnino deerat. deinde illa aetate is potissimum auctor, qui proxime scripserat, in usum uocabatur et si qui in eo in-

---

[1]) Hullemann p. 53 sic interpretatus est: *Crede mihi 'etiam nunc' dixit, quod, quamuis esset historiae scribendae cura pridem ad pontifices minores delata, ut tum pontificum scribae audiebant, nihilo minus uetus nomen manebat 'annales maximi'*. sed profectus est in ea re ab opinione, quam, cum nec per se probabilis esset nec ullo niteretur testimonio, falsam esse iam supra monuimus. itaque ne illi quidem interpretationi adsentimur.

[2]) Verba Diomedis, qui tamen temere ita loquitur quasi etiam sua aetate mos annales max. conficiendi maneat, haec sunt: *Epos Latinum primus digne scripsit is* (*Ennius* coni. Reifferscheid), *qui res Romanorum decem et octo conplexus est libris, qui et annales inscribuntur, quod singulorum fere annorum actus contineant, sicut publici annales, quos pontifices scribaeque conficiunt.* — Inde uero quod hice annales publici appellabantur, minime sequitur eosdem *annales populi Romani* nominari potuisse. multum enim inter annales publicos et a. populi Romani interest. caue igitur Ciceronem (de dom. s. 32, 86), ubi ad *annales — populi Romani et monumenta uetustatis* prouocat, annales maximos in animo habuisse existimes. Hullemann p. 53.

esse uidebantur errores, ut repellerentur, citabatur, unde apud Liuium maxime Valerii Antiatis et Claudii Quadrigarii nomina nobis occurrunt. itaque a priscis quidem rerum scriptoribus suorum librorum lineamenta, ut ita dicam, secundum annales maximos depicta esse etsi nusquam confirmatur, tamen uix a quoquam negabitur. sed quoniam ei scriptores, quorum libri seruati sunt, multum aetate distant a Mucio Scaeuola et annalium max. uerba, ut a superioribus historicis recepta erant — perraro enim qui postea scribebant, ad eos ipsos rediisse statuendum est — plurimorum manibus propagata erant, dum ad illos peruenirent, factum est, ut paullatim eius usus expressa indicia detrita euanescerent, perpauca etiam nunc conspiciantur. multo quidem plura conlecta edidit Clericus (p. 344 sqq.), sed eius opera prorsus irrita fuit. sine ullo enim iudicio ex omnibus locis, quibus simpliciter annales uel annalium monumenta conmemorata erant,[1]) uiginti fere sepositos ad annales maximos pertinere opinatus est. uerum tamen de his somniis nunc uerba facere operae non est pretium uisum. si qui illa cognoscere uelint, eos relego ad Hullemannum p. 12—32. nolo enim recoquere, quae semel refutasse satis est.

Sed etiam priusquam annales maximi a P. Scaeuola in libri formam redacti emitterentur, ad ipsas tabulas in tablino cumulatas eis, qui rerum Romanarum studiosi erant, aditus patuisse et potestas describendi eas fuisse uidetur. ut enim mittam Catonem (fr. 77), quem ex eis tantum modo, quae publice in regiae atrio conspiciebantur, tabulis cognitionem habuisse dicas, certe Polybio, cum urbis annum natalem ex eis proferret, usque ad tablinum descendendum fuit, nisi forte quod nec traditum nec probabile est, in summo unius cuiusque tabulae margine annum urbis conditae adscriptum esse arbitraris. Sed cum Polybii testimonium (fr. 1) non libris sed Niebuhrii (hist. R. I p. 248 not. 606) coniecturae debeamus, paucis saltem uerbis opus est de eo agere coniecturamque a nobis receptam a dubitatione quadam, quam Schwegler (I p. 8 not. 4)[2]) mouit, defendere. ede-

[1]) Etsi iam Beaufort (I c. 4) ne quibus locis annales simpliciter laudarentur, a. maximi intellegerentur caueri iusserat.

[2]) Ante eum etiam Becker II p. 9 de Niebuhrii coniectura dubitauerat.

bantur enim uulgo Dionysii Halicarnasensis uerba, quibus Polybii mentionem facit, sic: ἐπὶ τοῦ παρὰ τοῖς Ἀγχισεῦσι κειμένου πίνακος et ita explicabantur, ut Polybius tabula quadam Anchisensium de urbis anno natali usus esse putaretur. adferuntur uero duae eius nominis urbes,[1]) Anchisa, urbs Italiae, a Romo Aeneae filio aui honoris causa condita (Dionys. I 73 conl. Stephano Byz. s. u. p. 24 ed. Meinek.) et Anchisus, urbs Epiri maritima, unde Anchises in mare Ionium nauigasse dicebatur (Dionys. I 51. Procop. b. G. IIII p. 22 p. 577 Dind.).[2]) at priorem urbem in fabulis esse sitam non in Italia iam intellexit Niebuhr, idemque de altera suspicatus est Huebner p. 414. sed ut utramque urbem re uera tum fuisse largiamur, tamen paruae et ignobiles latebant, atque quis Polybium, cum de anno urbis Romanae natali quaereret, illius oppiduli annales non solum consuluisse credat sed etiam ita et ipsum eis fidem habuisse et ut legentes haberent postulasse, ut etiam uerbum ad eius auctoritatem firmandam addere superuacaneum esse existimaret? hoc enim illo loco Dionysius crimini uertit Polybio. cum igitur nullo pacto Anchisensium tabulae expediri possent, nec libri Chisianus et Vrbinas exhiberent Ἀγχισεῦσι sed ἀγχιστεῦσι, Niebuhr substituit ἐπὶ τοῦ παρὰ τοῖς ἀρχιερεῦσι κειμένου πίνακος. qua coniectura probata non mirabimur, quod hanc de anno urbis natali auctoritatem simpliciter posuisse satis habuit Polybius. quod uero nusquam pontificem ἀρχιερέα a Dionysio esse dictum sed, si non ποντίφικα retineret, ἱεροφάντην, Schwegler opposuit, inmemor ille fuit Polybii uerba adlata esse a Dionysio. a Polybio autem semper pro pontifice maximo usurpatur ἀρχιερεύς (XXIII 1, 2. XXXII 22, 15).[3]) omnino igitur nihil est, quo egregia illa uiri sagacissimi coniectura infringatur. Post Polybium quaedam ex annalibus maximis inseruit Cicero in eis quos de re publica scripsit libris. quem locum infra po-

---

[1]) Sequor in plerisque Huebnerum p. 413 sqq., qui mihi rem uidetur absoluisse.

[2]) Schwegler l. s. s. et Huebner diuersas Epiri urbes a Dionysio et a Procopio dictas esse censent. cuius opinionis ego nullam uideo causam.

[3]) De plurali numero ἀρχιερεῦσι, ut omnis dubitatio remoueretur, contulit Huebner p. 414 Cicer. de legg. I 2, 6 *annales pontificum maximorum.*

suimus fr. 3.[1]) est uero etiam alter eiusdem libri (II 15, 28), quem Huebner p. 415 item in fragmentis posuit: *Verene hoc memoriae proditumst, Africane, regem istum Numam Pythagorae ipsius discipulum aut certe Pythagoreum fuisse? saepe enim hoc de maioribus natu audiuimus et ita intellegimus uulgo existimari, neque uero satis id annalium publicorum auctoritate declaratum uidemus.*[2]) neque tamen nos eo infra fragmentorum numerum augere uoluimus, quoniam Cicero non quid in annalibus scriptum fuisset tradidit, sed quid in eis non fuisset, tales autem locos consilio ex relliquiis exclusimus. ceterum Ciceronem eis qui editi erant annalibus inspectis acquieuisse uideri iam supra animaduertimus, idemque adfirmari poterit de Verrio Flacco, cui fragm. 4 debemus (cf. supr. p. XIIII). uerum tamen illa aetate aliorum annalium fama remoti neque multum lectitati esse uidentur. nam nec Liuius nec Dionysius eorum ullam mentionem iniecit neque eorum in usum uocatorum apud illos ulla uestigia reperiuntur.[3]) sub Hadriano uero eorum memoria prorsus oblitterata erat. quis enim, si exquirere eos potuissent, homines illos antiquitatis studiosos has priscas litteras neglecturos neque usquam laudaturos et ostentaturos fuisse credat? per quos uero Vopiscus (fr. 2) quae in annalibus max. — hi enim sine dubio apud eum intellegendi sunt — de interregno illo post Romulum inito memoriae tradita essent, acceperit, non liquet. utique ipse eos non uidit.[4])

---

[1]) Nulla certa causa Bernhardy *Röm. Litteraturg.* p. 195 eum sumptum esse censet ex conmentariis sacrorum.

[2]) Plurima ex annalibus max. cum de re p. disputaret hausisse Ciceronem suspicatus est Hullemann p. 68. ego tamen uehementer dubito. auctor enim primarius tum fuit Ciceroni Polybius.

[3]) Lachmann de f. Liu. I p. 13. Becker ant. I p. 10. Schwegler I p. 8 n. 4. Falso Closset *Essai* p. 425 a Dionysio IIII 30, cum prouocaret ad *ἐνιαυσίους ἀναγραφὰς* annales max. dictos esse censet. alio eiusdem loco (I 73), ubi scriptores Romanos antiquissimas urbis res *ἐκ παλαιῶν λόγων ἐν ἱεραῖς δέλτοις σωζομένων* hausisse scribit, conparatis *γραφαῖς τῶν ἱεροφαντῶν* (VIII 56) conmentarios pontificum ab eo significatos esse ueri simile est. Num Horatius in epist. II 1, 26, ubi ueterum fautores inridens illis uel duodecim tabulas, pontificum libros, annosa uolumina uatum ex Musarum ore fluxisse iocatur, annales maximos in animo habuerit, discerni nequit.

[4]) Multae coniecturae in promptu sunt de eis rebus quae in a. m.

Sed uti unde egressa est oratio mea redeat: non solum res, quae pontificum annalibus expositae erant, ab historicis Romanis in libros suos transferebantur et ab uno alteri traditae propagabantur, uerum etiam rerum dispositio et descriptio et ieiunum dicendi genus quasi exemplo eis erant proposita (Cic. l. s. adl. de or. II 2, 52), nec sola annalium inscriptione similitudo continebatur. itaque factum est, ut hi pontificum annales etiam initia ipsius historiae Romanae fuisse existimarentur (Cic. de legg. I 2, 6. Quintil. inst. X 2, 7).

Nunc autem quae ratio intercesserit inter pontificum annales et eos, qui postea historiae operam dederunt, adcuratius exponere temporum iniquitate, quae satis amplas annalium relliquias ad nos peruenire noluit, pernegatum est. sed tamen nostrae historiae similitudinem adferemus, qua nescio an etiam Romanae primordia aliqua ex parte inlustrentur. nam quo loco apud Romanos annales maximi, eo apud nos tabulae paschales positae sunt. etenim cum festi dies paschales a solis et lunae cursu penderent magnaque ex ea uarietate perturbatio orta esset, conplures deinceps homines docti, ut is error tolleretur, cyclis quibusdam repertis tabulas paschales, quae dicebantur, descripserunt, ex quibus undeuiginti annorum cyclus obtinuit. itaque per omnes ecclesias et monasteria tabulae ita conpositae peruulgabantur, ut singulis cyclis singulae aut binae codicis paginae explerentur, margo autem pro operis dignitate satis amplus relinqueretur, qui, ut cum Pertzio loquar, uel tardioris ingenii hominem ad adnotandos praecipuos cuiusque anni euentus inuitaret. hinc igitur ille usus saeculo sexto apud Italos orsus ad Francos, inde celeriter sub finem saeculi septimi ad Belgas et Germanos transiit ansamque praebuit monachis historiae conscribendae (Pertz monument. script. I p. 1 sqq. Wattenbach, *Deutschlands Geschichtsquellen* p. 40. 85).

Sed adponam aliquot tabularum illarum, quas plurimas edidit Pertzius in monumentis, notas, ut ex annalibus Einsidlensibus (monum. scr. III p. 142):

940. *Otto rex in Galliam usque Sequanam. Hugo et Heribertus uenerunt ad eum. Et postea Hug, filius Richarti uenit.*

---

potuerint exstare. sed cum certis argumentis omnino non possint stabiliri, eas effundere nil iuuat.

942. *Sidus simile cometae per* 14 *noctes uisum manifestius est; et immensa mortalitas boum.*

946. *Otto rex in Galliam inferiorem.*

947. *Mirmidona uulcano consumitur.*

et ex annalibus Casinatibus (l. s. p. 172):

969. *Hoc anno sol obscuratus est, et magnus Otto Calabria ingressus est et accepit coniugem filio suo Ottoni neptem Iohanni Constantinopolitani imperatori, qui cognominatus est Cimiski.*

986. *Hoc anno defunctus est domnus Aligernus uenerabilis abbas, id est indictione* 14. *et Manso in loco eius constitutus est abbate, nobis inuitis, hab Aluara principissa cum filio suo, adhuc puer princeps.*

992. *Hoc anno Landenolfus princeps Capuanus a suis crudeliter interfectus est, et Laydolfus germanus eius princeps constituerunt.*

In quibus notis nonne est idem sonus qui in eis Liuii partibus, quae etsi non ex ipsis pontificum annalibus, tamen ex eis, qui paucis rebus et uerbis mutatis ex illis descripti sunt, originem trahere uidentur? Exempla haec sunto:[1])

II 16, 1 (505. 249): *Consules M. Valerius P. Postumius. eo anno bene pugnatum cum Sabinis. consules triumpharunt. maiore inde mole Sabini bellum parabant.*

II 19, 1 (500. 254): *Consules Ser. Sulpicius M'. Tullius. nihil dignum memoria actum. T. Aebutius deinde et C. Vetusius. his consulibus Fidenae obsessae, Crustumeria capta, Praeneste ab Latinis ad Romanos desciuit. nec ultra bellum Latinum gliscens iam per aliquot annos dilatum* et q. s.

II 40, 14 (487. 267): *Consules T. Sicinius et C. Aquilius. Sicinio Volsci, Aquilio Hernici — nam ii quoque in armis erant — prouincia euenit. eo anno Hernici deuicti, cum Volscis aequo Marte discessum est.*

III 31, 1 (456. 298): *Deinde M. Valerius, Sp. Verginius*

---

[1]) Niebuhr, hist. Rom. II p. 5. Apud Dionysium, quas res supra breuiter indicatas uides copiose iam enarratas et exornatas legis. cf. maxime Liu. II 16, 1 et Dionys. V 37—40. Liu. II 19, 1 et Dion. V 52—58. L. II 21 et D. V 29—VI 2. L. II 40, 14 et D. VIII 64—68, quae exempla optime et annalium maximorum earumque historiarum, quae primae a Romanis scriptae sunt, ut Fabii Cinciique, breuitatem et posteriorum prolixitatem inlustrant.

consules facti. domi forisque otium fuit; annona propter aquarum intemperiem laboratum est. de Auentino publicando lata lex est, tribuni plebis idem refecti.

IIII 30, 4 (325. 429): *Consules L. Sergius Fidenas iterum, Hostius Lucretius Tricipitinus. nihil dignum dictu actum iis consulibus. secuti eos consules A. Cornelius Cossus, T. Quinctius Pennus iterum. Veientes in agrum Romanum excursiones fecerunt. fama fuit, quosdam ex Fidenatium iuuentute participes eius populationis fuisse, cognitioque eius rei L. Sergio et Q. Seruilio et Mam. Aemilio permissa. quidam Ostiam relegati, quod, cur per eos dies a Fidenis afuissent, parum constabat. colonorum additus numerus agerque his bello interemptorum adsignatus. siccitate eo anno plurimum laboratum est, nec caelestes modo defuerunt aquae, sed terra quoque ingenito umore egens uix ad perennes suffecit amnes.*

VII 15, 9. VIII 43, 25—26. X 47.

Deinde apud nos ad harum tabularum paschalium exemplum, quibus eas tantum modo res, quae tum ipsum gestae essent, in posteritatis memoriam litteris consignatas esse tenendum est, etiam ab origine mundi res repetebantur et, cum raro hic illic fabulae quaedam insererentur (ut in annal. Quedlinburgensibus cf. Wattenbach p. 174), plerumque eorum, qui ante scripserant, etiam uerba transferrentur, admodum ieiune enumerabantur usque ad eius qui scribebat aetatem, quae prolixius et copiosius enarrabatur.

Haec uero si contemplamur, fieri non potest, quin nobis in mentem ueniat Dionysii de Q. Fabio Pictore et L. Cincio Alimento sic iudicantis (I 6): τούτων δὲ τῶν ἀνδρῶν ἑκάτερος, οἷς μὲν αὐτὸς ἔργοις παρεγένετο, διὰ τὴν ἐμπειρίαν ἀκριβῶς ἀνέγραψε, τὰ δὲ ἀρχαῖα τὰ μετὰ τὴν κτίσιν τῆς πόλεως γενόμενα κεφαλαιωδῶς ἐπέδραμεν (uid. infr. de Q. Fab. Pict.). ne multa, eandem inter tabulas pontificum et Fabium Pictorem Cinciumque Alimentum rationem intercessisse conligi potest, quam nunc esse cernimus inter tabulas paschales et, ut exempla adferamus, annales Quedlinburgenses (monum. III p. 22—90) et Hildesheimenses (mon. III p. 22—116 cf. Wattenbach p. 174 et 178).

Verum tamen, ut nostra historia ad hunc gradum escenderet, factum est eorum annalium auxilio, qui Carolo Magno auctore, ut imperii gloriae inseruiretur, condebantur, primum in monasterio Laurissensi, tum ab Einhardo uel quisquis illos Caroli pu-

blicos annales conscripsit, ab eo, ad cuius auctoritatem annales Bertiniani referendi sunt, a Prudentio episcopo Turonensi, denique a monachis Fuldensibus.[1]) hic enim quamquam prima historiae lex ueritatis neglecta et imperatoris laudi posthabita est, tamen relicta illa tabularum paschalium siccitate et exilitate paullatim liberius et copiosius historia euagari coepit, unde etiam illi historiae, quae alia ratione non habita solas res memoriae traderet, maior est additus sonus.

Sed ut apud nos imperatores, sic apud Romanos familiae quaedam nobiles eis, quae ad memoriam laudum domesticarum conscripserant, totam populi sui historiam maxime adiuuere et promouere. de his commentariis nunc pluribus est disputandum.

---

[1]) L. Ranke *zur Kritik fränkisch-deutscher Reichsannalisten* in *Abhandl. d. Berl. Acad.* 1854 p. 415 sqq. Wattenbach, *Geschichtsq.* p. 105 sqq. 112. 122.

II

DE LITTERARVM MONVMENTIS PRIVATIS

Antiquitus Romae erat mos, ut in domibus priuatis quae magistratus eius familiae publice gesserant, ipsi litteris mandarent et in suis tablinis reponerent. haec enim tradidit Festus s. u. p. 356: *Tablinum proxime atrium locus dicitur, quod antiqui magistratus in suo imperio tabulis [reponendis eum destinauerant]* et Plinius n. h. XXXV 7, ubi maiorum instituta laudat: *Tabulina codicibus inplebantur et monimentis rerum in magistratu gestarum.*[1]) De ceteris tamen huius generis commentariis nihil accepimus, censoriorum modo commentariorum, qui adcurate sunt distinguendi a libris uel tabulis censoriis, mentionem fecit Dionysius (I 74), in conpluribus familiis etiam suae aetatis eos exstare et a se inspectos esse addens. continebant autem unius cuiusque censurae res expositas praemissis et consulibus et annis liberae rei publicae.[2]) sed conparantibus nobis, quae de aliorum collegiorum commentariis memoriae prodita sunt, duplici de causa hice a censoribus conpositi et in priuatis aedibus adseruati esse uidentur, et ut ipsa memoria rerum in cen-

---

[1]) Antiquis temporibus cum deessent tablina publica, etiam monumenta publica a magistratibus priuatim adseruabantur. cf. Lewis, *Glaubwürdigk. d. röm. Gesch.* I p. 144 uers. Liebrecht. Mommsen *sui modi usati da' Romani nel conservare e pubblicare le leggi ed i senatus consulti* in *annal. dell. instit.* XIII (1858) p. 189: *In tempi antichissimi i documenti così concepiti rimanevano senza dubbio al pari di altri atti pubblici nelle mani di quel magistrato che principalmente avea procurato che si scrivessero, in quelle adunque de' consoli.* Liu. III 55.

[2]) Hoc aperte dicit Dionysius l. s. s.: *ἐν οἷς εὑρίσκω δευτέρῳ πρότερον ἔτει τῆς ἁλώσεως τίμησιν ὑπὸ τοῦ Ῥωμαίων δήμου γενομένην, ᾗ παραγέγραπται καθάπερ καὶ ταῖς ἄλλαις χρόνος οὗτος· Ὑπατεύοντος Λευκίου Οὐαλερίου Ποτίτου καὶ Τίτου Μαλλίου Καπιτωλίνου μετὰ τὴν ἐκβολὴν τῶν βασιλέων ἑνὸς δέοντι εἰκοστῷ καὶ ἑκατοστῷ ἔτει.*

sura gestarum a posteris retineretur, et ut si qui eiusdem familiae ad illud munus peruenissent, haberent unde exemplorum copiam peterent. quam quidem rem censoribus potissimum, qui non uterentur scriptis legibus, magno usui fuisse facile adparet, neque est mirum, quod Dionysio teste ut sacra patria anxia cum cura custoditi a patribus filiis tradebantur. unde factum est, ut in eo numero essent, qui memoriam repeterent etiam ex eis temporibus, quae clade Gallica antiquiora essent, uelut in eis, quas Dionysius se adhibuisse praedicat, census a. 392. 362 habiti memoria exstabat.[1])

Hinc igitur iam ueteribus temporibus in eis, qui rem publicam capessiuissent, studium fuisse sequitur res publice gestas priuatim litteris propagandi. nec deerat certa quaedam causa, qua ut posteritatis memoriae prospicerent, adducebantur. iam primo enim liberae rei publicae anno P. Valerium L. Iunii Bruti conlegae mortui memoriam funebri oratione seu laudatione prosecutum esse accepimus (Dion. V 17. Plut. Popl. 9. Ioann. Lyd. I 33 p. 145).[2]) id quod etsi ex inferiore aetate ad illam superiorem relatum esse ueri est simillimum, tamen quin is mos, quem summa eius admiratione inbutus descripsit Polybius VI 53—54, antiquissimus fuerit non potest dubitari.[3]) Prorsus diuersus autem erat a more Graeco, ut iam ab antiquis scriptoribus animaduersum et expositum est (Dionys. V 17 cf. Cadenbach p. 1 sq.). neque enim apud Romanos plurium

---

[1]) Censores tum fuerunt C. Iulius et L. Papirius Cursor, qui mortuo conlega M. Cornelium Maluginensem subrogauit (Liu. V 31, 6. VIIII 34, 20). unde tabulas illas, quas uidit Dionysius aut ex gente Iulia, aut ex Papiria aut ex Cornelia originem duxisse probabile est. Aliud Papiriae gentis conmentariorum priuatorum indicium Ihne hist. Rom. I p. 400 in ea re inesse existimat, quod quae res a Papiriis in Samnitium bellis gestae essent, ultra modum auctae sint.

[2]) Cf. de laudationibus Perizonius animadu. hist. p. 213 sqq. ed. Harl. Westermann, *Gesch. d. röm. Beredtsamkeit* p. 29 sq. Cadenbach *de Roman. laudat. orat.* in progr. Essens. 1832. E. Huebner Herm. I p. 438 sqq. — H. Graffii de Romanorum laudationibus conmentationem (Dorpat 1862) non noui.

[3]) Iniuria Huebner Herm. I p. 440 Marquardtum eo nomine reprehendit, quod (ant. V 1 p. 58) de huius laudandi moris uetustate dubitauerit. agit enim eo loco uir ille doctissimus de mulierum tantum modo laudationibus.

mortes una oratione simul celebrabantur sed uni cuique nobilium,[1]) cum eius corpus in forum deportatum erat, separatim is honos pro rostris habebatur, uel ab uno ex cognatis uel adfinibus uel in funere publico a magistratu aliquo, cui id negotium ex senatus consulto mandatum erat (Quintil. inst. III 7, 2. cf. Cadenbach p. 4 sq. Marquardt ant. V 1 p. 362).[2]) tum primum ipsius qui mortuus erat uirtutes et res gestae enarrabantur et ornabantur,[3]) deinde ut eum aut respondisse maiorum nobilitati aut humilius genus inlustrasse factis doceretur (Quint. III 7, 10), ipsorum maiorum,[4]) quorum imagines in sellis eburneis circum

---

[1]) Etiam mulieres, posteaquam Q. Lutatius Catulus cos. a. 102. 652 initium in Popillia matre fecit (Cic. de orat. II 11, 44), laudari solebant. antea singulis quibusdam is honos extra ordinem decernebatur, ut matronis illis, qui, ut Gallis summa pactae mercedis solueretur, aurum contulerant (Liu. V 50, 7. Plut. Cam. 8). Quod enim fuerunt, qui de hac re Ciceronem et Liuium inter se discrepare dicerent, hi minus diligenter Liuii uerba perpenderunt, si quidem non de omnibus matronis loquitur sed de eis solis, quibus etiam gratiae actae erant: *Matronis gratiae actae honosque additur, ut earum, sicut uirorum post mortem sollemnis laudatio esset.* Duo laudationum de mulieribus habitarum et in marmore incisarum fragmenta habes apud Orellium (inscr. n. 4860. II p. 355) et Mommsenium (*Zwei Sepulcralreden aus der Zeit Augusts und Hadrians* in *phil. u. hist. Abhandl. der Berl. Acad.* 1863 p. 483 sqq.). Alius generis est Turiae laudatio (Orell. 4859. II p. 349 sqq. Mommsen l. s. p. 455 sqq.), quippe qua maritus non populum sed solam coniugem adloquatur. utrum Murdiae laudatio ita, ut antea habita erat, lapidi insculpta an scripta tantum modo sit, iure suo in medio relinquit Rudorff, qui copiose de ea egit in *phil. u. hist. Abhandl. d. Berl. Acad.* 1868 p. 217—268.

[2]) Peruulgatum eum morem fuisse patet ex Horatii sat. I 6, 43: *At hic, si plostra ducenta concurrantque foro tria funera, magna sonabit cornua quod uincatque tubas.*

[3]) *λέγει περὶ τοῦ τετελευτηκότος τὰς ἀρετὰς καὶ τὰς ἐπιτετευγμένας ἐν τῷ ζῆν πράξεις* Polyb. VI 53, 2. cf. Cicero de orat. II 11, 44. 84, 340 sqq., ubi tamen non de solis orationibus funebribus sed de omni laudationum genere praecepta dantur.

[4]) Exemplo sit huius laudationum partis fragmentum quoddam ex Caesaris oratione, cum quaestor Iuliam amitam uxoremque Corneliam laudaret, a Suetonio decerptum Caesarisque uitae (c. 6) insertum: *Amitae meae Iuliae maternum genus ab regibus ortum, paternum cum diis inmortalibus coniunctum est. nam ab Anco Marcio sunt Marcii Reges, quo nomine fuit mater, a Venere Iulii, cuius gentis familia est nostra. est ergo in ge-*

sedebant, initio ab auctore generis (ἀπὸ τοῦ προγενεστάτου Polyb. VI 54, 1) facto.[1])

Iam sua sponte opinor adparebit, has laudationes non potuisse haberi nisi antea rebus, de quibus agendum esset, adcurate descriptis atque, quoniam annales publici exiliores et ieiuniores fuisse existimandi sunt, quam ut ex eis satis uber materia talibus orationibus posset depromi, in ipsis aedibus priuatis, ut gentilium res satis digne possent exponi, priuata scriptione prouisum et consultum esse consequitur. Tum uero in memoriam posteritatis etiam ipsae orationes litteris consignabantur atque cum ceteris eius gentis ornamentis et monumentis in tablinis adseruabantur,[2]) ex quarum numero, ut omittam eas, de quibus nihil aliud quam eas dictas esse accepimus (cf. Lewis, *Untersuch.* I p. 192), harum notitia ad nos peruenit:[3])

1. Omnium antiquissima est laudatio L. Caecilii Metelli a. 221. 533 (Drumann h. R. II p. 19) a filio habita. Plin. VII 139. Secuntur:

2. laudatio M. Claudii Marcelli a. 208. 546 a filio habita, in qua pluribus eius mors erat enarrata. Liu. XXVII, 27.

3. laudatio Q. filii consularis, quam habuit Q. Fabius Maximus inter a. 207. 547 et 203. 551 (Du Rieu de gent. Fab. p. 360). Plut. Fab. 1: *οὐ γὰρ ἐπῆν ὡραϊσμὸς οὐδὲ κενὴ καὶ ἀγοραῖος χάρις, ἀλλὰ νοῦς ἴδιον καὶ περιττὸν ἐν γνωμολογίαις σχῆμα καὶ βάθος ἔχων, ἃς μάλιστα ταῖς Θουκυδίδου*

---

nere et sanctitas regum, qui plurimum inter homines pollent, et caerimonia deorum, quorum ipsi in potestate sunt reges.

[1]) Hunc enim ordinem, quamquam mirus est, diserte indicat Polybius VI 54, 1 *πλὴν ὅ γε λέγων ὑπὲρ τοῦ θάπτεσθαι μέλλοντος, ἐπὰν διέλθῃ τὸν περὶ τούτου λόγον, ἄρχεται τῶν ἄλλων ἀπὸ τοῦ προγενεστάτου τῶν παρόντων καὶ λέγει τὰς ἐπιτυχίας ἑκάστου καὶ τὰς πράξεις.*

[2]) Cicer. Brut. 16, 61: *Nec uero habeo quemquam (Catone Censorio) antiquiorem, cuius quidem scripta proferenda putem, nisi quem Appi Caeci oratio haec ipsa de Pyrrho et nonnullae mortuorum laudationes forte delectant. et hercules hae quidem exstant: ipsae enim familiae sua quasi ornamenta ac monumenta seruabant et ad usum, si quis eiusdem generis occidisset, et ad memoriam laudum domesticarum et ad illustrandam nobilitatem suam. quamquam his laudationibus* et q. s. Itaque arte coniunxit laudes funebres et librum conmentarium de familia Porcia Gellius XIII 20 (19), 7.

[3]) Enumerauimus tamen eas tantum modo, quae ante Caesaris mortem dictae sunt.

προσεοικέναι λέγουσι. διασώζεται γὰρ αὐτοῦ λόγος, ὃν εἶπεν ἐν τῷ δήμῳ, τοῦ παιδὸς αὐτοῦ μεθ' ὑπατείαν ἀποθανόντος ἐγκώμιον. Cic. de senect. 4, 12.[1])

4. 5. laudationes P. Scipionis Africani a. 129. 625 a C. Laelio Q. Tuberoni et Q. Fabio Maximo scriptae. Meyer or. Rom. rel. p. 174 sq.

6. 7. laudationes Iuliae amitae et Corneliae uxoris a Caesare quaestore a. 68. 686 habitae. Meyer p. 413 sq.

8. 9. laudationes Appii Claudii Pulchri soceri, qui a. 48. 706 in Euboea mortuus est, et M. Porcii Catonis Vticensis auunculi, qui a. 46. 708 se interemit, a M. Iunio Bruto scriptae. Meyer p. 448 et 450.[2])

Cum his uero laudationibus cohaerent stemmata,[3]) quibus eadem fere quae in foro publice exposita erant, contracta et in alarum parietibus depicta indicabantur. nam non solum mera nomina et nudi honores titulis uel elogiis,[4]) quae maiorum imaginibus subscribebantur, continebantur sed etiam rerum gestarum breuis conspectus.[5]) itaque semper gentilibus gentis suae memoriae quasi summarium ante oculos erat propositum: qua re cui Romano non iniectum esse existimas studium et in superiores res inquirendi nobilitatemque generis augendi et, ne qua res a se gesta obliuione obrueretur, praesentes in scriptum referendi? Originem autem trahit etiam hic mos stemmata depingendi et imagines constituendi ex tempore satis antiquo. nam iam Appius Claudius Caecus, qui consul fuit a. 307. 447 et 296.

---

[1]) Etiam l. Bruti s. l. Ciceronem de laudationibus, quae M. Porcio Catone antiquiores essent, ita loqui quasi sibi notae essent, modo uidimus.

[2]) Laudationes Porcias ideo supra non recensuimus, quia non potest dignosci, de quibus dictae sint, quamquam ex eis quae antea (§ 10) exposuerat Gellius de M. Porcii Censorii nepotis (cos. 118. 636) eloquentia cum aliqua probabilitatis specie laudationes ab hoc habitas Gellio in manibus fuisse conligi potest. Mercklin *Citiermeth. d. Gell.* p. 678.

[3]) Cf. de eis praeter ceteros Becker ant. II 1 p. 229 sqq. Marquardt IIII 1 p. 245 sqq. Mommsen C. I. L. I p. 277 sq.

[4]) Recte G. Curtius (*Ber. d. sächs. Gesellsch.* 1864 p. 1) hanc uocem ex u. *ἐλεγεῖον* deriuandam esse docuit.

[5]) Prima quaeque Suetonii uitarum capita originem ducere ex elogiis saepe est animaduersum. cf. Galb. 3: *Imagines et elogia uniuersi generis exsequi longum est.* Mommsen *röm. Forsch.* I p. 251 n. 2.

458[1]) cum Bellonae templum aedificasset, clipeatas imagines maiorum suorum omnibus honoribus additis in eo templo publice in excelso posuit: quod cum quis facturum fuisse arbitretur, nisi iam dudum ille mos priuatim peruulgatus fuisset?

Quae cum ita sint, satis multa et expressa uestigia eo mihi ducere uidentur, ut historiam quandam, quae res gestas non solum indicaret sed etiam enarraret, prius priuatim de gentibus et familiis quam publice de ipsa re publica scribi coeptam esse putem.

Quamquam diserta Porciorum tantum modo conmentariorum gentiliciorum memoria nobis seruata est a Gellio n. A. XIII 20 (19), 17: *Haec Sulpicius Apollinaris audientibus nobis [de genere atque nominibus gentis Porciae] dixit, quae postea ita esse, uti dixerat, cognouimus, cum et l a u d a t i o n e s f u n e b r e s et l i b r u m c o m m e n t a r i u m de familia Porcia legeremus.* Tamen etiam in gentium Fabiae et Valeriae tablinis largam monumentorum domesticorum copiam iacuisse eis, quae qui inde scriptores prodiere, Fabii Pictores et Valerius Antias de gentium suarum laudibus exposuerunt, satis euincitur. neque enim hos tanta inpudentia usos esse credibile est, ut illas totas fingerent et conminiscerentur. immo sumendum est, narrationum quasi fundamenta ab eis in gentium suarum tablinis iam inuenta neque quidquam aliud ab eis factum quam ut haec exornata et hic illic aucta cum eis contaminarent, quae aliunde de ipsius rei p. rebus acceperant uel conquisiuerant, atque ita continuam rei p. Romanae memoriam pertexerent. praeter has autem etiam ceteras gentes nobiles plerasque rebus suis describendis et in maius extollendis operam dedisse et per se ueri est simile et certis quibusdam indiciis confirmatur.

Nimirum ad augendam nobilitatis laudem mentiri apud Romanos non solum non turpe sed etiam probum honestumque habebatur[2]), atque eo potissimum tempore, cum studium familiarum Romanarum origines ad Troianos referendi existeret et breui magis magisque increbesceret, atque etiam Graeculi, ut patronos

---

[1]) Plinius (XXXV 12), cui hanc rem debemus, quod ad App. Claudium cos. a. 495. 259 rettulit, erroris conuictus est a Mommseno in corp. inscr. lat. I l. s.

[2]) Cf. Plin. XXXV 8, ubi ueteres mores laudat: *E t i a m m e n t i r i c l a r o r u m i m a g i n e s e r a t a l i q u i s u i r t u t u m a m o r.*

adularentur, in eam rem inuaderent et conmenta sua probaturi uel libros amplos cum magna doctrinae specie conponerent, prorsus inepta et insana excogitata sunt, quibus, quamuis ab omni fide abhorrerent, tamen fuerunt qui fidem haberent uel, ne summorum quorundam uirorum qui de his rebus scripserunt memoriam offendam, ab aliis haberi uellent. uelut, ut paucis me contineam exemplis, Nautia gens originem trahebat a Naute, Aeneae comite, qui Palladium Romam detulerat (Fest. p. 166 M. Seru. Aen. V 704), Cloelia a Clolio, Caecilia, quae erat gens plebeia, a Caecade aliaeque ab aliis Aeneae comitibus (Schwegler h. R. I p. 334 sq.), tum Aemilia ab Ascanio (Paul. p. 23), Mamilia a Mamilia Telegoni filia (Fest. p. 130), Iunia, gens plebeia, non solum a L. Iunio Bruto, qui Romanos Tarquiniorum tyrannide liberauerat, sed etiam a Iunio, qui item cum Aenea in Italiam uenisse fingebatur (Dionys. IIII 68). aliae etiam ad deos origines suas referebant, ut Iulia ad Venerem et Fabia (Plut. Fab. 1) et Antonia (Plut. Ant. 4. Drumann h. R. I p. 59) ad Herculem. denique Caesar in ea quam supra tetigimus laudatione in foro pro rostris Iuliae amitae maternum genus cum Anco Marcio rege, paternum cum Venere coniungere non erubuit (Suet. Caes. 6), et Elogius quidam, cum alii Vitelliorum originem nouam et obscuram atque etiam sordidam esse dicerent, ad Q. Vitellium diui Augusti quaestorem libellum misit, quo continebatur *Vitellios Fauno Aboriginum rege et Vitellia, quae multis locis pro numine coleretur, ortos toto Latio imperasse* (Suet. Vit. 1). Atque huic quidem mendaciorum inpudentiae doctissimi quique uiri et antiquitatis Romanae peritissimi, ut taceam de Vergilio poeta, T. Pomponius Atticus (Hullemann de Att. p. 190 sq. Teuffel, *röm. Litteraturg.* p. 244 sq.), M. Terentius Varro (Seru. Aen. V 704. Ritschl mus. Rh. n. VI p. 507 sq.), C. Iulius Hyginus (Seru. V 389) non solum non obuiam iere sed etiam peculiaribus libellis de familiis Troianis, i. e. de eis gentibus Romanis, quae a Troianis oriundae esse uellent, editis adiuuere, magis gentium patriciarum splendori quam ueritati inseruientes.

His igitur nugis inpune indulgebatur neque eae a quoquam quantum scimus coercebantur. quod tamen aliis rebus, quae ad ipsius urbis memoriam pertinerent, effictis familiarum laudi et gloriae consulebatur, falsis triumphis, pluribus consulatibus, generibus etiam falsis et a plebe transitionibus, identidem hoc id-

que acerbe reprehenditur. ut Cicero conqueritur loco Bruti s. l. sic pergens: *Quamquam his laudationibus historia rerum nostrarum est facta mendosior. multa enim scripta sunt in eis, quae facta non sunt, falsi triumphi, plures consulatus, genera etiam falsa et ad plebem transitiones, cum homines humiliores in alienum eiusdem nominis infunderentur genus: ut, si ego me a M.' Tullio esse dicerem, qui patricius cum Seruio Sulpicio consul anno decimo post exactos reges fuit.* cum similibus querellis Liuius octauo libro finem inposuit (VIII 40, 4): *Vitiatam memoriam funebribus laudibus reor falsisque imaginum titulis, dum familia ad se quaeque famam rerum gestarum honorumque fallenti mendacio trahunt. inde certe et singulorum gesta et publica monumenta rerum confusa. nec quisquam aequalis temporibus illis scriptor exstat, quo satis certo auctore stetur.* idemque discrepantias quasdam, quas in annalibus suis offenderat, ita explicat, ut unam memoriam quae minus placeat, falsis imaginum titulis tribuat (IIII 16, 3): *Hunc Minucium apud quosdam auctores transisse a patribus ad plebem undecimumque tribunum plebis cooptatum seditionem motam ex Maeliana caede sedasse inuenio. ceterum uix credibile est numerum tribunorum patres augeri passos, idque potissimum exemplum a patricio homine introductum; nec deinde id plebem concessum semel obtinuisse aut certe temptasse. sed ante omnia refellit falsum imaginis titulum paucis ante annis lege cautum, ne tribunis collegam cooptare liceret.* XXII 31, 11 (ubi Q. Fabius Maximus utrum dictator an pro dictatore fuerit quaerit): *Res inde gestas gloriamque insignem ducis et augentis titulum imaginis posteros, ut, qui pro dictatore fuisset, dictator crederetur facile obtinuisse.* Etiam omnia, quae de rebus ante cladem Gallicam gestis peruulgata essent, nobilium quorundam uirorum gratia efficta esse adfirmat Clodius quidam, scriptor ceterum ignotus, apud Plutarchum (Num. 1): *Κλώδιός τις ἐν ἐλέγχῳ χρόνων (οὕτω γάρ πως ἐπιγέγραπται τὸ βιβλίον) ἰσχυρίζεται τὰς μὲν ἀρχαίας ἐκείνας ἀναγραφὰς ἐν τοῖς Κελτικοῖς πάθεσι τῆς πόλεως ἠφανίσθαι. τὰς δὲ νῦν φαινομένας οὐκ ἀληθῶς συγκεῖσθαι δι' ἀνδρῶν χαριζομένων τισὶν εἰς τὰ πρῶτα γένη, καὶ τοὺς ἐπιφανεστάτους οἴκους ἐξ οὐ προσηκόντων εἰσβιαζομένοις.* denique M. Valerius Messalla, cum familiam quandam aliena laude falso adscita se iactantem conspexisset, uehementi ira incensus

etiam librum de eius generis familiis scripsit, ut ait Plinius n. h. XXXV 8: *Similis causa Messalae seni expressit uolumina illa quae de familiis condidit, cum Scipionis Pomponiani transisset atrium uidissetque adoptione testamentaria Saluittonis — hoc enim fuerat cognomen — Africanorum dedecori inrepentem Scipionum nomini.* cf. XXXIIII 137. Wiese de Messal. p. 46. 74.

Neque iniuria ab his scriptoribus haec mendaciorum crimina in familiarum Romanarum nobilitatis augendae studium congesta esse etiam nunc facile uidemus. atque de eis quidem, quae Fabii et Valerii de gentilium suorum factis praedicauere, postea, ubi de earum gentium scriptoribus data opera disputabimus, quae dicenda sunt, adferemus. nunc mentio fiat C. Mucii illius, quem, cum esset patricio genere natus, plebeia Muciorum gens sibi uindicauit, cui, ut suum Scaeuolae cognomen interpretaretur, fabulam illam manus tostae excogitatam inputauit, quae postea a Liuio quidem sine dubitatione recepta est (uid. Schwegler II p. 183 sq.), L. Iunii Bruti, item patricio genere nati, cuius patriae liberatae laudem, quamquam omnibus liberis orbatus decesserat[1]), quae postea floruit gens Iuniorum plebeia nescio quibus conmentis adripuit, Calpurniorum gentis plebeiae, quae a Calpo, Numae Pompilii filio, se ortam esse uellet atque etiam Numae imagine numos suos ornaret (Drumann II p. 59). sed haec exempla unius fictionum generis sufficiant, quibus inuita ueritate gentes familiaeue Romanae fraudis stemmatis inlatae manufesto coarguantur. quantum uero eandem libidinem in actis triumphalibus[2]) et in fastis consularibus, in quibus nunc minus certo eius uestigia perspicimus, grassatam esse putas?[3])

---

[1]) Dionys. V 18 *γενεὰν οὔτε ἄῤῥενα καταλιπὼν οὔτε θήλειαν, ὡς οἱ τὰ Ῥωμαίων σαφέστατα ἐξητακότες γράφουσι.* cf. Drumann IIII p. 2 sq. Schwegler I p. 786.

[2]) Aucti triumphorum numeri unum apertum exemplum habemus in elogio quodam (Corp. i. L. I p. 278), in quo pro duobus tres sunt dati L. Aemilio Paulo triumphi. cf. Mommsen a. h. l. et *röm. Münzwesen* p. 633. Simile aliud in L. Cornelii Scipionis Barbati (cos. 298. 456) elogio sibi indagasse uisus est Ihne h. R. I p. 389 sq.

[3]) Liuius quidem omni spe se superiorum annorum res in ordinem redacturum esse abiecta tandem animum fatigatum in haec uerba effundit (II 21, 4): *Tanti errores inplicant temporum aliter apud alios ordinatis magistratibus, ut nec qui consules secundum quosnam nec quid quoque*

Sed ut unde digressi sumus eo redeamus: uidimus non paucas quasdam sed plerasque gentes cupiditate illa splendidioris maiorum nobilitatis adripiendae flagrasse et in ea re mendaciorum inpudentissimorum crimina in se suscipere quam lubidini suae temperare maluisse. Hoc autem studium se non continuisse intra domus cuiusque parietes, sed etiam memoriam publicam eodem conruptam et confusam esse auctores nobis sunt Clodius et Liuius l. s. s. quamquam qua id ratione fieri potuerit, certa desunt testimonia. nisi pontifices quosdam suarum gentium laudibus amplificandis obsecutos neglecta religione res suopte ingenio fictas in annales publicos intrusisse opinamur, id quod mihi quidem minus placet, nescio an nulla alia inueniri possit quam haece: accepimus enim, cum urbs a Gallis incenderetur, conplures familias sedes ac domicilia habuisse in Capitolio et arce (Liu. V 50, 4), de quo loco deiecti sunt post M. Manlii Capitolini iudicium (Schwegler III p. 299). itaque etiam tablina earum in incendio illo intacta manserunt[1]), atque cum annales publici, si qui iam tum fuerunt, eo consumpti essent (uid. supr. p. XVI), quid est ueri similius quam in illis restituendis et ab origine urbis repetendis pontifices maximos haec adiisse et harum familiarum gentiumque laudes in suas tabulas transtulisse, translatas quasi publica auctoritate sanxisse? hinc uero etiam hoc explicatur, unde factum sit, ut talis rerum primo liberae rei p. saeculo gestarum memoria ad nos perueniret, quae contineretur et copiosa singularum quarundam gentium factorum enarratione et eorum annorum, quibus hae gentes quieuisse uidentur, perbreui et exili rerum indice. simul suspicio augetur, et illarum laudes supra modum amplificatas inlustratasque et ceterarum nimium obscuratas esse.[2])

---

anno actum sit, in tanta uetustate non rerum modo sed etiam auctorum digerere possis. cf. Nitzsch, m. Rhen. n. XXIIII p. 148.

[1]) Etiam Liuius VI 1, 2 pleraque tantum modo monumenta priuata incensa urbe interiisse rettulit.

[2]) Ceterum memoriae gentiliciae uestigia non ducunt ultra liberae rei p. aetatem. nam si solos Horatios excipis, nulla gens regum temporibus in uulgari fama praeter ceteras floret. nec hoc me mouet, quod hic illic apud inferiores scriptores gentium quarundam auctores iam sub regibus de ciuitate bene meritos esse inuenitur. tum uero primos liberae rei p. annos occuparunt Valerii, quibus succedunt Fabii, quorum conmentariis res quasdam

Quoniam uero ad annales publicos reficiendos conplurium gentium monumenta erant adhibenda, neque pontifices artis criticae exercendae periti fuisse existimandi sunt, fieri non potuit, quin interdum eadem res, quam propter discrepantias quasdam eandem esse non dispiciebatur, ad diuersos annos relata identidem indicaretur. cuius erroris exempla etiam nunc apud Liuium exstare uidentur, ex quibus duo potissimum iam a Niebuhrio proposita nunc lubet iterare.

Liuius enim (II 16, 8)[1]) P. Postumio Agrippa Menenio cos. (503. 251) omne Auruncum bellum Pometiam esse conpulsum paucis exponit, tum etsi non diserte addidit, tamen ita pergit, quasi ipsa Pometia urbs esset expugnata: *nec magis post proelium, quam in proelio caedibus temperatum est: et caesi aliquanto plures erant quam capti, et captos passim trucidauerunt. ne ab obsidibus quidem qui trecenti accepti numero erant, ira belli abstinuit. et hoc anno Romae triumphatum.* deinde autem idem (c. 17) insequentis anni (502. 252) consules Opitrem Verginium Sp. Cassium iterum Pometiam magna cum ui oppugnantes facit pluribusque, posteaquam etiam Romani cladem accepissent, tandem urbem traditam esse narrat: *ceterum nihilo minus foede dedita urbe quam si capta foret, Aurunci passim principes securi percussi, sub corona uenierunt coloni alii, oppidum dirutum, ager ueniit. consules magis ob iras grauiter ultas quam ob magnitudinem perfecti belli triumpharunt.* denique a. 259. 495 a Vulscis, qui Romanorum legionibus territi essent, obsides trecentos principum a Cora atque Pometia liberos datos esse refert (c. 22, 2), quos octo annis ante iam trucidatos esse rettulerat, et breui post (c. 25, 5) tertium Suessam Pometiam,

---

clade Gallica antiquiores conprehensas fuisse indiciis satis probabilibus docetur. uid. infra. — Ad quam aetatem ueteres illi conmentarii propagati sint, non liquet. Liuius quidem (VIII 40, 5) auctorem, qui Samnitium bellis aequalis fuerit, non uidit, atque etiam Dionysius I 73 scripsit *παλαιὸς μὲν οὖν οὔτε συγγραφεὺς οὔτε λογογράφος ἐστὶ Ῥωμαίων οὐδὲ εἷς.* nec Varronem aut Verrium eis usum esse ullis testimoniis conprobatur (quod moneo propter Schweglerum II p. 14). utrum uero illa aetate iam interierint an ab scriptoribus neglecta iacuerint an aditus ad ipsa tablina gentilia eis, qui non essent eiusdem gentis, clausus fuerit, discerni nequit.

[1]) Cf. Niebuhr h. R. II p. 104. Schwegler I p. 13. II p. 701 sq. Nitzsch, m. Rh. n. XXIIII p. 149.

quo Vulsci hostes confugissent, legionibus ductis intra paucos dies a P. Seruilio consule captam.

Hic igitur ter eandem rem diuersis annis a Liuio expositam habes.

Alterum exemplum hoc est.[1]) Cum enim Fabii ad Cremeram essent trucidati (a. 477. 277), T. Menenio consule, qui hostibus obuiam missus erat, pulso Tusci Ianiculum occupant atque etiam Tiberim transeunt urbemque obsedissent, 'super bellum annona premente', ni Horatius consul ex Vulscis esset reuocatus. tum primo pugnatum est ad Spei aequo Marte, iterum ad portam Collinam, in quo proelio res Romana paruo momento superior fuit (II 51, 1—2). Idem uero paucis rebus mutatis etiam insequenti anno A. Verginio Sp. Seruilio cos. accidisse Liuius scripsit (§ 4—9). Iterum enim Tusci in Ianiculo castra habent. tum primum in insidias a Romanis pertracti multos amiserunt, sed ira incitati traiecto Tiberi castra Seruilii consulis adorti sunt oppugnare, unde magna cum caede fusi in Ianiculum se aegre recepere. sequitur eos Seruilius consul atque et felici prioris proelii euentu ferox et inopia frumenti coactus[2]) castra hostium adgreditur. *foediusque inde pulsus quam pridie pepulerat, interuentu collegae [Verginii] ipse exercitusque est seruatus. inter duas acies Etrusci, cum inuicem his atque illis terga darent, occisi.*

Neque uero Liuium, conplures auctores temere exscribenti, uitio id dandum est. nam Dionysius etsi priore loco cautius egit, semel a Seruilio consule Suessam Pometiam expugnatam et trecentos obsides Vulscorum trucidatos esse narrans (VI 25—30)[3]), de Veientium tamen bello, ubi diuersarum narrationum, quae coniunctae erant, dissensio paulo maior esset, non minus est deceptus quam Liuius. quo quidem Liuii Dionysiique consensu non Liuium primum tam neglegentem et ita praestrictis oculis fuisse sequitur, ut eandem rem bis diuersis annis apud auctores suos se legere non intellegeret, sed tribuendum esse hunc erro

---

[1]) Niebuhr h. R. II p. 232. Schwegler II p. 702. 754.

[2]) Vides multa ex hac re translata esse ad bellum Porsenae exornandum.

[3]) Noli enim ad meliores eum fontes quam Liuium adiisse opinari. Niebuhr h. R. II p. 104.

rem scriptorum stultitiae, qui aliquanto ante Liuium Dionysiumque annales conposuerint. nam quamquam utriusque narrationes in eisdem fundamentis quasi exstructas esse adparet, tamen quae inter eos intercedunt discrepantiae tantae sunt, ut Liuium et Dionysium ex eodem fonte sua hausisse concedi non possit. apud Dionysium (VIIII 33) Menenius consul post cladem Fabiorum non obuiam est missus hostibus, sed, cum illi caederentur, cum exercitu suo iam prope Cremeram ipsumque illum caedis locum erat atque sola inuidia est inpeditus, ne illis auxilio ueniret. tum uero eius proditionis meritas iustasque poenas soluit, nam Tusci uictoria sua elati eum adoriuntur castrisque exuunt. hic igitur illud tantum modo Menenium consulem a Veientibus uictum esse Liuius et Dionysius consentiunt, de ceteris in diuersas partes abeunt. tum uero ut Liuius, ita Dionysius, etsi hic ut adsolet, pluribus uerbis, Horatii alterius consulis interuentu, qui ex Vulscis esset arcessitus, urbem obsidione liberatam esse scripsit paucisque uerbis addit ad Spei et ad portam Collinam duobus proeliis esse decertatum (c. 24), ita tamen, ut ille a Romanis aequo, hic secundo Marte pugnatum esse, ille paruo momento rem Romanam superiorem fuisse, hic splendidam uictoriam reportatam esse referat. insequentis anni narrationes apud utrumque initium capiunt a uastis Veientium populationibus fameque inde in urbe exorta, tum iterum discedunt atque hoc unum commune habent, proelio ad Ianiculum conmisso Seruilium consulem nimia sui fiducia abreptum Verginii conlegae interuentu esse seruatum.

Ex his igitur, quae consulto diligentius disputauimus, satis antiquum illum errorem fuisse sequitur, non ex aetate Liuio Dionysioque proxima. iam uero utriusque belli prima fama exilis tenuisque est et cui maior fides adiungatur digna, altera copiosior atque uerbosior eaque ita conparata, ut tota pertineat ad Verginiae gentis gloriam atque laudem.[1]) unde aut totus fallor aut haec altera fama est tribuenda Verginiorum maiores am-

[1]) Mirum est quod etiam alia consulum nomina in utriusque belli uariis famis fere eadem sunt. Suessae enim Pometiae expugnatae laus tribuitur aut Postumio Menenioque, aut Verginio Cassioque aut Claudio Seruilioque, bellum cum Veientibus geritur aut ab Horatio Menenioque aut a Verginio Seruilioque. itaque etiam Meneniae et Seruiliae gentis commentarios ad memoriam constituendam adhibitos esse

plificandi cupiditati originemque ducit ex eorum conmentariis domesticis. ex patricia autem Verginiorum gente quemquam historiae scribendae operam dedisse neque memoriae est traditum neque, cum eius memoria non descendat infra annum 296. 458,[1]) ueri simile. atque quoniam usque ad id tempus, quo illa fraus historiae esse inlata uidetur, uix quisquam scriptor in talia aliarum gentium monumenta, si quidem omnino eis, qui non essent eiusdem generis, licuit, inquisiuit, iam tum, cum ad memoriam publicam restituendam summa cum cura omnia conquirerentur, Verginiae gentis effictam laudem annalibus publicis insertam esse certe probabile est. utique hoc constat, iam antiquitus multum ualuisse monumenta priuata ad res Romanas in eam formam redigendas, quae nunc uulgatur.[2])

Sed ut historia pontificum publica multa debuisse uidetur conmentariis domesticis, ita etiam libera, ut ita dicam, priuatorum hominum historia ab eisdem exorsa est. neque enim casu accidit, ut unus ex Fabia potissimum gente historiae Romanae parens esset. immo ipsa fontium domesticorum ubertate Q. Fabium Pictorem ad res Romanas scribendas adductum esse recte iudicauit G. Bernhardy (*Röm. Litteraturg.* p. 227). iam per se intellegitur necessario admodum dissimiliter scriptas fuisse singulas eius historiarum partes. nimirum cum eae tantum modo res, quibus Fabii interfuissent, in eius gentis tablino plus minusue adcurate expositae exstarent, etiam Fabii Pictoris enarratio eisdem finibus circumscripta erat. praeterea quaedam ex fabulis famaque, qualis tum ferebatur in uulgi ore, magnam partem oratione soluta, de quibusdam rebus numeris inclusa, maxime de urbe condita condendaue, hausit, de ceteris tamen rebus, quas quidem ipse non uidisset, soli ei patebant annales publici, quorum ieiunitatem in magna historiarum Fabianarum parte conspicuam fuisse auctor nobis est Dionysius. tum uero

---

putarem, nisi ei ipsi qui ex eis prodiere consules propter res gestas acerbissime reprehenderentur.

[1]) Haackh in *Paul. Realencykl.* VII p. 2666. cf. Mommsen *röm. Forsch.* I p. 110.

[2]) Totius ciuitatis res iam ante Fabium Pictorem et Cincium Alimentum a priuatis hominibus descriptas esse frustra probare studuit Schwegler I p. 12. 14. II 3. neque enim ulla talium librorum uestigia cernuntur.

quo propius ad suam accedebat aetatem, eo largior ei suppetebat materia neque ab eo spreta est.[1])

Filum autem orationis idem fere erat etiam in hisce historiis quod in annalibus publicis, quorum siccitas prima historiae Romanae aetate non data opera per omnes aequabiliter partes sed paulatim hic illic ubi casus plura suggerebat, narratione uberiore et adcuratiore uidetur esse expulsa.

Denique ut breui conprehendamus quae disseruimus, ex duobus initiis exorsam esse historiam Romanam uidimus, ex annalibus publicis et ex commentariis gentium Romanarum priuatis, ita tamen, ut plus ualerent pontificum annales, quippe qui omnes res Romanas conplecterentur, quibus quasi per excursus gentium quarundam res copiose enarratae insererentur, atque post longum demum tempus historia Romana huius originis ex pontificum officina profectae indiciis se exueret.

---

[1]) Quae et hic et in inseq. capite desideras testimonia, inuenies in commentariis, quibus postea unius cuiusque scriptoris uitam et scripta persequemur, ubi quae hic primis lineis adumbrata sunt enarrabuntur.

III

HISTORIAE ROMANAE AETATES PRIMIS LINEIS ADVMBRATAE

Eodem uero tempore quo Q. Fabius Pictor initium fecit memoriam Romanam scribendi et in publicum emittendi, etiam alii eandem uiam ingressi sunt, unde uulgare tum desiderium fuisse sequitur res a se et a maioribus gestas cognoscendi, quod ut explerent, conplures simul operam darent. nec id mirum otio post bellum Hannibalicum reddito animisque rerum gestarum conscientia confirmatis atque elatis, praesertim cum iam antea Cn. Naeuius bello suo Punico primo tale studium in ciuium animis seu excitasset seu auxisset. Aequalis igitur fuit Fabio L. Cincius Alimentus, cuius memoria quod a recentiore quodam Cincio obscurata aut deturbata est uehementer dolemus. uerum tamen illud constat, et admodum similem fuisse eius historiam Fabianae et ipsum Cincium, etsi ex gente plebeia erat, senatorii ordinis fuisse. idemque etiam de eis, qui horum uestigia legere, aut pro certo adfirmare aut suspicari possumus, de Cornelio Scipione Africano, Africani maioris filio, de A. Postumio Albino, de C. Acilio. erant enim omnes summis locis nati eidemque multum in re publica foroque uersati, quos historia non totos occuparet, sed quorum horas tantum modo subseciuas, idque plerumque honorum spatio decurso consumeret.[1]) quod

---

[1]) Hac re historicos Romanos differre a Graecis iam Cicero monuit (de orat. II 13, 55). satis fecerunt igitur Polybio talia postulanti (XII 28, 3). *κἀγὼ δ' ἂν εἴποιμι διότι τὰ τῆς ἱστορίας ἕξει τότε καλῶς, ὅταν ἢ οἱ πραγματικοὶ τῶν ἀνδρῶν γράφειν ἐπιχειρήσωσι τὰς ἱστορίας — ἢ οἱ γράφειν ἐπιβαλόμενοι τὴν ἐξ αὐτῶν τῶν πραγμάτων ἕξιν ἀναγκαίαν ἡγήσωνται πρὸς τὴν ἱστορίαν. πρότερον δ' οὐκ ἔσται παῦλα τῆς τῶν ἱστοριογράφων ἀγνοίας.*

studium nobilitatis per longum tempus quasi proprium mansit, et cum cetera litterarum genera homines libertini aut obscuro loco nati conderent et exercerent, historia a nobilibus, quorum nomina etiam rebus gestis inclaruere, retinebatur, dum Sullae aetate L. Voltacilius Plotus, primus omnium libertinorum etiam in historiam inuasit. totam autem operam ab homine nobili spretis honoribus in historia scribenda conlocari etiam insequenti aetate tam insolitum erat, ut Sallustius quidem et cum bellum Catilinarium et cum Iugurthinum scripturus esset, in prooemiis pluribus sibi hoc consilium defendendum esse existimaret.

Iam uero cum illi quos supra enumerauimus homines non solum genere nobiles sed etiam Graecis litteris docti essent et — — id quod de Albino quidem et Acilio constat — philosophiae Graecae periti, contempta patriae linguae barbarie et rusticitate praetulerunt in scribendo sermonem Graecum, ut aditus ad eorum libros solis pateret hominibus doctis. nec ipsam orationem fuisse horridam agrestemque, etsi relliquiae uerbis seruatis ad nos peruenerunt nullae, tamen ex magna eorum qui scripsere, doctrina et elegantia certo licet suspicari. uetat hoc in primis Scipionis Africani, hominis elegantissimi, nomen. Minus tamen magna inaequabilitas qua singulae memoriae Romanae partes enarratae erant, artis legibus respondebat. copiosa enim cum ubertate exposita erat urbis origo et quae insequebantur tempora, tum admodum exiliter et anguste, ita ut saepe nil nisi nomina exhiberentur[1]), raro gentium quarundam facta pluribus describerentur, res pertexebantur usque ad eius qui scribebat aetatem, denique haec ipsa succrescente materia tam adcurate enarrabatur, ut Fabius quidem propter hanc historiarum suarum partem belli Hannibalici potissimum scriptor diceretur, cetera quasi prooemii loco praemissa neglegerentur. sed hoc uitium non tam ipsorum erat quam rerum memoriae, qualis eis tradita erat, quam repraesentare, non augere aut amplificare illi sibi proposuerant.

Quoniam autem hice scriptores multum operae dederunt

---

[1]) Tales igitur annales Liuius in manibus habuit, cum scriberet IIII 20, 9: *Nam etiam illud accedit, ne tam clara pugna in eum annum transferri posset, quod inbelle triennium ferme pestilentia inopiaque frugum circa A. Cornelium consulem* [a. 428. 316] *fuit, adeo ut quidam annales uelut funesti nihil praeter nomina consulum suggerant.*

Graecis litteris, erunt qui quae fabulae inde translatae in res Romanas inuectae eisque quae antiquitus a Graecis receptae erant, additae sunt, horum ingenio tribuant, uelut quod Sextus Tarquinius eodem dolo Gabinos fefellisse narratur, quo apud Herodotum (III 154 sqq.) Zopyrus Babylonios (Schwegler I p. 769. 789), quod Tarquinius Superbus eadem ratione consilium Sexto filio significauit qua apud Herodotum (V 92) Thrasybulus tyrannus Periandro (Schwegler l. s.), et omnino Superbi imago multis rebus exornata exstat, quae sumptae sunt a tyrannis Graecis (Schwegler I p. 780 sq.), deinde quod bellum Veientum ultimum transformatum est in belli Troiani similitudinem (Schwegler III p. 217. C. Peter hist. Rom. I p. 179), plurima alia. sed etsi cum desint certa testimonia, haec quaestio uix solui poterit, mihi tamen a Fabii et Cincii ingeniis haec imitatio prorsus abhorrere uidetur et repetenda ab inferiorum scriptorum fingendi lubidine. etiam hoc uno illo loco Plutarchi, qui de urbis origine Fabio Dioclem Peparethium, scriptorem cetera ignotum, auctorem fuisse censet, uix probabitur, iam tum aut Graeculos quosdam res Romanas occupasse leuiterque suis conmentis insertis conmutasse et exornasse aut scriptores Romanos fontibus patriis anteposuisse Graecas fabulas. Sermo igitur tum fuit Graecus, res Romanae fuisse existimandae sunt. [1])

Haec uero historia post A. Postumii Albini ridiculam Graecorum imitationem in longum tempus prorsus infamata et remota est, quamquam ille Graecos secutus etiam *πραγματικῶς* historiam scribere conatus erat. exstitit enim M. Porcius Cato, qui et facetiis inrisioneque Albini ineptias insectaretur et ipse patria oratione usus res Romanas usque ad suam aetatem persequeretur. Libri autem eius originum septem hoc quidem habebant cum Fabii Cinciique historiis conmune, quod prima liberae rei p. saecula admodum breuiter perstricta, contra et quae

---

[1]) Hic locum habeto etiam P. Cornelius Scipio Nasica (cos. 162. 592 et 155. 599), qui cum bello Persico interfuisset, scripsit *περὶ τῶν πράξεων τούτων ἐπιστόλιον πρός τινα τῶν βασιλέων.* Plutarchus eam epistulam citauit in uit. Aemil. Paul. c. 15. 16. 21 atque pugnam Pydnensem secundum eam narrasse uidetur. plura tamen de ea re non accepimus. soli enim Plutarcho eius notitiam debemus. uid. de Plutarch. font. p. 86 sqq.

insequebantur et quae antecedebant tempora, copiosius enarrata erant. at cum illi in hac rerum Romanarum parte annalium maximorum ieiunitatem religiose imitati essent, hunc piguit exiguas res, quae in tabula apud pontificem maximum erant, exhibere, ut speciem quandam continuae historiae efficeret. qua re omissis illis grauiores tantum res et de quibus plura memoriae tradita essent, posuit capitulatim, id est ita, ut parum curaret, si qua tempora uacua intermitterentur, filumque memoriae et narrationis abiceret. Sed etiam alias ob causas Cato dignus est, a quo nouae historiae Romanae aetatis initium fiat. primum enim se non inclusit intra urbis Romae fines, sed totam Italiam amplexus alterum et tertium librum solis tribuit ciuitatibus Italicis, tum uitas et locos singularum gentium descripsit neque contentus fuit solas res quae gestae essent recensuisse, denique magna cum diligentia etiam in ceterarum ciuitatum Italicarum monumenta inquisiuit et quae ex eis usui esse possent originibus suis inseruit.

Sed quo melius Cato de historia est meritus, eo magis dolendum est, quod qui post eum annales condidere, quamquam item sermonem peregrinum repudiauere, tamen ad annalium formam reuersi praepositis consulum, ut uidetur, nominibus[1]) res secundum annos deduxerunt atque hoc unum a Catone didicere, ut antiquitatum rationem haberent, de quibus quidam etiam peculiaribus libris egerunt. Eorum primus uidetur fuisse L. Cassius Hemina, qui paulo post Catonis mortem annales suos edidit. sequebantur alter Fabius Pictor et Q. Fabius Maximus Seruilianus (cos. 142. 612), quos, ne gentis suae laus aliorum libris Latinis, qui post Q. Fabii Pictoris Graecos annales editi erant, remoueretur et obliuione obrueretur, quae quondam Q. Fabius Pictor Graece, Latine eaque uberius et copiosius persecutos esse existimandum est, tum L. Calpurnius Piso (cos. 133. 621). is uir uere Romanus non id tantum egit, ut certiores ciues fierent de rebus a maioribus gestis sed etiam antiquorum morum integritate et sanctitate depicta eorum mores corrigere et emendare in animo habuit. erat autem eius ingenium ieiunum et siccum, ut non solum exiliter scriberet sed etiam a priscis fabulis mythicum colorem abstergeret omniaque

---

[1]) Mommsen chronol. p. 186 n. 376.

fingendi studium breui multum creuit in rerum scriptoribus, propinquitas autem historiae et eloquentiae tam arta esse coepit, ut qui in foro causisque, eidem fere annalium uel historiarum ad naturae leges reuocaret.[1]) minus certa conperimus de C. Sempronii Tuditani (cos. 129. 625) et de C. Fannii (cos. 122. 632) annalibus, de quibus nihil nisi hoc constat, eos eadem fere ratione qua qui ante scripsere spretis orationis ornamentis res ab urbis origine ad suam aetatem persecutos esse, idque de C. Fannio eo magis mirabimur, quod et philosophiae studio deditus et multum in causis foroque uersatus erat. Denique huc Ciceronis auctoritate fretus pertinere censeam Cn. et A. Gellios, quamquam Gnaeum quidem propter narrationis prolixitatem — — minimum enim nonaginta septem libros conposuit — magis Valerii Antiatis et Claudii Quadrigarii similem esse dixerim.

Insignem autem locum dedit Cicero L. Coelio Antipatro, C. Fannii fere aequali. relicto enim superiorum scriptorum more res ab urbis origine per annos deducendi breue quoddam temporis spatium elegit, in quo adcurate et diligenter describendo maiorem operam conlocare et uberiores fontes adire posset. solum igitur enarrauit bellum Punicum alterum, idque ita, ut quae artificia et praecepta ad id temporis in orationibus adhiberi solebant, ab eo in historiam transferrentur. cum arte enim quadam, de qua ipse in prooemio professus est, et ipsas res exornauit et orationes a se fictas interposuit. quod utrumque, quantum scimus, primus nouauit. nam etsi iam ante eum in Catonis originibus multae orationes exstabant, hae tamen ab ipso erant habitae et ita receptae ut dictae erant aut ut dictas eas esse uolebat existimari Cato. contra Coelius cum etiam Poenos loquentes induceret, Graecorum exemplum imitatus has orationes non rerum testimonia sed artis rhetoricae specimina esse uoluit eisque tamquam luminibus historias inlustrare. a qua aetate orationes

---

[1]) Scite iudicauit de his fabulis Liuius in praefatione § 6: *Quae ante conditam condendamue urbem poeticis magis decora fabulis quam incorruptis rerum gestarum monumentis traduntur, ea nec refellere nec adfirmare in animo est. datur haec uenia antiquitati, ut miscendo humana diuinis primordia urbium augustiora faciat, et is cui populo licereo portet consecrare origines suas et ad deos referre auctores, ea belli gloria est populo Romano* et q. s.

laude florerent.[1]) in qua quidem re constat totum Coelio adstipulari Ciceronem. nam etiam huic uidebatur historia esse *opus unum oratorium maxime* (de legg. I 2, 5) et sophistarum arti finituma (orat. 20, 66) eiusque generis, quod Graece ἐπιδεικτικὸν nominabatur (orat. 11, 37), idemque historiam ita seruire eloquentiae arbitrabatur, ut concessum esse diceret rhetoribus ementiri in historiis, ut aliquid dicere possent argutius (Brut. 11, 42[2]). uides igitur qua de causa Coelius adeo placuerit Ciceroni eumque quasi parentem fuisse eius de historia opinionis, quae per longum tempus acri rerum cognitioni plurimum obesset.[3]) quamquam Coelius etiam in rebus magna usus est diligentia. de una quidem re uel tres auctores eum consuluisse conperimus, nec desunt in eius auctoribus Fabius et Cato, locupletissimi testes. at inductus, credo, studio quam adcuratissime res depingendi et oculis quasi obiciendi non acquieuit in patriis scriptoribus sed etiam aliunde materiam sibi adsciscebat. ita delatus est ad Silenum, Hannibalis comitem, qui bellum Hannibalicum Alexandrographorum ratione descripserat, eiusque narrationis genus imitatus et augendo res numerosque et miracula, somnia, alias res incredibiles inuehendo quasdam partes ita transformauit, ut fabulam romanensem, quae uocatur, non historiam ab eo scriptam esse putes.

Cum uero aliud consilium et aliam rationem res enarrandi Coelius sequi constitueret, idem etiam inscriptionem a superioribus diuersam libris suis dedit. illi enim inscripserant a n n a l e s, hic h i s t o r i a s. de quorum uerborum discrimine antiquitus multum est disputatum. ac primus quidem Sempronius Asellio (fr. 1), qui item annalium inscriptionem spreuit, sic in prooemio librorum suorum quid uellent annales definiuit: *Annales libri tantum modo quod factum quoque anno gestum sit, ea demonstrabant ita quasi qui diarium scribunt, quam Graeci ἐφημερίδα*

---

[1]) Quod tamen Nitzsch in *Sybel. Zeitschr.* XI p. 14 et m. Rhen. n. XXIII p. 610 sq. orationes, quas apud Dionysium legimus, ab eo non fictas sed ex auctoribus suis translatas esse iudicauit, recte iam reiecit Mommsen in Herm. IIII p. 10 sq.

[2]) Rectius tamen de historia iudicat de orat. II 15, 62—64, ubi primam ei legem esse praedicat, ne quid falsi dicere audeat.

[3]) Cf. Quintil. X 1, 4 *Historia — est proxima poetis et quodam modo carmen solutum et scribitur ad narrandum non ad probandum.*

uocant. tum quid ipse spectaret, sic exposuit: *Nobis non modo satis esse uideo quod factum esset, id pronuntiare sed etiam quo consilio quaque ratione gesta essent demonstrare.* Deinde Verrii Flacci aetate fuerunt, qui, cum utraque esset rerum gestarum narratio, earum tamen proprie rerum esse *historiam* arbitrarentur, quibus gerendis interfuisset is qui narraret. Verrius autem ipse, qui de ea re egit in libro de significatu uerborum quarto, etsi dubitare se super ea re dicit, tamen illam opinionem non omnino reiecit, quod ἱστορία apud Graecos significaret rerum cognitionem praesentem.[1]) Denique A. Gellius peculiare caput (V 18) huic quaestioni tribuit, sed nusquam quid ipse senserit aperit contentusque est conplurium aliorum sententias effudisse. itaque eis quas modo recensuimus sententiis etiam has addidit, quas sua aetate audiuisset: *Sed nos deinceps audire soliti sumus, 'annales' omnino id esse, quod 'historiae' sint, 'historias' non omnino esse id, quod 'annales' sint: sicuti, quod est homo, id necessario animal esse, quod est animal, non id necesse est hominem esse. ita 'historias' quidem esse aiunt rerum gestarum uel expositionem uel demonstrationem uel quo alio nomine id dicendum est, 'annales' uero esse, cum res gestae plurium annorum obseruato cuiusque anni ordine, deinceps componuntur.* uel ex hoc fonte uel ex eodem ex quo Gellius sua hauserunt Isidorus orig. I 40, 1: *Historia est narratio rei gestae, per quam ea quae in praeterito facta sunt, dinoscuntur. dicta autem Graece historia ἀπὸ τοῦ ἱστορεῖν, id est a uidere uel cognoscere. apud ueteres enim nemo historiam conscribebat, nisi is qui interfuisset et ea quae scribenda essent uidisset.* et Seruius ad Aen. I 373: *Inter historiam et annales hoc interest: historia est eorum temporum, quae uel uidimus uel uidere potuimus, dicta ἀπὸ τοῦ ἱστορεῖν i. e. uidere. annales uero sunt eorum temporum annorumque, quae aetas nostra non uidit. unde Sallustius ex historia, Liuius ex annalibus et historia constat. haec tamen confunduntur licenter.* Sunt igitur duae sententiae, in quas discedunt ueteres scriptores. ex una enim historiae eas tantum modo res conplectebantur, quibus is qui narraret interfuisset, annales res altius repetitas; ex altera annales ex enume-

[1]) Cf. Polyb. IIII 2, 2 τοὺς χρόνους — τοὺς πίπτοντας ὑπὸ τὴν ἡμετέραν ἱστορίαν. constat tamen uocis ἱστοριῶν uim etiam latius patere atque omnino libros historicos ea significari.

ratione fastorum et rerum secundum fastos digestarum[1]) constabant, cum historiae πραγματικῶς res explicarent. sed, ut me contineam intra huius uoluminis fines easque inscriptiones omittam, quae uarie adferuntur, uelut Licinii Macri, Claudii Quadrigarii, Valerii Antiatis librorum, priori sententiae maxime obstat Aelius Tubero, qui, quamquam ab origine urbis res deduxit, tamen libros suos historias inscripsit. propius ad ueritatem altera sententia accedere uidetur. sumpta enim est historiarum uox a Graecis, in quorum historiis cum tum res non simpliciter enumerarentur sed 'quo consilio quaque ratione' gestae essent demonstraretur, non mirabimur, quod qui scriptores hanc rationem et uiam a Graecis mutuati sunt, etiam inscriptionem, qua a superioribus scriptoribus Romanis distinguerentur, indidem transtulerunt. iam uero consentaneum est, hac ratione initio quidem non omnes res Romanas potuisse explanari, sed breuius aliquod spatium, atque, cum tempora antiqua ad id parum essent idonea, si qui pragmatice scribere uellent, electum esse propius tempus. unde ita has sententias conparatas esse intellegimus, ut neutra ad ipsam causam, cur historiarum inscriptio praelata sit, penetret, propius tamen ipsam rem altera sententia tangat, cum prior in externis rebus haereat.[2]) Itaque recte maior testium pars libros Heminae, Pisonis, Seruiliani, Fabii Pictoris (lat.), Fannii, Quadrigarii, Antiatis, Macri inscripsit annales, Coelii, Asellionis, Sisennae historias.[3])

Eadem uero aetate qua Coelius etiam alii a trita historiae uia declinare conati sunt. uelut C. Sempronius Gracchus libro quodam fratris consilia demonstrauit et defendit, similique

---

[1]) Cf. Cicer. epist. ad diu. V 12: *Ordo ipse annalium mediocriter nos retinet quasi enumeratione fastorum.*

[2]) Taciti potissimum libros respicientes de hac re egerunt Niebuhr *Ueber den Unterschied zwischen Annalen und Historien* in mus. Rhen. II p. 284 sqq., *Schriften 2. Sammlung* p. 229—241 et Fr. Thiersch, *Münch. gel. Anzeigen* 1848 II p. 40 sqq.

[3]) Quod Aelius Tubero, cum ab origine urbis res repetiisset, historias libros inscripsit, aut pragmatice omnes res Romanas uidetur uoluisse enarrare aut, id quod mihi magis placet, quod discrimen intercederet, non perspexit et sine iudicio uulgatam eorum qui tum scribebant consuetudinem secutus est. cf. Mar. Victor. exp. in Cic. de inu. p. 5 Or.: *Primum annales fuerunt, post historiae factae sunt.*

consilio aliquot annis post M. Aemilius Scaurus, P. Rutilius Rufus, Q. Lutatius Catulus, L. Cornelius Sulla de suis ipsi uitis commentarios conposuere, tum Cn. Aufidius, P. Rutilius Rufus, L. Licinius Lucullus rursus Graece res Romanas scribere coepere, quorum tamen libri tum perpaucis placuerunt. denique prodiit Sempronius Asellio, qui fortasse Polybii exemplum secutus (Nitzsch, Polyb. p. 115) rationem res pragmatice explicandi, qua iam antea Coelium usum esse uidimus, ita excoluit, ut in prooemio etiam causas, cur a uulgari historia decedendum esset, demonstraret idemque sua historia non solum scientiam et cognitionem memoriae patriae augere sed etiam moribus ciuium emendatis rei publicae prodesse studeret, cum uiros bonos alacriores redderet ad rem p. defendendam, malos deterreret a sceleribus.[1]) ornamenta tamen orationis spreuisse magisque res quam uerba spectauisse uidetur.

Sed hoc non ita dolendum est, quod Coelii ratio res rhetorice exornandi nancta non est, qui imitarentur — nam Cicerone teste (de legg. I 2, 6) Gellii et Clodius, qui ei successerunt, nihil erant ad Coelium sed potius ad antiquorum languorem et inscitiam —: multo magis illud damno fuit historiae Romanae, quod nemo uiam ab Asellione monstratam ingressus est.

Qui enim postea historia inclaruere, Q. Claudius Quadrigarius et Valerius Antias denuo maius annorum spatium amplexi, cum timerent, ne siccitas quorundam annorum taedium legentium moueret, ita eorum animos oblectare et quasi titillare conati sunt, ut, ubi certa memoria deficeret, ipsi suis fictionibus et commentis lacunas explerent, alias res mutare et augere non uererentur omniaque prolixe et fuse persequerentur (Schwegler I p. 67). Hi uero ita tum placuisse ceterosque auctores ita obscurasse et remouisse uidentur, ut lineamenta eius memoriae, quae nunc de antiquis temporibus apud Liuium et Dionysium extat, ad horum ingenia referenda esse uideantur. grauior tamen mendacii nota inusta est Valerio, cuius leuitas paene in prouerbium abiit, nec iniuria. tanta inpudentia res uel remotissimas

[1]) Cf. Liu. praef. 10: *Hoc illud est praecipue in cognitione rerum salubre ac frugiferum, omnis te exempli documenta in inlustri posita monumento intueri, inde tibi tuaeque reipublicae quod imitere capias, inde foedum inceptu, foedum exitu, quod uites.*

et spissis tenebris inuolutas se adcurate conpertas habere simulabat, numeros caesorum inmodice augebat, ita ut non milia tantum adferret sed etiam numeros denarios adscriberet, fabulas a se ipso excogitatas inserebat, res traditas, ut altius animos legentium conmouerent, mutabat, denique monumenta Valeriorum tablini in eorum laudem conposita in libros suos transferebat aliosque honores et ornamenta ipse addebat. Sed Valerius etiam ab urbe condita libris minimum septuaginta quinque res repetiit et suae historiae lumine inlustrare conatus est, modestius Claudius Quadrigarius, cum quae ante incendium Gallicum gesta essent, in tanta fontium inopia se adcurate enarrare posse desperaret, se continuit intra trecentos annos, qui inde usque ad suam aetatem erant, idemque Coelium, ut uidetur, secutus etiam epistulas aliaque documenta rhetorice efficta narrationi intexuit. fides tamen eius haud pluris est aestimanda quam Valerii, nam etiam apud hunc inmensi illi numeri, quibus laetatur Valerius, inueniuntur. Tertius his accedat L. Cornelius Sisenna (praetor 78. 676. mortuus 67. 687), quamquam hic quidem suae aetatis res enarrandas suscepit. sed cum illorum utroque commune ei hoc est, quod maxime Clitarchi, qui Alexandri Magni uitam rhetorice exornauerat et propter mendacia male audiebat, exemplum imitatus item res ad fabularum romanensium modum persecutus est, ita ut ne turpes quidem iocos historiae inserere erubesceret, ad quod scribendi genus esse ductus uidetur Aristidis Milesiis, quae ab eo in Latinum sermonem uersa esse constat. tum, ut erat antiquitatis amator Plautique admodum studiosus Claudii Quadrigarii uestigia legens etiam in historia uetustum dicendi genus consectatus est orationemque distinxit et uariauit uerbis priscis et horridis. denique ut Antias Valeriorum gloriae seruierat, ita hic Corneliis maximeque Sullae deditus, quemadmodum Sallustius indicat, parum libero ore locutus est. Ne multa, tum historiam Romanam in transuersum actam et in periculo esse uides, ne prorsus degeneret et relabatur ab eo gradu, quo Coelii et Asellionis potissimum opera euecta erat.

Interea tamen cancelli, quibus nobilitas historiam circumscripserat, perrupti erant a L. Voltacilio Ploto, Cn. Pompeii Magni praeceptore, qui teste Cornelio Nepote 'primus omnium libertinorum scribere historiam orsus est, nonnisi ab honestis-

simo quoque scribi solitam ad id tempus'. possis suspicari tandem aliquando, cum antea nobilitas memoriam ad suum arbitrium transformasset laudes ad se trahens, dedecora plebi inputans, res Romanas sola ueritatis ratione habita tractatas et scriptas esse. sed longe aliter res accidit. totos enim se dabant illi libertini patronorum gloriae et commodis et adulationis cupiditate pellecti etiam magis memoriam corruperunt et uitiarunt.

Multo plus historiae prodesse poterat antiquitatis studium tum maxime efflorescens. cum enim post L. Aelium Stilonem magis magisque in prisca monumenta inquiri coeptum esset, diu haec studia seiuncta manserunt, donec C. Licinius Macer (tribunus pl. 73. 681. mortuus 66. 688), uir summae diligentiae, ea coniunxit et quae antiquarii indagauerant, in historiae usum conuertere animum induxit. sed iam plura saecula interiecta erant, quam ut antiquae illae res ad ueritatem exigi possent. tum et deerat Licinio acre iudicium, quo falsa monumenta a ueris dignosceret, nec a se inpetrare potuit, ut omnino dirimeret historiam ab arte rhetorica et breuius quoddam temporis spatium adcurate examinaret et describeret. itaque cum ex uulgari more omnes res Romanas conplecteretur, factum est, ut non ita magni fructus ex illo studio redundarent. Idemque dicendum est de Q. Aelio Tuberone, qui item antiquitati multum operae dabat, sed, si ex paucis fragmentis licet coniecturam facere, ea re differebat a Macro, quod, cum orationum artificia rhetorica minus curaret, fabulis quibusdam incredibilibus insertis et sermonis antiqui adfectatione animos oblectare studuit.

Maxime uero ut ceteras litteras, ita etiam historiam Romanam adiuuit et promouit Graecorum adsidua lectio et imitatio, qua contigit, ut diuersa eius genera Ciceronis aetate satis breui tempore laetius excolerentur. T. enim Pomponius Atticus Ciceronis libris, quos de re publica a. 54. 700 scripsit, inpulsus ueterum rerum Romanarum memoriam ita conprehendit, ut omnes leges, paces, bella, omnes denique res inlustres suo quamque tempore notaret et, si Ciceroni et Cornelio Nepoti credimus, pro summa quae in eo erat antiquitatis cognitione et acumine subtilitateque ingenii firma eis, qui postea res Romanas expedituri essent, fundamenta iaceret. tum M. Terentius Varro, qui si

quisquam antiquitatis Romanae peritus erat, simili libro rebus Romanis consuluit, denique Cornelius Nepos cum summa diligentia non solum sui populi res sed etiam aliorum perscrutatus post Lutatii communes historias primus artos fines, quibus ad id tempus historia Romana se intra suorum ciuium res incluserat, transiit atque libris suis multum lectitatis etiam externorum uirorum cognitionem Romae aperuit. quo quidem in studio postea Trogum Pompeium potissimum habuit successorem.[1]

Minorem curam in ipsis rebus antiquitateque peruestigandis posuit C. Sallustius Crispus — nam cum historiam conponere adgressus esset, L. Ateius Philologus, homo libertinus et Graecus, eum breuiario rerum Romanarum, ex quibus quae uellet eligeret, instruxit —.[2] inclaruit potius rhetorice scribendi genere, quo summa cum arte usus est praecipue in hominum moribus et animis eorumque motibus depingendis, ut inde res gestas explicaret et deriuaret. Omnes autem qui et ante et post scripserunt, longe superauit T. Liuii facundia et lactea ubertas, quem quae quis acri destitutus iudicio neque fontium auctoritate diligenter examinata et aestimata summa in historia praestare possit, ea praestitisse inter omnes satis constat.

Denique commentariorum genus nanctum est C. Iulium Caesarem, ut id quoque illa aetate excoleretur et perficeretur ceterisque generibus aequaretur.

Sed adhuc nihil fere aliud quam qua arte illi historici res descripsisse et exornasse uideantur explicauimus: superest ut unde res describendas acceperint addamus et qua ratione auctoribus suis usi sint. qua in quaestione exordiendum est a commentatione hac Caroli Peteri: *Das Verhältniss des Liuius und Dionysius von Halicarnass zu einander und zu den älteren Annalisten* (progr. Tanglim. 1853). illic enim primum, quod de medii aeui historicis ab aliis erat animaduersum[3]), etiam in Ro-

---

[1]) Cf. Iustin. praef. 2: *Nam cum plerisque auctoribus singulorum regum uel populorum res gestas scribentibus opus suum ardui laboris uideatur, nonne nobis Pompeius Herculea audacia orbem terrarum adgressus uideri debet, cuius libris omnium saeculorum, regum, nationum populorumque res gestae continentur?*

[2]) Sueton. de clar. gramm. 10.

[3]) L. Ranke, *Zur Kritik neuerer Geschichtsschreibung* p. 9 sq. cf.

manos cadere demonstratum est, qui denuo res susciperent enarrandas, religioni eos non habuisse non solum ipsa facta non mutata aut denuo examinata ab eis qui antea eadem tractauerant, in libros suos transferre sed saepe etiam uerba retinuisse, cum contenti essent proprio Marte res, quae post illorum aetates acciderant usque ad suam aetatem adiecisse. qui mos conpilandi quamuis a nobis nunc ut homine honesto et docto indignissimus respuatur, tamen et medii aeui scriptorum similitudine et certis quibusdam indiciis satis conprobatur. nec id adeo mirum in antiquis quidem scriptoribus, qui, ut tum erant hominum ingenia, non distinguentes inter ipsa facta eorumque descriptionem utrumque omnibus conmune esse putabant et historiae criticae, quae nunc uocatur et exercetur, genus omnino ignorabant et historici munus se expleuisse opinabantur, si superiorum scriptorum orationem limauissent et perpoliuissent. [1])

Quamquam in tanta fragmentorum quae ex ueteribus annalibus ad nos peruenerunt paucitate et exiguitate unum [2]) habemus eius usus uestigium apud Gellium X 24, 7, qui postquam ex Coelio illud consilium a Maharbale post pugnam Cannensem Hannibali datum rettulit, hoc adnexuit, et historiam et uerbum *die quinti* a Coelio sumpta esse ex originibus M. Catonis atque

---

Wattenbach, *Deutschlands Geschichtsquellen* p. 118. 131. 313. 342. multis aliis locis.

[1]) Cf. Liu. praef. 2: *Quippe qui cum ueterem tum uulgatam esse rem [dicere se operae pretium facturos] uideam, dum noui semper scriptores aut in rebus certius aliquid adlaturos se aut scribendi arte rudem uetustatem superaturos credunt.*

[2]) Quae enim alia adlata sunt exempla aut adferri poterunt, aut omnino nihil ualent aut incerta sunt. ut quod quae uerba Gellius ex Claudio inseruit (fr. 13. 22. 23. 24), Nonius ex Coelio, non sunt ea transscripta a Claudio ex Coelio, ita ut Gellius sua ex Claudio, Nonius ex Coelio sumpsisse existimandus sit, sed per errorem Nonii, id quod nunc ab omnibus fere conceditur, falso ad Coelii auctoritatem relata (Kretzschmer de Gell. font. p. 33. Hertz in Iahn. annal. 85 (1862) p. 721). — Tum ad campi Tiburtis naturam describendam teste Prisciano Cassius Hemina eadem fere uerba facit (fr. 29 *In campo Tiburte ubi hordeum demessuerunt*) quae ante eum Cato (fr. 57 *In campo Tiburti ubi hordeum demessuit, idem in montibus serit, ubi hordeum idem iterum metit*). sed fateor etiam hic mihi mendum subesse uideri. cf. infr. de Cat. uit. et scr.

ipsis Catonis uerbis insertis recte sic iudicatum esse nobis persuasit (Cat. fr. 86. Coel. fr. 25 c. adnot.). sed multa alia etsi minus clara sunt, uidemus apud Liuium, quem quod *omnes annales* de aliqua re secutum esse identidem praedicat (Lachmann d. font. Liu. I p. 25. C. Peter l. s. s. p. 5), nisi uero eum inpudenter ementitum esse putas, in illis de summis quidem rebus eadem fere scripta inuenisse sequitur.[1] tum etiam hoc nunc satis inter omnes constat nec Dionysium Halicarnasensem Liuio nec Liuium Dionysio usum esse; atqui plurima apud eos sunt ita conparata, ut alterum ab altero in suum sermonem uersum et in libros suos paene non mutatum translatum esse dicas. ex qua difficultate, quoniam illis locis[2] semper ad eosdem auctores utrumque delatum esse uix est credibile, nisi illius ueterum annalium rationis meminerimus, omnino non emergemus. C. Peter l. s. p. 11. Denique etiam inde quod apud Liuium in quarta et quinta decade in fine unius cuiusque anni res eas adnotatas esse inuenimus, quas a pontificibus propter conlegas potissimum litteris mandatas esse perspicuum sit, ut nemo fere nisi sacerdos curaret, hoc consequitur, ea quae ex annalibus maximis in ceteros annales transierunt, paene intacta per conplurium manus usque ad Liuium deuenisse. neque enim Liuius ipse annales maximos in usum suum uocauit. cf. Nitzsch mus. Rhen. n. XXIII (1868) p. 601.

Huic uero rei noli ita occurrere, ut eam ob causam illos scriptores inter se consentire dicas, quia uterque uera litteris mandauerit. hae enim nugae sunt, quae et ipsa rerum, quales nobis traditae sunt natura et aliis monumentis satis redarguuntur. immo quae nunc legimus de rebus a Romanis usque ad Pyrrhi fere bellum gestis maximam partem ficta et commenticia sunt, atque quod de summis rebus inter scriptores grauiores discrepantiae non intercedunt, ea ipsa re factum est, quod, posteaquam illorum temporum memoria et famae licentia lubidineque aucta amplificataque et pontificum ingeniis expleta et retractata Fabii et Cincii historiis, Ennii annalibus — nam etiam

[1]) Similiter Cicero de re quadam anni 490. 264: *Omnes hoc historici Fabii, Gellii sed proxime Coelius.* (Fab. fr. 15,)

[2]) Paucos quosdam iam adscripsit pater l. s. p. 6 sq. ceteros ego propediem inter se conponam.

hic nihil aliud quam uersibus historiam scripsit hic illic ornamentis poeticis adspersis scaenisque quibusdam secundum Homerum descriptis[1]) — confirmata et quasi sancta est, ceteri qui post scriberent, auctorum suorum narrationes repetebant, ipsorumque opera et studium continebatur aut rebus usque ad suas aetates ex memoria pertexendis et adnectendis aut gentium familiarumque laudibus, quae ex tablinis gentilibus depromebantur, enarrandis et celebrandis. ipsum filum orationis a ueteribus auctoribus translatae raro tangebatur et temptabatur. de quo iudicio unum excipio Catonem, qui cum fastidiret res traditas recoquere, qua erat adsiduitate et ingenii acumine, quoad eius tum fieri potuit, denuo eas perpensitauit et examinauit fontesque obliuione obrutos reclusit et aperuit, idque non solum Romae sed etiam in aliis Italiae urbibus, quae item tablina sua habebant (Schwegler I p. 40. Mommsen h. R. I p. 454). at ceteri si quando ad ipsos fontes descendebant, non uia ac ratione progrediebantur, sed si qua fors obtulerat, ea adripiebant librisque suis inserebant. quam ob rem totus a uero aberrasse uidetur Dionysius Halicarnasensis cum scriberet (I 73): *παλαιὸς μὲν οὖν οὔτε συγγραφεὺς οὔτε λογογράφος ἐστὶ Ῥωμαίων οὐδὲ εἷς· ἐκ παλαιῶν μέντοι λόγων ἐν ἱεραῖς δέλτοις σωζομένων ἕκαστός τις παραλαβὼν ἀνέγραψεν.* immo perpauca tum ex litterarum aliisue monumentis in historias fluxisse existumandum est[2]), atque quod centum amplius annis post Fabium Pictorem et Cincium Alimentum ex Claudii Quadrigarii et Valerii Antiatis officinis uetustissimorum temporum memoria uberior et prolixior prodiit, id illa non debuit largioribus ex antiquitatis monumentis haustibus, sed et ipsorum fictioni et eorum gentilium gloriae cu-

---

[1]) Etiam ueteres scriptores eius testimoniis ut historici uti solebant, ut Varro (de l. l. V 55) de Tatiensium et Ramnensium origine quaerens citat una cum Iunio Gracchano, antiquario illo litteratissimo, Ennium, et Cicero (Brut. 15, 57) M. Cornelii Cethegi eloquentiae auctorem et idoneum quidem sua sententia Q. Ennium esse dicit (cf. et § 60). cf. Lewis, *Glaubwürdigk. d. röm. Gesch.* I p. 57 sqq.

[2]) Mommsen h. R. I p. 212. — Quod apud Plautum in Menaechm. 248 Messenio, quem poeniteat dominum per maria et terras uagantem sequi, ex Menaechmo quaerit: *Quin nos hinc domum redimus, nisi si historiam scripturi sumus*, de Graecis hoc, non de Romanis historicis est dictum.

piditati, per quam maiorum facta in commentariis gentilibus descripta et exornata exstabant. quamquam paullo post hos C. Licinius Macer, Catonis exemplar imitatus, rursus historiam et antiquitatis studium, quod illa aetate florebat, consociare conatus libros certe linteos in aede Monetae repositos multum usurpauit, qua in re habuit Aelium Tuberonem successorem. plura tamen nec de huius nec de ceterorum scriptorum antiquae memoriae fontibus proferre possumus. adeo pauca et tenuia sunt eius rei indicia nec nostrae operae esse duximus ea recensere, quae forsitan ab illis in usum uocata esse uideantur, praesertim cum hi historiae Romanae fontes iam ab aliis diligenter enumerati et examinati sint, in primis a Schweglero I p. 1—35.

Atque haec quidem de eis rebus, quae priusquam historiae luce inlustrarentur, gestae sunt. accedimus ad id tempus, cuius res cum gererentur, a conpluribus simul litteris mandabantur, de quibus fieri non poterat, quin saepe in diuersas partes memoria discederet. nam constat haud raro testes oculatos eandem rem memoriae prodentes inter se discrepasse, nedum eos qui tantum modo audiuissent. adde quod tum etiam Graeci animos ad res Romanas aduertere atque nonnumquam ab hostium parte infestisque animis eas describere coeperunt. itaque cum de superioribus temporibus parui interfuisset, quis potissimum auctor adhiberetur — apud omnes enim eadem fere legebantur — de insequentibus, quoniam testium uarietas uix quemquam fugere poterat, eis qui ad historiam sese adcingerent, ante omnia cum cura et circumspectione aliquis auctor erat eligendus, cui propter fidem uel alias uirtutes praecipue sese addicerent. uerum tamen, quorum auctoritas plurimi aestimata ceterisque praeposita sit, de ea re, ne hariolationis crimen subeamus, uel coniectura abstinebimus — quamquam Fabium iam tum propter antiquitatem suam multum adhibitum esse certe ueri simile est —. de uno Coelio Antipatro certiora conperimus. sed huic ipsi illa optio haud feliciter cessit. nam cum bellum Hannibalicum rhetorice adornaturus esset, incidit in Silenum, hominem Graecum Hannibalisque admiratorem et auctorem malae fidei, eumque primarium ducem secutus multa temere ex fama, qualis ab Hannibalis amicis ficta erat, in memoriam Romanam inuexit. fuisse autem eundem constat historicum non contemnendum nec, ne quid de eius dignitate iniuste detrahatur, praetermittendum est, eum de

morte Marcelli, cum scriptores inter se discrepare animaduertisset, etiam tres testes, in eis ipsum filium, patris laudatorem, citasse. Sed singula quaeque de fontibus, quibus quisque scriptor esse usus uideatur, si qua dici poterunt, infra persequemur. hoc loco mihi propositum fuit, ut in uniuersum de ueterum historicorum fontibus et qua ratione ex eis hausissent, disputaremus.

IIII

QVA RATIONE HAE RELLIQVIAE NOBIS TRADITAE SINT

Relliquiarum quae infra secuntur duo genera sunt. unum enim ipsorum uerborum uel rerum grammaticarum studio debetur, quo ex scriptoribus uerba quaedam cum tenui quaeque enuntiati frustulo enotabantur, alterum historiae uel antiquitatis tractationi, qua totae sententiae excerptae recipiebantur. itaque plurimas prioris generis habemus apud Diomedem, Charisium, Priscianum, Nonium, alterius apud Ciceronem, Liuium, Dionysium, Plinium, Plutarchum, Censorinum, Solinum, Arnobium, utriusque apud Varronem, Festum, Gellium, Seruium, Macrobium, quippe qui scriptores utroque studio ad antiquos scriptores peruoluendos et lectitandos ducti sint. sed ex hac studiorum diuersitate illic ipsa scriptorum uerba, ut de eis sponderi posse uideatur, hic res tantum modo, ut ab eis expositae erant, nobis seruata esse sequatur. uerum tamen quod discrimen inter illa duo genera intercedit, re uera non est tantum, quantum obiter has res contemplantibus nobis uideri possit. nimirum et qui describebant ipsa uerba, non utebantur ea qua nos nunc religione ac diligentia, et qui res secundum aliquem auctorem pertexebant, ex eo quem supra omnium tum fuisse commemorauimus more, paene inscii saepe etiam uerba in libros suos transferebant. quae quidem res cum plurimis locis, ubi totos libros seruatos inter se conparare licet, uelut Valerii Maximi et Liuii Ciceronisque, Orosii, Eutropii, Flori et Liuii, Ammiani Marcellini et Solini, aliorum[1]) confirmetur, tum etiam in adnotatione nostra multa inuenies exempla, quibus hoc non solum de Liuio sed etiam de Cicerone abunde probatur. cf., ut nunc

[1]) Vel Tacitum artius quam de tali scriptore suspiceris, in historiis suis auctores secutum esse docuimus de font. Plut. p. 28—44.

intra eos scriptores me contineam, quibus plurima debemus fragmenta, ex. gr. de Liuio Fab. Pict. fr. 15 c. adnot. Cat. fr. 86. Pis. 27. Claud. 10ᵇ. 12, de Cicerone Fab. fr. 15. Coel. 19. 20. de Plinio Pis. 27.[1]) simul ex notis nostris perspicies multo plura apud inferiores historicos superiorum latitare fragmenta quam ab ipsis indicata sunt aut a nobis inuestigari potuere. fuit enim hic apud illos mos, ut eorum ipsorum auctorum, quos primarios duces sequerentur, perraro nomina adscriberent[2]), nisi ubi ex aliis auctoribus discrepantias aliquas animaduersas inserturi erant, ut aut illos corrigerent aut doctrinae cuiusdam suae et eruditionis fructu gloriarentur. proinde noli ex ea re quod apud Liuium, Dionysium, Plutarchum auctorum quorundam testimonia saepe reiecta uides temere conligere, omnino eorum auctoritates ab illis parui aestimatas et spretas esse. immo meliore iure hos ipsos praecipuos auctores eis fuisse inde consequi contendas.

Vt uero ad prius fragmentorum genus nos conuertamus, ante omnia hoc tenendum est, minimam eorum partem ex ipsis illis uetustis historicis excerptam esse. quid? quod plurima per duos tresue libros propagata esse adfirmare ausim, priusquam ad illos peruenirent.[3]) uelut Pompeius Festus Verrii Flacci exemplorum horrea expilauit, Charisius Cominiani, Palaemonis, Iulii Romani,

---

[1]) Praeterea cf. de Plinio H. Brunn, *de auctor. indic. Plin.* Bonn. 1856, qui p. 57 sqq. eos locos conposuit, quos Plinius ex Vitruuio sumpsit, cum ipso Vitruuio. potuit addere cum multorum tum Valerii Maximi locos, quos transscripsit Plinius, unde illud saepe etiam uerba auctorum seruata esse confirmatur. — Paullo liberius Graeci scriptores, qui huc pertineant, in auctoribus suis usurpandis uersati sunt. cf. Dionysium et Plutarchum eandem rem ex Fabio referentes fr. 5ᵃ et 5ᵇ c. adn. et de font. Plut. p. 10 sqq.

[2]) Vt alia plurima omittam, nunc id unum moneo, Polybium, cum Liuius ei multo maiorem tertiae quartae quintae decadum partem deberet, nominatim non amplius sex locis laudatum esse, idque de minutis plerumque rebus.

[3]) Patet idem etiam de alterius generis relliquiis dici posse. multa enim in adnotatione nostra exempla adtulimus, ex quibus adpareat, non raro scriptores testes ab aliis adhibitos tamquam a se inspectos laudasse. quamquam quod supra de priore genere dixi, hic non tam late pertinet. Caue tamen ne ex ea re, quod uno alteroue loco aliquis auctor ipse adhibitus esse uideatur, idem etiam de ceteris adfirmes. ut Plutarchus cum in uita Poplicolae ipsum Valerium Poplicolam secutus esset, in uit. Flamin. c. 18 Valerii testimonium ex Liuio (39, 43) de-

ex quibus hic C. Plinii Secundi, Macrobius et Nonius A. Gellii, quem quamuis diligentem uulgo habitum, cum ipsos fontes se adiisse simularet et ementiretur, tamen multa ex aliorum copiis paratis sumpsisse, nunc post I. Kretzschmeri et L. Mercklini quaestiones satis constat multisque exemplis satis satisque euincitur. quae quamuis nota sint eis, qui hisce rebus operam dederunt, tamen non possum non unum hic proponere simul prolatum et a Mercklino (*Citiermethode* p. 641 sqq.) et a Kretzschmero (de Gell. font. p. 13 sqq.). nam si ex ullo loco, hinc intellegimus, quanta audacia illi antiquarii ipsos ueteres auctores a se inspectos esse finxerint. Copiose enim Gellius VIIII 4 narrat se, cum e Graecia rediret et Brundisii e naui egressus in portu illo incluto spatiaretur, fasces librorum uenalium expositos uidisse; auide se adripuisse illa uolumina ex diutino situ squalentia, pauco emisse duabusque proximis noctibus cursim transiisse. tum quaedam mirabilia, quae ex eis excerpserit, addit. eos autem scriptores, quos non paruae auctoritatis esse adfirmat, hos fuisse: Aristeam Proconnesium et Isigonum Nicaeensem et Ctesiam et Onesicritum et Polystephanum et Hegesiam. Hercle uix quisquam audacius ementiri potuit! omnino enim neminem ex illis scriptoribus uidit Gellius sed quae ex eis se excerpsisse declamat, paene ad uerbum descripsit ex Plinii naturali historia, quam ipse Gellius § 7 laudare non erubuit: *Id etiam in isdem libris scriptum offendimus, quod postea in libro quoque Plinii Secundi naturalis historiae septimo legi, esse quasdam in terra Africa hominum familias* et q. s. Quis enim et Gellium et Plinium ex magna illa copia eadem miracula elegisse atque scriptores Graecos in suum sermonem uertentes saepe ad eadem uerba Latina delatos esse credat? sed accedit, quod scriptores illi eodem a Gellio ordine recensentur quo exstant apud Plinium (in libro VII § 11. 12. 23. 28. 207[1]), et quod, qua re omnis dubitatio remouetur, nemini scriptori a Gellio patria est adscripta, nisi cui etiam a Plinio.

---

prompsit (de fontibus Plutarch. p. 4. 82). Similiter Gellius in noctibus Atticis Ateii Capitonis coniectaneorum libros solos VIII et VIIII ante se habuit, cum quae ex aliis libris insereret, aut aliorum diligentiae deberet aut excerptis suis ante congestis. cf. Hertz in Iahn. annal. 85 (1862) p. 55.

[1]) Recte Stiehle (Philol. IIII p. 402) apud Gellium, ubi Polyste-

Sed redeamus unde digressi sumus. uides enim, quam multis obnoxia fuerint casibus illa fragmenta, cum conplurium neglegentias experirentur. quam ob rem non mirabimur, quod plurima in eis insunt menda atque et scriptorum nomina et maxime librorum numeri, ex quibus illa excerpta sint, saepe sunt corrupta. exempla sunt in promptu. ut Nonius uel quater Claudii Quadrigarii fragmentis, quae sumpsit ex Gellii noctibus Atticis, falso Coelii nomen praeposuit (Claud. fr. 13. 22. 23. 24. cf. Kretzschmer p. 33 sq. Hertz in Iahn. annal. 85. p. 721.[1]) tum librorum inscriptiones saepissime ab omnibus fere auctoribus parum adcurate adferuntur, ut Catonis origines a Cicerone dicuntur historiae, Pisonis annales a Plinio modo annales modo conmentarii, Licinii Macri annales a Nonio modo sic modo rerum Romanarum libri. maxime uero historiarum et annalium inscriptiones inter se conmutari solent, uelut Gellius uarie citat Antiatis libros, Priscianus Pisonis, Nonius Cassii Heminae, Cicero Fannii (fr. 7). Eiusdem leuitatis in librorum numeris ueteres scriptores incusandi sunt. nam ut apertissimos quosque errores hic proponam, Nonius cum duos Sisennae histor. libri VI locos ex Gellio in librum suum reciperet (Hertz in Iahn. ann. 85 p. 722), unum locum (fr. 126) ad quintum, alterum (fr. 127) ad primum librum idemque quae Sisennae uerba (fr. 104) p. 423 (Merc.) ad tertium, eadem p. 449 ad quartum rettulit. Priscianus duo Catonis originum fragmenta (58. 57) in libro instit. quarto (p. 129. II.) ex secundo, in libro VII (p. 337. II.) ex primo desumpta esse dicit[2]), atque Cassii Heminae fr. 29. in

---

phani nomen pro Philostephano Pliniano scriptum exstat, librariorum errorem subesse putat.

[1]) Fuerunt quidem etiam nostra aetate (ut Luc. Mueller de re metr. p. 25—28), qui Nonium non Gellio sed utrumque conmuni fonte usum esse opinarentur. neque tamen nunc posteaquam, ut adsolet, diligenter et adcurate M. Hertz in Iahni ann. 85 (1862) p. 705—726. 779—799 in eam rem inquisiuit, quisquam dubitabit, quin Nonio primarius fons fuerit Gellius, quamuis sedulo Gellii usum celare studuerit Nonius. Hertz l. s. p. 715.

[2]) Infra in relliquiis disponendis utrumque in librum secundum recepimus. nam et argumenta melius quadrant in librum secundum quam in primum et ueri similius est Priscianum posteriore loco errasse quam priore. libro enim IIII tria frustula Catoniana coniuncta protulit sic: *Cato Censorius in I originum: — in II: — ibidem: —.* eademque iterauit in libro

inst. libro decimo p. 537 ex libro III, de XII Aen. uers. p. 490 ex quinto. alias discrepantias habes adnotatas in commentario critico ad Cn. Gellii fr. 26 (inter Charisium et Priscianum) et ad Cat. fr. 78 (inter Festum et Seruium).

Denique haud raro seu ipsorum antiquorum scriptorum seu librariorum neglegentia et leuitate etiam ipsa fragmentorum uerba mutata sunt, ita ut aliquot locis[1]) apud Nonium uel ea uox, propter quam exemplum illud ab eius auctore adlatum erat, alia uoce remoueretur. cf. Claud. fr. 35. Sisenn. 63. 70. 119. 122. 126 (quo loco etiam alia Sisennae uerba inmutauit). Caton. fr. 28. 29 cum commentariis. praeterea ab eodem Nonio idem fragmentum uno loco aliter atque altero laudatur (Cass. fr. 35. c. comm.), a Prisciano eadem Coelii uerba (fr. 37) uno loco ad genetiui *alius* formam firmandam adferuntur (p. 303), altero (p. 266) eadem ad *alii* formam (‘*alii’ pro ‘alius’ dixit* cf. comm. a. h. l.). denique uid. Caton. fr. 114 uarie a Charisio et Seruio propagatum.

His igitur adumbratis si nostro ingenio fragmenta illa temptare et coniecturis emendare studuerimus, uix nos nimiae audaciae et temeritatis insimules. at uero idem quam lubricus in talibus frustulis sit coniecturis campus haud ignorabis, quippe quae saepe ab initio ita ex orationis tenore decerpta sint, ut uel uerbo uel alio aliquo enuntiati articulo neglecto sententiam incohatam non explerent, uid. Caton. fr. 111. 112 (ex Festo), Cass. fr. 30. 32. Coel. 36. Claud. 96 (ex Prisciano), Cat. fr. 97. 110. Sisen. 10. 16. 17. 31. 38. 40. 41. 66. 83. 112 (ex Nonio), Claud. 87 (ex Gellio), aut priorem enuntiati partem ex-

---

VII sic: *Cato in I originum: — idem in eodem: —. idem in eodem: —.* quo loco uides, quam facile errare potuerit in scribendo Priscianus, cum priore numerum II falso interpositum esse uix sit credibile.

[1]) Haud ignoro idem etiam aliis locis accidisse, sed nunc in exemplis eligendis consilio me intra huius uoluminis fines continui. — In Cassii fr. 35 (cf. adn.) apud Non. p. 514 scriptura *humanitus* seruanda est, etsi seu Nonius seu librarius id esse testimonio uoluit formae *humaniter*. exempla enim formae *humaniter* et *humanitus* sub uno lemmate confusa sunt. Ribbeck (comic. lat. p. 91) lemma *humaniter* in *humanitus* mutans etiam in eo Turpilii Pedionis fragmento quod Cassiano coniunctum est, in quo nunc est *humaniter*, corrigit *humanitus*. Nec in Sisennae fr. 53, etsi lemma postulabat *fluuios*, ausus sum mutare. cf. comment. a. h. l.

hiberent, omitterent apodosin, uid. Cat. 108. Claud. 16. 20 (ex Gellio), Fann. 1 (ex Prisciano), Tuber. 1. Sisenn. 26. 47. 75. 78. 79. 95. 114. 116. Claud. fr. 33 (ex Nonio), aut sententiae secundariae, quae principali carerent, essent, Ant. 57 (ex Gell.), Claud. 74 (ex Prisc.), Cat. 125. Sisenn. 85. 98. 111. 112 (ex Nonio). itaque coniecturas ex contextu exclusimus, nisi ubi certissimae nobis uidebantur, alias, quas in scriptoris alicuius continuis uerbis sine dubitatione recepissemus, infra in commentario diductis litteris exprimendas curaui, ut facile sub oculos caderent.

DE SCRIPTORVM VITIS ET SCRIPTIS

Q. FABIVS PICTOR[1])

Princeps Pictorum cognomen inuenit Q. Fabius, Marci filius (Plin. XXXV 19), inde, quod parietes aedis Salutis, quam C. Iunius dedicauerat, pinxit anno urbis conditae CCCCL (Valer. Max. VIII 14, 6. Plin. l. s.).[2]) eius duos nouimus filios, unum Gaium, consulem anni 269. 485, alterum Numerium consulem a. 266. 488, quem eodem anno primum de Sassinatibus, deinde de Sallentinis Messapiisque triumphasse acta triumphalia Capitolina testantur (Momms. C. I. L. I p. 457).[3]) horum alteruter uel si quis tertius eorum fuit frater, pater aut, si rationem a Du Rieu p. 152 initam sequeris, auus fuisse uidetur Q. Fabii Pictoris, historici omnium Romanorum antiquissimi, quem cognatione cum Cunctatore coniunctum fuisse Plutarchus (Fab. 18) commemorat. Hunc historicum certo nobis est traditum ab Orosio et Eutropio uel, si eorum fontem communem quaeris, a Liuio, bello interfuisse, quod a. 225. 529 a L. Aemilio Papo C. Atilio Regulo cos. cum Gallis gestum est (fr. 23 c. adn.), deinde a Plinio (fr. 24), rem eum gessisse contra Ligusti-

---

[1]) De Fabio hi uiri docti scripserunt: Moller, *de Fabio Pictore* Altorf. 1689 (qua commentatione, cum olim eam inspexissem, in scribendo uti nec potui nec uolui). H. K. Whitte, *de Q. F. P. ceterisque Fabiis historicis disputatio* Hafn. 1832. E. Baumgart, *de Q. F. P. antiquissimo Romanorum historico part. I* Vratisl. 1842 (altera non prodiit). W. Harless, *de Fabiis et Aufidiis rerum Romanarum scriptoribus* Bonn. 1853. C. W. Nitzsch *Q. F. P. über die ersten Jahre des Hannibalischen Kriegs* in *Allgem. Monatsschrift f. Wiss. u. Litt.* 1854 p. 69. G. N. Du Rieu, *disputatio de gente Fabia* Lugd. Bat. 1856.

[2]) Falso hunc confudit cum Q. Fabio historico Hieronymus ep. 35 ad Heliod. ed. Bened. IIII p. 271: *nobilem uirum Q. Fabium miratur antiquitas, qui etiam Romanae scriptor historiae est; sed magis ex pictura quam ex litteris nomen inuenit.*

[3]) Vide de his Du Rieu p. 143—151 et qui praeter eum diligentissime de Fabiis disputauit, Haackhium in *Pauly Realencycl.* VI 2 p. 2899.

nos, de quibus a. 233. 521 et 223. 531 triumphatum est (act. triumph. Cap. p. 458), ita ut ducis munere fungeretur, qui praesidio Romano a Ligustinis obsesso auxilia adduceret. tum enim hirundinem a pullis ad se adlatam esse scripsit, ut lino ad pedem eius adligato nodis significaret, quoto die adueniente auxilio eruptio fieri deberet. num etiam bello Hannibalico stipendia fecerit, non est memoriae proditum. magis ingenio consilioque patriae profuisse uidetur, nam anno 216. 538 post cladem Cannensem Delphos ad oraculum eum esse missum Appianus Hannib. 27 rettulit: *Ἡ δὲ βουλὴ Κόιντον μὲν Φάβιον, τὸν συγγραφέα τῶνδε τῶν ἔργων, ἐς Δελφοὺς ἔπεμπε χρησόμενον περὶ τῶν παρόντων.* de qua legatione pauca etiam Plutarchus Fab. 18, plura Liuius habet XXII 57, 5 et XXIII 11, 1—6, cuius uerba, quoniam ad ipsum Fabium referenda esse iam alii[1]) suspicati sunt, huc transcribam: *Q. Fabius Pictor Delphos ad oraculum missus est sciscitatum, quibus precibus suppliciisque deos possent placare et quaenam futura finis tantis cladibus foret. — Dum haec geruntur, Q. Fabius Pictor legatus a Delphis Romam redit responsumque ex scripto recitauit. diui diuaeque in eo erant, quibus quoque modo supplicaretur. tum 'si ita faxitis, Romani, uestrae res meliores facilioresque erunt, magisque ex sententia res publica uestra uobis procedet uictoriaque duelli populi Romani erit. Pythio Apollini re publica uestra bene gesta seruataque lucris meritis donum mittitote deque praeda manubiis spoliisque honorem habetote, lasciuiam a uobis prohibetote'. haec ubi ex Graeco carmine interpretata recitauit, tum dixit se oraculo egressum extemplo iis omnibus diuis rem diuinam ture ac uino fecisse, iussumque a templi antistite, sicut coronatus laurea corona et oraculum adisset et rem diuinam fecisset, ita coronatum nauem ascendere nec ante deponere eam quam Romam peruenisset. se quaecumque imperata sint cum summa religione ac diligentia exsecutum coronam Romae in aram Apollinis deposuisse. senatus decreuit, ut eae res diuinae supplicationesque primo quoque tempore cum cura fierent.*

Denique Polybius eum senatorem fuisse et propter uitam et

---

[1]) Dirksen, *Civilist. Aufsätze* I p. 11. Lachmann, de f. Liu. II p. 46. G. Michael, *de ratione qua Liuius in tertia decade opere Polybiano usus sit* (Bonn. 1867) p. 16.

mores bene audisse nos facit certiores (III 9): *ἔνιοι γὰρ οὐκ ἐπὶ τὰ λεγόμενα συνεπιστήσαντες ἀλλ' ἐπ' αὐτὸν τὸν λέγοντα καὶ λαβόντες ἐν νῷ, διότι κατὰ τοὺς καιροὺς ὁ γράφων γέγονε καὶ τοῦ συνεδρίου μετεῖχε τῶν Ῥωμαίων, πᾶν εὐθέως ἡγοῦνται τὸ λεγόμενον ὑπὸ τούτου πιστόν* et I 14, quo loco de Fabio Philinoque agit: *ἑκόντας μὲν οὖν ἐψεῦσθαι τοὺς ἄνδρας οὐχ ὑπολαμβάνω, στοχαζόμενος ἐκ τοῦ βίου καὶ τῆς αἱρέσεως αὐτῶν.*

Itaque Q. Fabium Pictorem hominem et dignitate et litteris praeter ceteros insignem fuisse uidemus, ut ad hunc potissimum munus illud legationis Delphicae deferretur, quod non solum auctoritatis et grauitatis sed etiam exquisitae linguae Graecae scientiae esset.

Atque haec quidem certa de Fabio memorata sunt.[1]) unde conicere licet eum circa a. 254. 500 natum esse. uitam eum produxisse ultra bellum alterum Carthaginiense inde sequi uidetur, quod quem uirum Romanum inter arma in ipsa Italia strepentia otiosum historiae scribendae operam dedisse arbitrabimur?

Hunc uero Q. Fabium Pictorem primum res Romanas Romae enarrasse et quasi parentem historiae Romanae esse diserte et a Dionysio Halicarnasensi et a Liuio commemoratur. cf. Dion. I 6: *ὧν* (scriptorum Romanorum qui Graece res Romanas exposuere) *εἰσι πρεσβύτατοι Κόιντός τε Φάβιος καὶ Λεύκιος Κίγκιος, ἀμφότεροι κατὰ τοὺς Φοινικικοὺς ἀκμάσαντες πολέμους.* VII 71 (fr. 16): *παλαιότατος γὰρ ἀνὴρ τῶν τὰ Ῥωμαϊκὰ συνταξαμένων.* Liu. I 44, 2 (fr. 10): *Adicit scriptorum antiquissimus Fabius Pictor.* II 40, 10 (fr. 17): *Apud Fabium, longe antiquissimum auctorem — inuenio.*

Res Romanas eum repetiisse ab Euandro Aeneaque ex frag-

---

[1]) Inter proquaestores anni 219. 535 eum recenset Pighius annal. II p. 153, quem secuntur Vossius de hist. lat. p. 13, Baumgart p. 2, Closset *essai* p. 438. sed a ueteribus nil de hoc magistratu relatum est. Tum caue credas Lachmanno (de f. Liu. II p. 14), hunc Pictorem praetorem anni 189. 565 (Liu. XXXVII 47, 8. 50, 8. 51, 1) fuisse. neque enim omnino fieri potuit, ut qui a. 216. 538 legatus ex senatoribus Delphos mitteretur, idem uiginti septem annis post munere praetorio fungeretur. fuit potius hic idem cum eo, qui teste Liuio (XXXXV 44, 3) anno 167. 587, cum flamen Quirinalis esset, mortuus est.

mentis 1. 3. 4. pertexuisse minimum ad pugnam ad Trasumennum commissam ex fr. 26 consequitur. sed etiam ultra hoc tempus eum in scribendo progressum esse inde adparet, quod, si duos tantum belli Hannibalici annos descripsisset, neque Polybius eum ut praecipuum eius belli scriptorem Romanum inpugnasset, neque Appianus l. s. s. *συγγραφέα τῶνδε τῶν ἔργων* adpellasset. denique etiam in libris XXV et XXVIIII Liuius Fabium etsi nomine addito non citauit, significasse tamen uidetur. cf. infr.

Qua autem ratione has res persecutus sit, loco memorabili exponit Dionysius I 6: *Ὁμοίας δὲ τούτοις* [Antigono, Polybio, Sileno, aliis quorum *ἕκαστος ὀλίγα καὶ οὐδὲ αὐτὰ διεσπουδασμένως οὐδὲ ἀκριβῶς ἀλλ' ἐκ τῶν ἐπιτυχόντων ἀκουσμάτων συνθεὶς ἀνέγραψεν*] *καὶ οὐδὲν διαφόρους ἐξέδωκαν ἱστορίας καὶ Ῥωμαίων ὅσοι τὰ παλαιὰ ἔργα τῆς πόλεως Ἑλληνικῇ διαλέκτῳ συνέγραψαν, ὧν εἰσι πρεσβύτατοι Κόιντός τε Φάβιος καὶ Λεύκιος Κίγκιος, ἀμφότεροι κατὰ τοὺς Φοινικικοὺς ἀκμάσαντες πολέμους. τούτων δε τῶν ἀνδρῶν ἑκάτερος, οἷς μὲν αὐτὸς ἔργοις παρεγένετο, διὰ τὴν ἐμπειρίαν ἀκριβῶς ἀνέγραψε, τὰ δὲ ἀρχαῖα τὰ μετὰ τὴν κτίσιν τῆς πόλεως γενόμενα κεφαλαιωδῶς ἐπέδραμεν.* ubi tres annalium Fabianorum partes distinguere uidetur Dionysius, quarum duas aperte significat, tertiam cogitatione suppleri uult. cum enim quibus rebus ipse interfuisset, diligenter et adcurate Fabium enarrasse, at summatim, quae post urbem conditam facta essent, perstrinxisse dicat, restant eae res, quae ante urbem conditam et cum urbs conderetur, gestae sunt (uid. fr. 1—6). quae qua ratione a Fabio expositae sint, quoniam Dionysius non addidit, ex ipso silentio ei illam haud displicuisse iure concludere nobis uidemur, Fabiumque rhetorum Graecorum more haec latius et fusius descripsisse.[1]) quocum iudicio egregie faciunt ipsae relliquiae, quarum quae ad hoc tempus pertinent, prolixam prae se ferunt narrationem.[2]) Deinde quod *τὰ μετὰ τὴν κτίσιν*

---

[1]) Cf. Kiessling, de Dion. Halic. font. p. 8 sq.

[2]) Remouisse ita mihi uideor, quod Hullemannum de annal. max. p. 71 et Du Rieu p. 156 offendit in *μετὰ* praepositione, quorum ille Dionysii uerba mutauit in *τά τε μετὰ τὴν κτίσιν*, hic in *τὰ κατὰ τὴν κ.*

τῆς πόλεως γενόμενα[1]) percurrisse Fabium κεφαλαιωδῶς i. e. summatim uel breuiter[2]) indicat, hoc quidem noli obliuisci, sic dictum esse a rhetore Graeco, qui ipse has res molestum in modum multis commentis auctas et amplificatas exhibeat. at re uera non solum a Graecis scriptoribus diuersum fuisse eius narrationis genus sed etiam ab eis historicis Romanis, qui eum excepere, Fabio Maximo, Valerio Antiate, Licinio Macro, Aeliis, Gelliis, Calpurniis ex eis quae paulo post (c. 7) dicit Dionysius, efficitur.[3]) ibi enim fontes, ex quibus sua hauserit, enumeraturus primum se multa ex uiris nobilissimis, quibuscum uixisset, audiuisse adfirmat, deinde eorum scriptorum, quos modo adtuli, libros in usum uocasse. atque his fontibus Fabii et Cincii annales ita opponit, ut haec quasi fundamenta fuisse et ab his se profectum ad historiam accessisse scribat: *καὶ τὰ μὲν παρὰ τῶν λογιωτάτων ἀνδρῶν, οἷς εἰς ὁμιλίαν ἦλθον, διδαχῇ παραλαβών, τὰ δ' ἐκ τῶν ἱστοριῶν ἀναλεξάμενος, ἃς οἱ πρὸς αὐτῶν ἐπαινούμενοι Ῥωμαίων συνέγραψαν Πόρκιός τε Κάτων καὶ Φάβιος Μάξιμος καὶ Οὐαλέριος ὁ Ἀντιεὺς καὶ Λικίννιος Μάκερ Αἴλιοί τε καὶ Γέλλιοι καὶ Καλπούρνιοι καὶ ἕτεροι συχνοὶ πρὸς τούτοις ἄνδρες οὐκ ἀφανεῖς, ἀπ' ἐκείνων ὁρμώμενος τῶν πραγματειῶν (εἰσὶ δὲ*

---

[1]) I. e. sub Romulo, ut uidetur, nam etiam ea quae de rebus a regibus post Romulum gestis ex Fabio tradita sunt, plerumque pertinent ad res chronologicas aut numeros, atque prolixam illam Postumii ludorum descriptionem (fr. 16) a Fabio, cum suae aetatis res explicaret, insertam falso ad illud tempus a Dionysio relatam esse cum magna probabilitatis specie suspicatus est Kiessling, de Dion. p. 14.

[2]) Sic enim malui κεφαλαιωδῶς uertere quam *capitulatim*, quae uox a Nepote de Catone dicta aliam uim habet (cf. infr.). apud Dionysium uero de illa quam supra posuimus ui satis constat. ut de conpos. uerb. 1 p. 6 R. totius disputationis capita breuiter recensiturus haec praemittit: *κεφάλαια δ' αὐτῆς ἐστιν ἃ πρόκειταί μοι δεῖξαι ταῦτα* et sic concludit: *τοιαυτὶ μὲν δή τινά ἐστιν, ὡς τύπῳ περιλαβεῖν, ὑπὲρ ὧν μέλλω λέγειν.* idemque c. 8 p. 48 *κεφαλαιωδῶς περιλαβεῖν* et *πολὺν λόγον* aperte inter se opponit. Similiter res ante bellum alterum Punicum se *ἐπὶ βραχὺ καὶ κεφαλαιωδῶς* persecuturum esse profitetur Polybius I 13, 1. II 1, 4.

[3]) Etiam Ennius, qui undeuiginti libris res Romanas conplexus est, tribus primis libris res regum scripserat, sexto iam ad Pyrrhum peruenerat (Vahlen, quaest. Enn. p. XLVIII) eademque ratione res Romanas esse persecutus uidetur qua Fabius et Cincius.

ταῖς Ἑλληνικαῖς χρονογραφίαις ἐοικυῖαι) τότε ἐπεχείρησα τῇ γραφῇ.[1]) Transtulisse igitur uidetur in hanc historiarum suarum partem annalium maximorum siccitatem et exilitatem[2]), quippe qui maioris huius temporis spatii soli fontes essent, atque in eis tantum modo rebus, quae a Fabia gente gestae erant, largiorem materiam suppeditante tablino narratione uberiore illam expulisse. qua de causa ne hoc quidem solo casu accidisse uidetur, ut nulla mentio narrationis Fabianae annorum 488. 266—324. 430 ad nos perueniret. spreta enim simplicitate, qua haec annalium pars a Fabio pertexta erat, ei, quorum historiae seruatae sunt, quo largioribus haustibus biberent, adire maluerunt eos scriptores, qui haec iam aucta et exornata habebant. ita fundamenta historiae a Fabio iacta ea mole, quae in illis a Valeriis Antiatibus Claudiis Quadrigariis aliis superstructa est, prorsus obruta sunt, ut pertenues eorum relliquiae nunc conspici possint.

Vsum uero esse Fabium Pictorem lingua Graeca aperte dicit Dionysius I 6 l. p. LXXII exscripto[3]), Fabiique Pictoris Graecos annales commemorat Cicero (fr. 3). contempto autem patrio sermone unum ex nobilibus Romanis sui populi res gestas Graece enarrasse, nemo mirabitur, qui titulis marmori aeriue incisis, quos ex illa aetate habemus, conlatis, quam non apta tum fuerit lingua Romana ad historiam considerauerit, quam non satis fecerit homini docto et erudito multumque in Graecis scriptoribus uersato, neque quisquam Naeuios et Liuios mihi obiciet, qui iam ante Fabium floruerint, si meminerit apud omnes populos longe antiquiorem curam, ut cum Isidoro (orig. I 37, 2) loquar, fuisse carminum quam prosae. 'Omnia enim prius uersibus condebantur, prosae autem studium sero uiguit', et eadem fere aetate Ekke-

---

[1]) Errat in hoc loco interpretando Pluess de Cinc. p. 11, qui hic Fabii Cinciique mentionem iniectam esse negauit. neglexit enim uerba ἀπ' ἐκείνων ὁρμώμενος τῶν πραγματειῶν (εἰσὶ δὲ ταῖς Ἑλληνικαῖς χρονογραφίαις ἐοικυῖαι) aut ea ad Fabium Cinciumque, de quibus cap. antecedente egerat Dionysius, referenda esse non uidit.

[2]) Itaque quae supra p. XXV sq. annalium maximorum posui exempla, etiam huius partis historiarum Fabianarum repraesentant colorem.

[3]) Omnem Dionysio fidem derogauit et latine scripsisse Fabium existimat De Whitte p. 7, in hac re ut in ceteris leuissime prouincia sua functus, quam ob rem eius rationem habere superuacaneum esse duxi.

hardum Vraugiensem, Ottonem Freisingensem, Ragewinum, alios sermone Latino usos esse constat res patrias scribentes, qua uersibus eaedem exponi sunt coeptae, et postea Fridericum Magnum aliosque homines nobili loco natos res franco-gallice pedestri oratione enarrasse, cum Gleimii, Ramleri, Kleistii, alii poetae, quae illi egregie gesserant, summa cum laude persequerentur carminibus et hymnis (C. Peter h. R. I p. 545. Mommsen h. R. I p. 923. Schwegler I p. 76). quam ob rem non erit opus ad Niebuhrii (hist. Rom. II p. 9. praelectt. I p. 19[1]) sententiam confugere, Fabium in Graecorum hominum usum scripsisse rati, ut melius de popularibus suis existimarent.[2]) hoc enim consilium ducentis annis post Dionysius persecutus est, non habuit Fabius.

De librorum inscriptione nihil certi constat. adfertur sola Latina inscriptio annalium (a Cicerone fr. 3, a Plinio 24. 27), atque quam ex uerbis Polybianis (III 9, 3) Krause sibi elicuisse uisus est '*βίβλοι ὑπομνήσεως*', male illa intellecta esse iam Becker ant. I p. 41 n. 72 fin. monuit. Neque de distributione annalium uel historiarum quidquam conpertum habemus, cum nusquam ex certo quodam libro aliquod fragmentum decerptum esse significatum sit.[3]) Idem quoniam ipsa eius uerba peruenerunt ad nos nulla, de genere scribendi profitendum est. nam quin quae Dionysius et Plutarchus ex eo rettulerunt, suis conmentis et artificiis rhetoricis exornauerint et infucauerint, quis est qui nunc dubitet? praesertim si quae de origine urbis fuse

---

[1]) Adsentiuntur Bernhardy hist. litt. Rom. p. 641. Mommsen chronol. p. 130: *Ihr ältester Geschichtschreiber Fabius, welcher, für Griechen griechisch schreibend nicht umhin konnte, die Olympiadenzählung hier und da zu berücksichtigen.*

[2]) Hoc quidem constat, Fabium non esse lectitatum a Graecis, quoniam Dionysius I 4 hac causa se adductum esse scribit ut rebus Romanis operam daret: *ἔτι γὰρ ἀγνοεῖται παρὰ τοῖς Ἕλλησιν ὀλίγου δεῖν πᾶσιν ἡ παλαιὰ τῆς Ῥωμαίων πόλεως ἱστορία, καὶ δόξαι τινὲς οὐκ ἀληθεῖς ἀλλ' ἐκ τῶν ἐπιτυχόντων ἀκουσμάτων τὴν ἀρχὴν λαβοῦσαι τοὺς πολλοὺς ἐξηπατήκασιν κ. τ. λ.*

[3]) Dionys. I 79 (fr. 5[b]) in libris manu scr. est *τῆι γραφῆι*. ibi *ἐν τῇ πρώτῃ γραφῇ* Kiessling coniecerat et in textum receperat. postea tamen ipse (*Zur Kritik des Dion.* Basil. 1868 p. 5) praetulit Pluessii coniecturam *γέγραφε*.

et prolixe pertexuit secundum Fabium Dionysius (fr. 5[b]) conparauerit cum simplicitate narrationis Liuianae. [1])

Cum illis uero quae supra transscripsimus uerbis Dionysii et Ciceronis prorsus discrepant, quae ipsis uerbis ex Fabii Pictoris annalibus decerpta seruauerunt Latina Seruius, Quintilianus, Nonius, ut hoc quidem certissimum sit, etiam Latinos annales a Fabio Pictore quodam conpositos esse. quaeritur quisnam is Fabius Pictor fuerit. atque Becker quidem (antiq. I p. 41) et cum eo Closset (p. 446 sq. 677 sq.), Nipperdei (Philol. VI p. 131), Schwegler (I p. 76), Dederich (*quaest. philol.* in progr. Emmer. 1852 p. 5), Hertz (in Iahn. ann. 1862 uol. 85 p. 47), alii Q. Fabium Pictorem, qui antea Graece scripsisset, postea annales suos in Latinum uertisse existumant, sed ego adduci non possum, ut illa aetate, quod numquam apud Romanos Graecosue factum est, eundem hominem de eisdem rebus et Graece et Latine egisse credam. accedunt duae res. primum enim, si recte patrii sermonis rusticitate, quominus eo uteretur, eum deterritum esse suspicati sumus, quae causa fuit, ut paucis annis posteaquam spreuit, libros Graece conscriptos in eum transferret? num sermo antea horridus et rudis tam subito mutatus et excultus est, ut iam etiam homini Graece docto ad historiam aptus esse uideretur? Deinde Cicero nusquam de Fabio Pictore ut de historiae Latinae parente loquitur, quod eum facturum fuisse dico, si Fabium Pictorem illum antiquum praeter Graecos annales etiam Latinos condidisse sciuisset, immo de orat. II 12, 51 et 59 primos rerum Romanarum scriptores enumerans bis post Catonem Fabium Pictorem ponit. ibi enim Catulum facit dicentem, summi esse oratoris historiam scribere, ut Graeci scripserint, si, ut Romani, nihil opus esse oratore, atque Antonium haec respondentem: *Atqui, ne nostros contemnas, Graeci quoque ipsi sic initio scriptitarunt, ut noster Cato, ut Pictor, ut Piso. erat enim historia nihil aliud nisi annalium confectio.* tum postquam quae supra p. III posuimus, de annalibus maximis disseruit, sic pergit: *Hanc similitudinem scribendi multi secuti sunt, qui sine ullis ornamentis monumenta solum temporum, hominum, lo-*

[1]) Cf. Merkel, Ouid. fast. p. CXLIX. Becker ant. I 418. Schwegler I p. 56. Lewis, *Untersuch.* I p. 237—241. Kiessling de Dion. p. 14 sq.

corum gestarumque rerum reliquerunt. itaque qualis apud Graecos Pherecydes, Hellanicus, Acusilaüs fuit aliique permulti, talis noster Cato et Pictor et Piso, qui neque tenent quibus rebus ornetur historia (modo enim huc ista sunt importata) et dum intellegatur quid dicant, unam dicendi laudem putant esse breuitatem. — Ceteri [praeter Antipatrum] non exornatores rerum sed tantum modo narratores fuerunt. quo loco adparet Ciceronem et de eis solis historicis agere qui Latine scripserunt, et Fabium Pictorem post Catonem fuisse existimare. quam sententiam egregie adiuuant ea quae in Bruto 16, 61 de Catone scribit. negat enim se quemquam habere antiquiorem, cuius quidem scripta proferenda putet, nisi quem Appii Caeci oratio et laudationes delectent, atque non solum orationes sed omnia, quae sermone pedestri conposita essent, eum haec dicentem in animo habuisse inde adparet, quod paullo post (§ 66) etiam origines pluribus laudat. Quae cum ita sint, nihil ualebit ad hanc sententiam infringendam, quod Cicero de legg. I 2, 6 alio ordine historicos Atticum exhibentem inducit, facileque inueniri potest, unde haec diuersitas explicetur. persuadere enim studet Atticus Ciceroni, ut historiae operam nauet et demonstrare hoc litterarum genus, quod oratorium esse arbitratur, prorsus abesse litteris Romanis: *Nam post annales,* ait, *pontificum maximorum, quibus nihil potest esse iniucundius, si aut ad Fabium aut ad eum, qui tibi semper in ore est, Catonem aut ad Pisonem aut ad Fannium aut ad Vennonium uenias, quamquam ex his alius alio plus habet uirium, tamen quid tam exile quam isti omnes?* ubi non interfuisse Attici uidemus, ut temporum rationem sequeretur sed gradationem quandam eum spectauisse, non solum Fabium sed etiam Catonem, cui Cicero palmam historiae Romanae antiquae tribueret, exiles fuisse iudicantem. Denique conplures Fabios notos fuisse Ciceroni intellegimus ex hoc loco (de diuin. I 26, 55): *Omnes hoc historici, Fabii, Gellii, sed proxime Coelius,* de quo loco etiam infra disputabimus, ut quorundam opinionem, qui duos Gellios Fabiosque dictos esse negant, refellamus. Sed satis demonstrasse nobis uidemur, Ciceroni praeter Fabii Pictoris Graecos annales etiam Latinos notos fuisse, — atque hac causa adductum censemus eum scripsisse (fr. 2) *in Fabii Pictoris Graecis annalibus,* qui uerborum ordo sane mirus est, nisi illum consilio in Graecis, non in Latinis annalibus se haec inuenisse dicere uo-

fuisse existimamus [1]), — Latinorum uero annalium scriptorem ex eius sententia aut aequalem Catoni aut eo inferiorem fuisse, superiorem Pisone, non fuisse eundem atque parentem historiae Romanae. [2])

Etiam adcuratiora de hoc Fabio Pictore, Latinorum annalium scriptore, protulisse sibi uisus est Krause (p. 48. 132 sqq.), [3]) cui adsensi sunt Baumgart p. 15 sqq. et Du Rieu p. 201 sqq., quamquam hic quidem ut solet caute ac dubitanter. Profectus enim ab his Ciceronis uerbis (Brut. 21, 81): *Sed uiuo Catone minores natu multi uno tempore oratores floruerunt. nam et A. Albinus, is qui Graece scripsit historiam, qui consul cum L. Lucullo fuit, et litteratus et disertus fuit; et tenuit cum hoc locum quendam etiam Ser. Fuluius et una Ser. Fabius Pictor* [4]), *et iuris*

---

[1]) Non duximus de quo supra ageremus dignum Numerii Fabii Pictoris phantasma, quod cum uiros doctos diu uexasset, feliciter ad inferos depulit Hertz (*philol. klin. Streifzug* p. 32 sqq.). omnino enim remouit ex Ciceronis uerbis (de diuin. I 21, 43. fr. 2), quibus solis eius mentio fit, Numerii praenomen, cum mutatione lenissima, quoniam et *Numeri* et *nostri* siglum est *N* uel *N̄*, *nostri* substitueret et scriberet: *Sint haec, ut dixi, somnia fabularum, hisque adiungatur etiam Aeneae somnium, quod in nostri Fabi Pictoris Graecis annalibus eius modi est, ut* et q. s. Sed hac coniectura nimis premi Fabii patriam totius loci conexu diligenter explicato docuit Pluess (in Iahni annal. uol. 99 p. 239 sqq.). ipse pro *innumerum*, quae est Christii librorum scriptura (*in Numeri* coniecit Sigonius) proposuit *in ueterrumis Fabii Pictoris Graecis annalibus*. praeterea van den Bergh (*de antiq. annal. script. Rom.* p. 33) *inclusum* excogitauit, Dederich (*quaestt. philol.* p. 3—5) *nimirum in*, cuius inuentum ego praetuli, quamquam ne hoc quidem locum omnino sanatum esse fateor.

[2]) Quod Baumgart p. 12 plura fragmenta a grammaticis seruata ad nos peruentura fuisse arbitratur, si a Fabio, scriptore illo antiquissimo, Latini annales conscripti essent, nolo nimiam huic argumento tribuere uim. miri enim in his rebus sunt casus fortunae uel iudicia et arbitria grammaticorum.

[3]) Similia etiam Niebuhr (praelectt. I p. 27) coniecerat: *In diese Zeit* [post Cassium Heminam] *fällt der Fabius Pictor, den Cicero de oratore erwähnt. Er war ein gelehrter Schriftsteller*; *sein Werk*, res gestae *betitelt, scheint sehr ausführlich gewesen zu sein, da er den gallischen Brand im vierten Buch erwähnt; doch ist die Zahl der Bücher unbekannt. Kein bedeutendes Fragment ist daraus erhalten. Er hiess Servius oder wohl Sextus.*

[4]) De praenomine, cum in gente Fabia inusitatum sit, dubitant Guilelmus et Niebuhr l. s., qui Sexti praenomen praeferunt, et Mommsen in mus. Rhen. n. XV p. 178.

et litterarum et antiquitatis bene peritus, quod et aetas[1]) conuenit cum Fabio Pictore, quem inter Catonem et Pisonem Cicero (l. s. s.) posuit, et quia homo et iuris et litterarum et antiquitatis peritus dicitur, hunc Seruium Fabium Pictorem Latinos annales condidisse existimauit. atque sunt sane, quae cum hac coniectura faciant, sed illud mirum est quod Cicero, cum antea A. Albinum Graece scripsisse historiam conmemorasset, huius historiae, quam bene nouerat, mentionem non fecit, et, ne huic argumento nimiam uim tribuamus, omnino nulla nos cogit res, ut huic sententiae adstipulandum esse censeamus. perpauca enim de hac gentis Fabiae familia nobis tradita sunt, praeterque eos quos iam recensuimus Fabios Pictores et Numerium quendam, cuius nomen in denario exstat (n. 344 ap. Mommsen. C. I. L. I p. 133. Du Rieu p. 213 sqq.), nemo nobis est notus. cuius rei si ea fuit causa, quod Pictores litteris et artibus quam rei p. operam dare maluerint et raro magistratus gesserint, etiam maioris temeritatis erit unum aliquem, de quo casu quodam pauca nobis tradita sint, premere et ad eum, quae eodem iure etiam alii scribere potuerunt, conferre. Hoc unum constare uidetur, a Fabio Pictore quodam inter Catonis et Pisonis aetates annales Latine conscriptos esse.

Non minus incertum est, quae ratio intercesserit inter Graecos Latinosque annales; nam quae ex Latinis annalibus seruata sunt fragmenta, tam exigua sunt, ut inde nihil sequatur. sed, si coniecturae locus est, cum omnes historici annales superiorum exscribere non habuerint religioni, tum alterum Fabium Pictorem ataui libros, quos sine dubio in tablino gentilicio repositos inueniebat et sancta quadam ueneratione colebat, aut uertisse[2]) (quem ad modum C. Acilii Graecos annales a Claudio quodam, A. Albini ab homine nescimus quo Latine redditos esse accepimus) aut multa ex eis in suos transtulisse et quasi in suae aetatis

[1]) Etiam certiora de hoc Seruio adfert Krause p. 132, eum quaestorem a. 156. 598 et praetorem a. 146. 608 fuisse, sed etiam hic Pighii coniecturis se decipi passus est.

[2]) Haec est Pluessii sententia (de Cinc. p. 43 et mus. Heluet. n. VI (1866) p. 47), qui tamen quod ab hoc Fabio Pictore Catonis Censorii aequali primum in uulgus editas esse ueteris Pictoris historias suspicatur, in errore manufesto uersatur. repugnant testimonia grauissima, quae frustra remouere studuit.

usum iterum edidisse probabile est eaque tantum modo, quae a Fabii aetate usque ad suam facta essent, ipsum addidisse.[1])

Iam ut ad fontes Fabii pergamus, multum diuque exercuerunt uiros doctos haec Plutarchi (in uit. Romuli c. 3) uerba: *Τοῦ δὲ πίστιν ἔχοντος λόγου μάλιστα καὶ πλείστους μάρτυρας τὰ μὲν κυριώτατα πρῶτος εἰς τοὺς Ἕλληνας ἐξέδωκε Διοκλῆς Πεπαρήθιος, ᾧ καὶ Φάβιος Πίκτωρ ἐν τοῖς πλείστοις ἐπηκολούθηκεν.* et c. 8 *ὧν τὰ πλεῖστα καὶ Φαβίου λέγοντος καὶ τοῦ Πεπαρηθίου Διοκλέους, ὃς δοκεῖ πρῶτος ἐκδοῦναι Ῥώμης κτίσιν, ὕποπτον μὲν ἐνίοις ἐστὶ τὸ δραματικὸν καὶ πλασματῶδες.*[2]) quibus hoc quidem constat Plutarchum dicere uoluisse, a Fabio Romuli et Remi res enarrante in plerisque Dioclem esse transscriptum, nec quisquam, opinor, concedet Naegelio (*Studien* p. 408), *ἐπακολουθεῖν* nihil aliud esse quam consentire et Plutarchum casu factum esse arbitrari, ut Diocles et Fabius inter se consentirent.[3]) illud quaeritur, utrum Plutarchus errauerit necne, nam quae eius sententia fuerit, ambigi non potest.

Magnam tamen habet haec res difficultatem, cum quae de Diocle Peparethio memoriae tradita sunt, aut incerta aut nulla sint. refert quidem Athenaeus II p. 44: *Διοκλῆ τὸν Πεπαρήθιόν φησι Δημήτριος ὁ Σκήψιος μέχρι τέλους ψυχρὸν ὕδωρ πεπωκέναι.* sed, ut hic idem fuerit atque Plutarcheus, nihil inde lucramur, nisi eum antiquiorem fuisse Aristarcho et Cratete, quibus aequalem fuisse Demetrium Scepsium Strabo XIII 1, 55 p. 609 testatur, neque alio loco patria addita ab aliis eiusdem nominis distinguitur (uid. Mueller, fr. hist. Graec. III p. 78 sq.). quem uero locum apud Festum (p. 269) expiscatus esse sibi uisus est Krause (p. 32): *Diocles Peparethius ait Iliam Numitor[is A]lbani regis filiam gemellos edidisse* et q. s., esset is qui-

---

[1]) Etiam hic ut adsolet Harless uana pro ueris uendidit, cum *hoc potissimum inter Latinos Graecosque annales interfuisse* diceret (p. 7), *quod in illis antiquorum temporum historia plane sicut ab ipsis Romanis tradi solebat, exposita erat, in his autem ea admixta fuere, quae Graecis uelut Hieronymo Timaeo aliis de Italiae rebus exponere placuerat.*

[2]) Qui Plutarchi auctoritatem secuti sint, qui neglexerint, enumeratos habes apud Schwegler I p. 413. Lewis *Untersuch.* I p. 395.

[3]) Recte hanc opinionem refutauit F. Brockerhoff in Iahni annal. uol. 60 (1850) p. 377 sqq.

dem magni momenti, sed uerba sunt non Festi sed Vrsini, cuius supplementis Mueller hic temere adsensus est. ex eis enim quae exscripsi solae litterae *is A* uncis a me inclusae in libro manu scripto conspiciuntur, atque quamquam de Romulo et Remo sermonem esse diuinare possumus, auctoris tamen nomen addere non minus temerarium est quam huic supplemento sine dubitatione credere.[1])

Itaque in hac re solis Plutarchi uerbis nitendum est. Atque primum quidem Schwegler (I p. 412 sqq.) suo iure iam refutauit A. G. Schlegeli (annal. Heidelberg. 1816 p. 836 sq.) et Dahlmanni (*Forschungen* II 1 p. 129) sententias, qui per Dioclem ea, quae Graeculi de rerum Romanarum primordiis concoxissent, in Fabii et ceterorum historicorum Romanorum annales fluxisse coniecerant. nam illae fabulae Romanae fuerunt atque a Romanis excogitatae et exornatae Romae iam ferebantur, antequam scriptores Graeci res Romanas suis libris inlustrare coeperunt. deinde etiam Lucius Cincius, qui fuit Fabii aequalis, Romuli et Remi res ita enarrauit, ut Dionysio (I 79) quidem Fabium secutus esse uideretur: *περὶ δὲ τῶν ἐκ τῆς Ἰλίας γενομένων Κόιντος μὲν Φάβιος, ὁ Πίκτωρ λεγόμενος, ᾧ Λεύκιός τε Κίγκιος καὶ Κάτων Πόρκιος καὶ Πίσων Καλπούρνιος καὶ τῶν ἄλλων συγγραφέων οἱ πλείους ἠκολούθησαν, γέγραφε.* Catonem et Pisonem mitto, sed ut Cincius Fabium, scriptorem aequalem, transscriberet, fieri uix potuit. ita, quoniam cum Fabio eum consensisse ex Dionysio constat, utrumque ex Diocle hausisse sequeretur. quod quis est qui probet? praesertim cum Diocles inter nobiles scriptores Graecos, qui de primordiis urbis egerunt, uix fuerit, certe non referatur a Dionysio (I 72 sqq.) in eo numero quamuis amplo. porro quid Ennius? qui paucis annis Fabio minor fuit[2]) et eadem fere rettulit quae Fa-

---

[1]) Nullo testimonio adlato Westermann (*Pauly Realencycl.* II p. 1034) centum annis ante Fabium Dioclem fuisse censet. contra etiam Gerlachii (de rer. Roman. primord. p. 32) opinio, aequalem eum fuisse Demetrio Scepsio et uixisse circa a. 160. 594 uana est.

[2]) Septimum enim et sexagesimum annum se egisse Ennius ipse testatur (est a. 173. 581), cum duodecimum uel, si Merulae coniecturae adstipulari mauis, duodeuicesimum annalem scriberet (Vahlen fr. XVII 4 p. 65). tum fuit Scipionibus amicissimus eorumque facta summis laudibus celebrauit (cf. in pr. sat. fr. VII p. 156 V.), et hunc scriptorem

bius[1]), qui certe non recoxit quae Graeci finxerant. num etiam hunc aut Fabio aut Diocle usum esse arbitraris? ne plura, fabula famaque illa Romana uel traditio quae dicitur etiam minutissimas quasque res amplexa esse et in eis illa aetate iam satis constans fuisse uidetur, atque ex hac, ut ex perenni fonte, omnes illos Fabios, Cincios, Ennios quae de Roma condita exhibuerunt, hausisse statuendum est.[2]) quae cum ita sint, errasse uidetur Plutarchus, neque talem errorem abhorrere ab eius maxima leuitate, qua in fontibus diiudicandis et exscribendis usus est, nemo negabit, qui in hoc scriptore legendo aliquantum uersatus sit. Proinde remoueamus Dioclem illum Peparethium ex disputatione nostra, errore quodam Plutarchum in hac re ductum arbitrati. consensum quidem inter eos quendam (ἐν τοῖς πλείστοις) fuisse concedamus sed eum ita ortum esse existimemus, ut aut et Fabius et Diocles ex populi sermone sua haurirent aut, quod mihi est ueri similius, Diocles spretis eis, quae populares multum a Romanis diuergentes de primordiis Romanis somniauerant (Schwegler I p. 400 sqq.), historicum Romanum siue Fabium siue unum ex eis, qui postea scripsere, sequeretur.

Atque haec quidem de fonte primae annalium partis, qua urbis originem enarrauerat Fabius. sequebatur altera pars, qua summatim res usque ad suam aetatem percurrit. hic praeter ea litterarum monumenta, in primis annales maximos, quae omnibus patebant, largam ei praebebat materiam gentis Fabiae tablinum, in quo quaecunque ad eam familiam pertinebant, magna cum cura uidentur esse reposita. quid? quod uel ex eis temporibus, quae cladem Gallicam antecedebant, memoriam aliquam hisce priuatis monumentis seruatam esse, indicio quodam doceri uidetur. tradit enim Liuius II 47, 11, posteaquam pugna a M. Fabio consule cum Tuscis conmissa et Manlium conlegam et Quintum fratrem occisos esse narrauit, haec: *Funera deinde duo deinceps collegae fratrisque ducit, idem in utroque laudator, cum*

gentis Fabiae, quae semper Scipionibus aduersata est, secutum eum esse putas?

[1]) De duobus Seruii locis (Aen. I 273. VI 778), qui repugnare uideantur, uide Schwegler I p. 407.

[2]) Eadem est sententia Blumi (*Einleitung in Roms alt. Gesch.* p. 68 et Hertzi de Cinc. p. 11.

concedendo illis suas laudes ipse maximam partem earum ferret. quam rem nisi a Liuio fictam esse arbitraris, ad quamnam auctoritatem rectius referemus quam ad Fabiorum tablinum? (uid. supr. p. XXVIIII sqq.).

Tertia denique parte quae aut ipse uiderat aut ex aliis qui interfuerant, audiuerat, copiose exposuit. uid. Dionys. I 6 *οἷς μὲν αὐτὸς ἔργοις παρεγένετο, διὰ τὴν ἐμπειρίαν ἀκριβῶς ἀνέγραψε.*[1] quam ob rem, praesertim cum ei cum Fabio Cunctatore cognatio intercesserit (Plut. Fab. 18), in bello Hannibalico summa fide esse dignus uidetur, et iudicium probandum Dionysii, cum ita eum laudet (VII 71): *Κοίντῳ Φαβίῳ βεβαιωτῇ χρώμενος καὶ οὐδεμιᾶς ἔτι δεόμενος πίστεως ἑτέρας· παλαιότατος γὰρ ἀνὴρ τῶν τὰ Ῥωμαϊκὰ συνταξαμένων καὶ πίστιν οὐκ ἐξ ὧν ἤκουσε μόνον ἀλλὰ καὶ ἐξ ὧν αὐτὸς ἔγνω παρεχόμενος.* nihilo minus acerbis uerbis in eum inuectus est Polybius I 14, 1—3 (fr. 21), ubi, quamquam inprudentem eum mentitum esse concedit, nimio quodam populi sui rerumque ab suis gestarum amore captum etiam a uero aberrasse scribit eodemque loco ponit quo Philinum Agrigentinum, qui cum Carthaginiensibus senserit. sed quam de hoc tulit sententiam, exemplis luculentis continuo satis firmauit, de Fabio datis occasionibus (*ἐπ' αὐτῶν τῶν καιρῶν*) argumenta prolaturum esse dicit duobusque tantum modo locis eius mentionem facit, ut eum inpugnet. primum quidem (fr. 22) eum uituperat, quod extremo bello Carthaginienses omnibus miseriis confectos (*ἐξαδυνατοῦντας καὶ περικακοῦντας*) Eryce decessisse tradiderit: *ἀλλ' ὡς ἂν ἀπαθεῖς καὶ ἀήττητοί τινες ἄνδρες ἱερὸν ἐποιήσαντο στέφανον.* deinde (fr. 25) recte Fabium dixisse negat, praeter Saguntinorum iniuriam etiam Hasdrubalis superbiam et regnandi cupiditatem causam fuisse belli Hannibalici. sed in hac quidem re iniuria uituperauit Fabium Polybius. quae enim ille narrauit, ea non finxit sed re uera ferebantur ea a parte Carthaginiensium Barcidis infesta de initio belli et, quamquam non omnia, magnam tamen partem uera sunt.[2] ita-

---

[1]) Idem fere omnium hominum iudicium Polybii aetate uidetur fuisse. dicit enim Polybius (I 14) Fabium et Philinum uideri *ἐμπειρότατα* de bello Hannibalico scripsisse.

[2]) Cf. Mommsen, h. R. I p. 557 sq.

que quamuis priore loco, si quidem illa fuit Fabii sententia, haud inmerito reprehendendus sit, in uniuersum tamen nimis acerbe et inique de eo iudicasse uidetur Polybius. nam uix credibile est, Polybium, qua utitur iudicii seueritate, etiam plures res, quae dubiae essent, inuentas silentio praeteriturum fuisse. quare huius acerbitatis origo uidetur repetenda esse ex inimicitiis, quae inter Scipionum et Fabiorum familias intercedebant[1]), atque id egisse Polybius, ut Fabiorum gloriam, cum fidem annalium Pictoris, qui propter magnam auctoritatem, qua tum florebant (Polyb. III 9), in primis illam augebant et celebrabant, in dubium uocaret, minueret et circumscriberet.[2])

Etiam minoris negotii erit ea refellere, quae Dionysius de altera annalium Fabianorum parte protulit. bis enim eum accusat, quod parum considerate et leuiter Tarquiniorum res tradiderit, cum (III 6 fr. 11[a]) falso Tullium et Arruntem Tarquinios filios Prisci fuisse et (IIII 30 fr. 11[b]) Arruntem ab uxore interfectum ab Tanaquile matre sepultum esse narraret. id quod per naturae leges fieri non potuisse quiuis intelleget, qui temporum rationem inierit. at etiam in hac re fide multo maiore egit Fabius meliusque de historia est meritus, quod memoriam popularem haud mutatam in annales suos transtulit[3]), quam si

---

[1]) Niebuhr praelect. II p. 67. Nitzsch, *Monatsschrift* 1854 p. 79. Polybium in fontium auctoritate non solo semper ueritatis studio ductum esse, ex eis intellegitur quae contra Phylarchum cum summa acerbitate disputauit (mus. Rhen. n. XXII p. 80 sq.), neque adsentior Paulo La Roche (*Charakteristik des Polybius* p. 78) de iudicio, quod Polybius de Fabio tulit, aliter existimanti: *Frei hingegen von Parteileidenschaft und rein um der Sache und der Wahrheit selbst willen geschrieben ist die Widerlegung des Fabius und Philinus in der Geschichte des ersten punischen Kriegs. Sowohl was die relative Mässigung des Tons als auch die Klarheit und Richtigkeit der Argumentation betrifft, sind diese Abschnitte nach unserer Ansicht das Beste und Gelungenste dieser Art in dem von Polybius uns noch Erhaltenen.*

[2]) Etiam Ernesti (opusc. philol. p. 102 sqq.) patrocinium Fabii suscipere conatus est. parum tamen feliciter illi hanc rem successisse iam animaduertit Lucas (de ratione qua Liu. Pol. seq. p. 10 sqq.).

[3]) Quae Brockerhoff l. s. s. p. 379 suspicatur: *Staatsmänner wie Fabius und Cincius, deren amtliche Stellung schon, wenn man die damals bereits schon vorgeschrittene Ausdehnung der römischen Herrschaft in Erwägung zieht, reife, im Denken geübte Geister voraussetzt, die überdem ohne Frage schon mit griechischer Philosophie und mit griechischer Bildung über-*

Pisonis more in illa artem criticam exercuisset eamque suis inuentis permixtam et suo arbitrio scilicet correctam posteris tradidisset. Quam ob rem non mirabimur, quod Liuius in primordiis urbis tractandis, qua utitur iudicii sanitate, multo saepius Fabium adhibuit quam Dionysius, Pisonum admirator.

Videmus igitur eis rebus, quas reprehendisse alii scriptores apud Fabium sibi uisi sunt, aequum iudicem non posse adduci, ut fidem eius inminuat, nisi forte id huic uni historico crimini dare uolumus, quod omnium ueterum scriptorum proprium est, ut patriae gloriam in maius extollere non uani aut mendacis hominis sed boni ciuis esse ducerent[1]), et quod omnino fieri non potest, ut quisquam eas res, quibus aequalis est, ita exponat, ut ex omni parte certa et explorata haberi possint.

Antequam tamen ad eos scriptores, quibus Fabii Pictoris Graecae historiae in manibus fuerint, recensendos pergamus, hoc disserendum erit, quo iure quas infra posuimus relliquias, ad illas rettulerimus. sed de uerbis ex Polybio (fr. 21. 22. 25) et Dionysio (5^b. 6. 8. 9. 11. 14. 16) praeter Pluessium, qui in hac re nimis coniecturis indulsit[2]), nemo dubitabit, nec minus cer-

---

haupt vertraut waren, werden sich einer nationalen Auslegung der Sache kaum haben enthalten können, haben sich gewiss den Inhalt derselben, wenn auch noch mit einer gewissen Schüchternheit und keineswegs durchgreifend plausibel zu machen gesucht — haec in Pisonem cadunt, de Fabio et Cincio falso dicuntur.

[1]) Cf. supra p. XXXIII sq. Magis miror quod nemo scriptor ei uitio uertit nimias gentis suae laudes. uelut uictoriam praeclaram, quam ad Inbrinium Q. Fabium Rullianum absente dictatore reportasse scripserat Fabius (fr. 18), in quibusdam annalibus totam praetermissam esse Liuius (VIII 30, 7) conmemorat. id quod magis Fabii studio gentili quam ceterorum scriptorum neglegentiae tribuo. uid. p. LXXXVIIII.

[2]) Mirum enim in modum Polybii uerba quaedam torsit (de Cinc. p. 15), ut recentioris Fabii Pictoris Latinis annalibus eum usum esse demonstraret. sunt ea uerba haece: *τίνος δὴ χάριν ἐμνήσθην Φαβίου καὶ τῶν ὑπ' ἐκείνου γεγραμμένων* (fr. 25); *οὐχ ἕνεκα τῆς πιθανότητος τῶν εἰρημένων — ἀλλὰ τῆς τῶν ἀναλαμβανόντων τὰς ἐκείνου βίβλους ὑπομνήσεως, ἵνα μὴ πρὸς τὴν ἐπιγραφὴν ἀλλὰ πρὸς τὰ πράγματα βλέπωσιν. ἔνιοι γὰρ οὐκ ἐπὶ τὰ λεγόμενα συνεπιστήσαντες ἀλλ' ἐπ' αὐτὸν τὸν λέγοντα καὶ λαβόντες ἐν νῷ, διότι κατὰ τοὺς καιροὺς ὁ γράφων γέγονε καὶ τοῦ συνεδρίου μετεῖχε τῶν Ῥωμαίων, πᾶν εὐθέως ἡγοῦνται τὸ λεγόμενον ὑπὸ τούτου πιστόν.* ex eo enim quod qui magis titulum quam res respicerent eidem essent cum eis qui Fabio,

tum est Liuium (fr. 10. 13. 17. 18. 19. 26) Graecis annalibus Fabii usum esse, cum fr. 23 Fabium historicum, qui Gallorum bello a. 225. 529 interfuerit — consensu enim Orosii et Eutropii Liuii uerba nos legere docemur —, fr. 26 Fabium aequalem belli Hannibalici se auctorem habere diserte dicat, fr. 10 et 17 scriptorem antiquissimum, fr. 13 Pisone antiquiorem appellet, fr. 18 in antiquissimis scriptoribus ponat, fr. 19 autem, ubi simpliciter eum Fabium dicit, alium eiusdem nominis intellexisse uix sit credibile. adde quod fr. 13 Tarquinii Superbi manubias Pometinas scriptorum Graecorum more aestimat talentis.[1]) Porro Plinius fr. 24 ipsum Fabium de re quadam, quae bello Ligustino ipsi acciderit, loquentem inducit, nec est, cur altero loco (fr. 27), ubi Fabii Pictoris annales laudat, alium usurpatum esse dicamus.[2]) Plures Fabios notos fuisse Ciceroni

---

cum illis rebus aequalis atque senator fuisset, summam fidem tribuerent, conclusit ex ipso libri titulo illos cognouisse *et bello Punico secundo scriptorem interfuisse et senatorium fuisse.* cum autem ut ita Fabii Graecae historiae inscriberentur fieri non potuisset, ut uero libris, quibus Fabii proaui annales Latine uersi inserti erant, fidem pararet, Fabium recentiorem haec in titulo posuisse ueri esset simile, a Polybio non Graecos annales Pictoris illius antiqui, sed Latinos Fabii recentioris in usum uocatos esse. Sed primum unde Pluess adcuratam illam de titulis eorum annalium, qui ex aliis exscripti erant, notitiam habet? omnino enim nihil de eis a ueteribus traditum est. tum, ut cum Pluessio Polybii uerba premam, non respondent inter se ea quae Pluess uoluit, sed *πρὸς τὴν ἐπιγραφὴν* et *ἐπ' αὐτὸν τὸν λέγοντα*, tum *πρὸς τὰ πράγματα* et *ἐπὶ τὰ λεγόμενα.* uix igitur talia Pluess cuiquam probauerit, idemque dicendum est de eis, quae p. 14 disputauit, ut Dionysio Fabii Graecas historias ignotas fuisse demonstraret.

[1]) Cf. Baumgart p. 10. Verbis pepercissem, nisi Harless p. 9 Liuium et Latinos et Graecos Fabii annales *respexisse* suspicatus esset. causa tamen quam adfert ad coniecturam suam stabiliendam nulla est. Etiam Nissen (*Unters.* p. 41) et Pluess (de Cinc. p. 15), qui Latinis usum esse Liuium annalibus Fabianis opinantur, non probauerunt certis argumentis.

[2]) Etiam hic errauit Harless p. 9 apud Plinium Latinos auctores intellegendos esse arbitratus, quod Fabius in indicibus Plinianis numquam non in eorum scriptorum numero conspiceretur, qui Latino sermone usi essent. sed opinione prorsus falsa ducitur, nam non sermone librorum sed origine hominum secernit Plinius homines. cf. ut alios omittam, ind. libr. XII, ubi in Romanis auctoribus est: *Sextius Niger qui Graece de dis scripsit.* ind. lib. XVIII. *item L. Tarutius, qui Graece*

iam supra demonstrauimus, quam ob rem fr. 3 se ex Graecis Fabii annalibus Aeneae somnium referre adiciendum esse duxit. de fr. 15 uix lis oriatur, quoniam Fabiorum auctoritatem praeposuit Cicero. ut autem hic potissimum ponerem, ea re adductus sum, quod eandem rem eodem modo etiam Dionysius, qui paulo post Q. Fabium citat, exposuit (cf. adnot.). idem dicendum est de Plutarcho (fr. 5ª. 7), qui in eis, quae priore loco ex Fabio Pictore suo sumpsit, consentit cum eis, quae Dionysius secundum Pictorem antiquissimum pertexuit, et de Solino (fr. 6 adn.), qui de anno Romae conditae sententiam Q. Fabii etiam ab aliis traditam profert. Restant fr. 28, quod Valesius ex Polybio in Suidae thesauros congestum esse recte iudicauit, et fr. 20, quod Strabo seruauit, qui eos tantum modo scriptores qui Graece scripserunt, adhibuit. Denique fr. 1.[1]) 2.[2]) 4 (quod

de astris scripsit. in ind. l. XXXIII *Iulius Bassus, qui de medicina Graece scripsit.*

[1]) Krausius p. 63 hoc fragmentum *Fabii grammatici* esse putauit, deceptus corrupta uerborum Victorini scriptura. ita enim legebatur et interpungebatur: *Repertores litterarum Cadmus — et Euander ad nos transtulerunt. — Postea quasdam a Palamede et alias a Simonide adiectas implesse numerum XXIIII. In comoedia scriptum erat ellum: non recte uos fecistis illum: est enim en illum. Grammatici praeterea Demetrius Phalereus, Hermocrates, ex nostris autem Cincius, Fabius, Gellius tradiderunt.* Tenorem uero orationis prorsus turbant *In comoedia — en illum,* quae recte eiecit Hertz de Cinc. p. 59. sed in eis uerbis, quae relincuntur, nescis, et unde pendeat sententia: *quasdam — implesse*, et quid tradiderint ei quinque quos Marius adfert auctores. itaque *quasdam — implesse* cum u. *grammatici — tradiderunt* coniungenda sunt, tum uero propter u. *praeterea* post *grammatici* distinguendum, et grammatici ab aliis auctoribus segregandi sunt. Quod Lersch (*Sprachphilos.* III p. 145) scripsit *Graeci* pro *grammatici* probari nequit, quia etiam Demetrius et Hermocrates Graeci fuerunt.

[2]) Primus indicauit hoc fr. M. Haupt (Hermae uol. I p. 36 sqq.) latens in adnotatione Isidori (Areual. III p. 566 (= Otto p. 143). inuenerat autem Areualus in Isidori codicibus ecclesiae Toletanae charactere Gothico exaratis, neque tamen in contextum Isidori recepit, cum omnino nihil cohaererent cum Isidori uerborum sententia, quibuscum consarcinata erant: *Satyriasis iuge desiderium Veneris cum extensione naturalium locorum: dicta passio a satyris.* patet igitur casu quodam in uacuum exemplaris alicuius originum marginem ea esse delata et postea, ut fieri adsolet, in ipsas origines intrusa. neque tamen ideo auctoritate carent. quae enim ex Alexandro Polyhistore excerpta illic prolata sunt,

Eusebius deprompsit ex Diodoro, quem Latinis auctoribus usum esse nobis non persuasit Harless), 12[1]) in hoc numero exstare noluimus, quod ad aliquem Fabium referenda erant, et, ut nihil inpellebat ut Latinis annalibus adscriberemus, ita nihil inpediebat, quominus Graecis tribueremus. asterisco tamen haec distinximus.

Sed redeamus ad illud, unde deuertimus. si enim Dionysii (I 79) uerbis fidem habemus, hunc Fabium secuti sunt in primordiis urbis enarrandis L. Cincius, Porcius Cato, Calpurnius Piso, ceterorum scriptorum maior pars. sed est sane cur de Cincio quidem uehementer dubitemus. primum enim parum est ueri simile, Cincium, qui aut eodem tempore quo Fabius aut perpaucis annis post libros suos conposuit, illius annales descripsisse. tum in tanta fragmentorum Cincianorum paucitate tamen de anno ipso quo Roma condita sit, cum Fabii ratione multum discrepat, quoniam duodeuiginti annis post Fabium illud factum esse uult (Fab. fr. 6. Cinc. fr. 4). nec minus infeliciter Dionysius Pisonis exemplum posuit, qui primus uiam a superioribus historicis initam deseruit et fabulas, quas alii inexploratas in historias receperant, colore mythico deterso ita mutare et nouare studuit, ut a naturae legibus non abhorrerent. magis credam de Catone, quamquam etiam hunc cum in multis rebus tum in anno urbis conditae definiendo ab eo discessisse constat, ut non totum eum huic auctori se addixisse probabile sit. caue tamen hinc conligas, me historicos illos eorum qui antea scripsere libris spretis omnia proprio Marte examinasse et explorasse arbitrari. immo magnam historicorum Romanorum partem Fabii uestigia pressisse atque eius uerba in sermonem Latinum uersa atque rhetorice exornata in suos annales transtulisse existimo[2]): illud dico, Dionysii sententiam leuiter et temere inde conceptam esse, quod scriptores illos in plurimis rebus consentire uiderat,

---

ita conueniunt cum eius ratione et consilio, quo res Graecas et Romanas consociare studebat, ut ex antiquo aliquo fonte illa uerba fluxisse statuendum sit. ceterum quae de re indagari poterant, proposuit Haupt l. s.

[1]) Apud Arnobium omnium auctorum qui adferuntur ordo ita perturbatus est, ut nihil faciat contra nos, quod Fabius agmen claudit.

[2]) Coelium Fabii de primis belli Hannibalici annis sententiam secutum esse uideri, infra, ubi de Coelio agemus, exponemus.

neque nos cogere, ut propter illam Fabium etiam Cincio fontem fuisse putemus.

Ex eis uero, qui aetatem tulerunt, scriptoribus Romanis primus usus est Fabio Cicero, qui pauca quaedam (fr. 3. 15) ex eo deprompsit, deinde Liuius, qui plurima, cum sex locis auctoris nomen adscriberet (fr. 10. 13. 17. 18. 19. 26),[1]) aliis significaret, plerisque reticeret. ut quod II 18, 5 apud 'ueterrimos auctores' T. Lartium dictatorem primum Sp. Cassium magistrum equitum creatos se inuenisse scribit, aliis locis, quibus Fabium potissimum antiquissimum scriptorem fuisse dicit, conparatis eum hunc in animo habuisse probabile est.[2]) deinde uero etiam haec Fabii uestigia apud Liuium in prima decade esse uidentur, quod, ubicunque fere ad res a Fabiis gestas transit, et pluribus et amplioribus utitur uerbis. quae enim de rebus annis 483. 271—477. 277 a Fabiis contra Veientes gestis uberius narrat, sic exorsus est (II 42, 8): *Fabium inde nomen ingens post tres continuos consulatus unoque uelut tenore omnes expertos tribuniciis certaminibus habitum. itaque ut bene locatus mansit in ea familia aliquamdiu honos.* deinde eis quae secuntur, talia inspersit (c. 45, 16): *Fabium nomen, Fabia gens maxime enituit.* c. 46, 4: *inter primores genus Fabium insigni spectaculo exemploque ciuibus erat.* c. 47, 12: *inde populares iam esse Fabii nec hoc ulla re nisi salubri rei publicae arte,* similia. tum quaecunque in his bellis bene geruntur, Fabiorum uirtuti et consilio, quae male, alienae culpae adtribuuntur. ut a. 481. 273 K. Fabius consul, posteaquam 'imperatoriis suis artibus' solo equitatu hostes fudit, exacerbato in se militum odio inpeditus est, quominus uictoria uteretur (II 43, 2—11. Schwegler II p. 742). insequenti anno proelium anceps sua uirtute restituunt Fabii (II 44—47. Schwegler II p. 744), a. 479. 275 T. Verginius consul temeritate sua totum exercitum amissurus erat, nisi K. Fabius conlega in tempore auxilio uenisset (c. 48, 5. Schwegler p. 746). denique totus color eius narrationis is est,

---

[1]) Prorsus omisi III 4, 1, ubi in codicibus quibusdam falso ex margine in tenorem orationis Fabii nomen inrepsit. cf. Alschefski a. h. l.

[2]) Non sunt confundendi cum his locis ei, quibus annales priscos Licinio Macro opponit (III 7, 10. IIII 7, 20. VII 9, 5). hic enim omnes annales, quos Liuius legerit, Macro antiquiores intellegendi sunt.

ut non dubitemus quin Niebuhr (h. R. II p. 224) uerum uiderit, cum eam ad gentis Fabiae commentarios domesticos redire suspicaretur, quae sententia etiam hac re confirmatur, quod Liuium in his capitibus (c. 47, 11) duarum M. Fabii consulis laudationum mentionem fecit (cf. supr. p. LXXXII). Iam ut ad ceteros libros pergamus, in enarranda discordia, quae inter Papirium Cursorem et Fabium Rullianum intercessit, ita cum Rulliano facit Liuius (VIII 30—35), ut, praesertim cum c. 30, 9 (fr. 18) Fabium Pictorem testem citet, haec quoque capita ad eius auctoritatem referenda esse uideantur. quin etiam totum paene caput tricesimum in fragmentis ponere non dubitauimus, cum, postquam alios bis cum hoste signa conlata rettulisse conmemorauit, diserte Liuius dicat *apud antiquissimos scriptores unam hanc pugnam inueniri*, scriptorem autem antiquissimum ipsum Fabium esse ex seqq. adpareat. simili studio exornauit Q. Fabii Maximi iter trans Ciminiam siluam factum (VIIII 35—37) eidemque soli adsignat laudem uictoriae ad Sutrium reportatae, quam Diodorus (XX 35, etiam in aliis rebus a Liuio in diuersas partes abiens) cum conlega communicat. denique toto libro decimo primas agunt Fabii.[1]) Neque tamen in his libris primarium fontem Pictorem fuisse Liuio et ex multis rebus, a Lachmanno magnam partem conlectis (de font. Liu. I p. 52. 53 passim. cf. etiam fr. 17 adnot.), quas aliter Liuius atque Fabius narrauit, satis elucet et ex ea re quod Liuius VIII 40, 1 et X 17, 11, quae in quibusdam annalibus Fabiis tributa inuenisse se dicit, in tenore orationis neglecta aliorum laudi dedit. etiam VIIII 28 tacite alium fontem sequi maluisse uidetur, ubi, quae Diodorus XVIIII 101 ad Q. Fabii dictatoris gloriam traxit, a Poetelio dictatore in Samnio gesta esse scripsit.[2])

In altera decade non neglectum esse Fabium a Liuio inde intellegitur, quod Orosius et Eutropius (fr. 23), quorum uterque

[1]) Cf. Ihne, hist. Rom. I p. 351 sqq.

[2]) Nitzsch mus. Rh. n. XXIII p. 600 sqq. XXIIII p. 145 ex libris II et III, in quorum fontes data opera adcuratius inquisiuit, haec secundum Fabium pertexta esse statuit: II c. 1—21 (XXIIII p. 145 sqq.). 33—41 (p. 150). 44—51 (p. 166 sqq.). Quamquam uero id mihi persuasit in his partibus uetustiores auctores adhibitos esse a Liuio quam a Dionysio in eis, quae his Liuianis respondent, tamen has totas paucis rebus exceptis ex eo sumptas esse uix adfirmare ausim.

ex Liuio pendet, eisdem fere uerbis Fabium historicum de bellis Gallicis laudant.[1]) Deinde plurima ad Fabium ex libris XXI et XXII referenda essent, si quae C. W. Nitzsch (*Monatsschr.* p. 67 sqq.) suspicatus erat[2]), probanda essent. is enim cum Niebuhri opinione recepta (praelect. I p. 49) Polybio Liuium in his libris usum esse negaret, quaecunque utrique in itinere, quod trans Alpes factum est, et in pugnis, quae ad Ticinum, Trebiam, lacum Trasumennum, iterum ad Geronium, ad Cannas conmissae sunt, describendis communia essent, ex eodem fonte annalium Fabianorum, in quibus hae tantum modo belli Hannibalici partes expositae essent, fluxisse opinatus est, eumque secutus Michael (*In wie weit hat Liuius den Polybius als Hauptquelle benutzt?* progr. gymn. Torgau. 1859) haec ad omnes huius decadis libros pertinere censuit. sed recte C. Peter (*Ueber die Quellen des XXI und XXII Buches des Liuius* progr. Portens. 1863) non solum in rebus ab utroque narratis magnam inter Liuium et Polybium intercedere cognationem, sed etiam, ne quis illud ex eodem auctore in usum uocato factum esse interpretaretur, multa quae propria essent Polybii dictionis et narrationis inueniri apud Liuium demonstrauit. nec minus in sequentibus libris Polybium saepissime usurpatum esse a Liuio explicare coepit alter (G.) Michael, qui dissertatione sua (*de ratione qua Liuius in tertia decade opere Polybiano usus sit* Bonnae 1867) de libris XXIII—XXVII egit, reliqua data opportunitate se absoluturum esse pollicitus est. Ego nolo huius sententiae patrocinium suscipere, praesertim cum nihil fere habeam, quod patris conmentationi addam, illud unum moneo, diuersam sane uideri rationem, qua Liuius in quarta de-

---

[1]) Vide etiam quae adnotauimus ad fr. 23.

[2]) Nunc Nitzsch in Sybeli *histor. Zeitschr.* XI (1864) p. 20 et in mus. Rhen. n. XXIII p. 601—608 etsi Polybio Liuium usum esse negare non destitit, a Fabio tamen recessit et quae apud utrumque similiter narrata exstarent, ex Sileno originem ducere coniecit, quem et Polybius et per Coelium Liuius transscripsissent, quam quidem sententiam pluribus firmandam suscepit C. Boettcher, *Kritische Untersuchungen über die Quellen des Livius im XXI und XXII Buch* in Fleckeiseni suppl. V p. 351—443. ego nil opus esse censeo ad talem opinionem confugere, quoniam mihi persuasum est, Polybium a Liuio etiam in libro XXI et XXII adhibitum et magnam partem in sermonem Latinum uersum esse. Ceteros qui eidem sententiae fauent, habes recensitos apud C. Peterum l. s. s. p. 1 sq.

eadem usus sit Polybio, ab ea qua in tertia, in illa ampliores partes ex eo desumptas et sine magno negotio conglutinatas esse cum eis quae ex Latinis annalibus interponeret, ut etiam nunc, quamquam perpauca fragmenta Polybiana huc pertinentia ad nos peruenerunt, librorum Liuianorum hae duae partes prorsus diuersae dignosci et secerni queant, in hac cum arte quadam minora Polybii frustula cum ceterorum auctorum uerbis coniuncta esse: id tamen facillime explicandum esse ita, ut Liuium, quem ad modum in singulis libris ad finem eum properasse iam a Lachmanno (de f. Liu. I p. 66) est animaduersum, ita eundem etiam toto procedente opere magis festinasse et, cum ampliores paullatim partes ex Polybio decerperet, has minore cum cura et diligentia cum eis, quae ex aliis fontibus hauserat, contaminasse dicamus.[1] Vt uero adcurate qua ratione Liuius Polybium exscripserit statuatur, multo certius mihi uidetur proficisci ex integris Polybii libris cum Liuio conparatis quam fragmentis Polybianis uti, cum qui diuersam sententiam sequantur, sic argumentari soleant, eam ob causam quod, si Liuius in tertia decade Polybium transscripsisset, aliam uiam ab eo initam esse oporteret atque in quarta et quinta, Liuium Polybio in hac librorum suorum parte omnino non usum esse uideri. quae quidem argumentatio a uia et ratione aberrauit.

Sed alio loco quae non debeat in his libris Liuius Polybio, maximam partem ad Coelium Antipatrum (cuius in fontibus etiam Fabium ponere non dubitamus) referemus, se tamen non prorsus abstinuisse manus a Fabio, quem etiam in libro XX (fr. 23) laudauerat, ipse Liuius testatur XXII 7, 4 (fr. 26), ubi se in numero eorum definiendo, qui ad lacum Trasumennum interfecti sint, *Fabium, aequalem temporibus huiusce belli, potissimum auctorem* habere profitetur.[2] quae uerba si conparaueris, etiam

---

[1]) Ipse C. W. Nitzsch, qui Polybium in tertia decade a Liuio adhibitum esse negat, Liuium in prima decade non tam presse auctores suos secutum esse censet quam Polybium in quarta et quinta decade (m. Rh. n. l. s. p. 612 sq.).

[2]) In ipsa pugna describenda eum quae Polybio inspergeret, ex Coelio deprompsisse infra exponemus. nam Fabii auctoritas ad solum hominum caesorum numerum pertinet, id quod cuiuis, qui non praeoccupatus animo ad hunc locum interpretandum accesserit, facile adparebit. Cf. C. Peter l. s. p. 55.

duobus aliis locis a Liuio eundem significari cum quadam probabilitatis specie conicies. prior hic est (XXV 11, 20): *Ceterum defectio Tarentinorum utrum priore anno an hoc* (212. 542) *facta sit, in diuersum auctores trahunt. plures propioresque aetate memoriae rerum hoc anno factum tradunt.* ubi cum Polybio, qui Tarentum a. 213. 541 defecisse rettulerat (VIIII 3), auctorem antiquiorem opponat, non potest in animo habere Coelium, qui Polybio fere fuerit aequalis, sed solum Fabium, cuius auctoritatem XXII 7, 4 de eadem causa aliis praetulerat. in eis uero quae antea enarrauerat, Liuium in uniuersum Polybii annales (VIII 25 sqq.) uertisse, inseruisse tamen quaedam etiam ex auctore Latino mihi persuasit G. Michael (*de ratione* p. 44 sqq. uid. etiam Weissenborn a. h. l.). praeterea Liuius Fabium significasse uidetur XXVIIII 14, 5: *Eo accessit* (*a.* 204. 550) *consultatio de matre Idaea accipienda. — haud paruae rei iudicium senatum tenebat, qui uir optimus in ciuitate esset. — P. Scipionem Cn. f. eius, qui in Hispania ceciderat, adulescentem nondum quaestorium iudicauerunt in tota ciuitate uirum bonorum optimum esse. id quibus uirtute inducti ita iudicarint, sicut traditum a proximis memoriae temporum illorum scriptoribus libens posteris traderem*[1]*, ita meas opiniones coniectando rem uetustate obrutam non interponam.*[2])

Praeterea ex Romanis Fabium Pictorem laudauit Plinius

---

[1]) Reticere nolo et Diodorum (34, 60) et Dionem (fr. 57, 61) uirtutes addidisse Scipionis inter se congruentes. haec enim ille: *ἐκρίθη τῶν μὲν ἀνδρῶν ἄριστος Πόπλιος Νασικᾶς, τῶν δὲ γυναικῶν Οὐαλερία. οὐ μόνον γὰρ τῇ πρὸς θεοὺς εὐσεβείᾳ διαφέρειν ἔδοξεν ἀλλὰ καὶ πολιτικὸς ὑπῆρξε καὶ συνετὸς ἐν τῷ τὴν γνώμην ἀποφαίνεσθαι.* Dionis uerba haec sunt: *ὅτι τοῦ Πυθίου κελεύσαντος τοῖς Ῥωμαίοις τῷ ἀρίστῳ τῶν πολιτῶν ἐπιτρέψαι τὴν θεὸν ἐκ Πεσσινοῦντος κομιζομένην ἐς τὸ ἄστυ, Πούπλιον Σκιπίωνα, παῖδα τοῦ Γναίου τοῦ ἐν τῇ Ἰβηρίᾳ τελευτήσαντος ὄντα, ἁπάντων προέκριναν καὶ προετίμησαν, αἴτιον δὲ ὅτι ἄλλως τε . . . καὶ εὐσεβὴς καὶ δίκαιος ἐνομίζετο.* Has tamen uirtutes quiuis ipse nullo auctore fingere potuit neque opus erit hanc ob causam, quod et Diodoro et Dioni Fabius haud ignotus fuisse uidetur, illo loco Liuiano Fabium significatum esse negare.

[2]) Nescio an quae de Pleminii causa Liuius rettulit (XXVIIII 6—9. 16, 4—22), ad eundem Fabium redeant. totus enim Liuius ibi facit cum Q. Fabio, qui fuit princeps aduersariorum Scipionis (c. 19). uid. in primis c. 16, 5: *nec tam Plemini scelus quam Scipionis in eo aut ambitio aut neglegentia iras hominum inritauit.*

bis in naturalis historiae libro X et XIIII (fr. 24 et 27) et in indice libri XV, in quo ipsa tamen Fabii uerba delituerunt.[1]) num alia ex eo sumpserit, ignoramus. utique nomen eius in indicibus librorum X et XIIII propter eos locos, quibus in ipsis libris Fabii auctoritatem adscripsit, additum esse ex ordine quo auctores enumerantur conligitur, neque operae esse pretium uidetur alia Fabii uestigia in eis quaerere. Hic tamen postremus scriptor Romanus ipsum in manibus habuisse et exscripsisse uidetur, nam Arnobium (fr. 12) et Marium Victorinum (fr. 1), quae ex eo referunt, alius auctoris diligentiae debere, et per se admodum ueri simile est, et semper, ubi a talibus scriptoribus conplures auctores citatos inuenies, aequo animo spondere potes, non omnes aut plures sed nouissimum quemque ab eis inspectum, aliorum nomina inde sumpta esse. nec minus quae Solinus (adn. fr. 6) de anno urbis conditae ex conpluribus scriptoribus congessit, omnia iam conlecta apud scriptorem aliquem uidetur inuenisse. de Isidoro denique uel quisquis illa in originum margine adnotauit (fr. 2) uerba facere superuacaneum est. ad hanc enim aetatem Fabium seruatum esse nemo somniabit.

Accedimus ad scriptores Graecos, quorum primus Polybius eo usus est. eius iniquum iudicium iam supra (p. LXXXIII) disseruimus quatenus probari possit, nunc quaeritur, num existimandum sit Polybium infra se duxisse scriptorem fontem habere, in

---

[1]) Seposuimus hunc Plinii locum, quamquam Fabius citatur (VIII 81): *Euanthes inter auctores Graeciae non spretus tradit Arcadas scribere ex gente Anthi cuiusdam sorte familiae lectum ad stagnum quoddam regionis eius duci uestituque in quercu suspenso tranare atque abire in deserta transfigurarique in lupum et cum ceteris eiusdem generis congregari per annos nouem. quo in tempore si homine se abstinuerit, reuerti ad idem stagnum et, cum tranauerit, effigiem reciperare ad pristinum habitum addito nouem annorum senio. id quoque Fabius eandem recipere uestem. mirum est quo procedat Graeca credulitas! nullum tam inpudens mendacium est, ut teste careat.* adparet enim non hunc Pictorem dici sed Graecum aliquem scriptorem. Brunn *de indic. Plin.* p. 21 Fabium Procilium intellegit, qui in indice eius libri altero loco ponitur et § 4 de Pompeii triumpho laudatur. is autem fuit Romanus neque in eum quadrat, quod deinde de Graecorum credulitate exclamat Plinius. ego cum Silligio, qui nomen *Fabius* pluribus nominibus offendere adnotauit, mendum inesse suspicor. latet fortasse in u. *Fabius* aut uerbum aliquod *subicit* uel *subdit* uel tale quid, aut *fabulosius*, quod Pellicerius coniecit, Detlefsen in contextum recepit.

quo tam multa reprehendenda essent. Atqui hoc certis argumentis euinci potest, Phylarchum, Agidis et Cleomenis admiratorem, quamuis multis opprobriis a Polybio Achaeo, qui Arati studiosus erat, obrutum tamen spretum non esse atque in eius auctoribus fuisse (cf. mus. Rhen. nou. XXII p. 81 cum not. 53), idemque de Timaeo poterit demonstrari. deinde quaedam nobis occurrunt Fabii certa uestigia in Polybii historiis, ubi auctoris nomen frustra requirimus: ut III 84, 7 eundem Romanorum (fortasse etiam Poenorum uid. adnot. ad fr. 26) numerum ad lacum Trasumennum caesum esse scripsit, quem Fabius (fr. 26), cum alios alium numeros rettulisse ex Liuio conpertum habeamus; tum II 24 totidem hominum milia ad bellum Gallicum a. 225. 529 parata fuisse quot Fabius (fr. 23 cf. adn.). denique etiam quod eodem anno ab Aemilio consule quadraginta milia Gallorum caesa esse et Polybius (II 31) et Eutropius (III 5) Orosiusque (IIII 13) memoriae prodiderunt, aut uterque, et Polybius et Liuius, Fabii auctoritate nituntur aut Liuius Polybium exscripsit.[1]) Quae cum ita sint, quia nusquam alius de his rebus primarii fontis uestigia apud Polybium adparent[2]), et uix probari potest, omnia ab ipso ex ore eorum, qui interfuerunt, excepta et conquisita esse: ut Phylarchum et Timaeum, sic etiam Fabium, quamuis acerbe reprehensum, in scribendo eum secutum esse ueri simile est.

D i o n y s i u s in primordiis urbis enarrandis conplura se ex Fabio hausisse ipse professus est, num multa alia sumpserit, cum Kiesslingio (de Dion. font. p. 7 sqq.) dubito, cum ille et in eis quae post urbem conditam facta sunt, non satis copiosus et prolixus esset, et omnino ingenio eius Fabii narrandi genus uix placeret. sic enim loquitur de hac historia, Fabium aut aperte dicens aut in animo habens (cf. adn. ad fr. 5ª et 7): οἱ δὲ πλεῖστοι μ υ θ ο λ ο γ ο ῦ σ ι τοῦ δαίμονος εἴδωλον (I 77), μέχρι μὲν δὴ τούτων οἱ πλεῖστοι τῶν συγγραφέων τὰ αὐτὰ ἢ μικρὸν παραλλάττοντες οἱ μὲν ἐπὶ τὸ μ υ θ ω δ έ σ τ ε ρ ο ν, οἱ δ' ἐπὶ

---

[1]) De Nitzschii et Boettcheri opinionibus uide supr. p. LXXXXI et infra d. uit. et scr. Coel. Ant.

[2]) Etiam III 22, 2, ubi Brutum et Horatium consules fuisse ait duodetriginta annis, postquam Xerxes in Graeciam transiisset, Fabii temporum rationem eum sequi animaduertit Mommsen chronol. p. 124.

τὸ τῇ ἀληθείᾳ ἐοικὸς μᾶλλον ἀποφαίνουσι (I 79), *ἕτεροι δὲ οὐδὲν τῶν μυθωδεστέρων ἀξιοῦντες ἱστορικῇ γραφῇ προσήκειν τήν τε ἀπόθεσιν τὴν τῶν βρεφῶν οὐχ ὡς ἐκελεύσθη τοῖς ὑπηρέταις γενομένην ἀπίθανον εἶναί φασι* (I 84). quam ob rem initio quidem (I 71—78) utramque et Fabii, ad quem uetustate et auctoritate eius scriptoris ducebatur, et Pisonis, quo ipsius animus et studium inclinabat, narrationes, quas de rebus Romuli et Remi exhibuerant, coniungere studuit, postea autem, quia nimis inter se diuergebant, hac re desperata eas seiunctas, unam post alteram libris suis inseruit, postremo magis magisque se Pisonibus addixit et raro Fabium inspexit, quem, posteaquam ad liberae rei publicae res peruenit, si unum locum excipis (fr. 16 cf. adnot. fr. 15), cum nimis breuiter res indicaret potius quam enarraret, prorsus uidetur abiecisse. aperte enim hic recentiores et uberiores auctores secutus est. qua de causa etiam in eis capitibus (VIIII 1 sqq.), quibus bellum a Fabiis contra Veientes susceptum narratur, quae ex Fabiae gentis commentariis domesticis hausta esse suspicatus erat Niebuhr (h. R. II p. 224, adsentiente Schweglero II p. 745), ea ipsa ueteris coloris uestigia, quae seruauit Liuius, desiderari recte ostendit Nitzsch l. mus. Rhen. s. p. 169.

Diodorum Siculum Fabio frequenter esse usum Niebuhr inde coniecit, quod uix scriptor quisquam ante Pyrrhi bellum Graeco sermone omnia persecutus sit (hist. R. II p. 192 n. 367) et quod in libro XI in temporum ratione totidem annis a Dionysio distet quot in anno urbis conditae (II p. 630) eodemque anno post urbem a Gallis captam primos consules de plebe creatos esse rettulisse uideatur quo Fabius. eandem sententiam habet Mommsen (cf. chronol. 148 n. 288), qui quaecunque fere Diodorus de Romanorum rebus antiquis memoriae prodidit, ad Fabii auctoritatem referre solet (ut chronol. 121. 148. 273).[1] Equidem mihi nondum haec satis explorata uideri fateor cautius-

[1]) Etiam argutior esse uoluit Harless, cum demonstrare studeret (p. 3—6) Diodorum ex Latinis Fabii annalibus exscripsisse, sed absurda eius argumenta esse recte iam docuit Du Rieu p. 163. Nuper hanc rem retractauit G. Collmann (*de Diodori Sic. fontibus comment. capita quattuor.* Marburgi 1869 p. 26—56), qui cum alias Mommseni de Diodoro coniecturas suo iure repelleret, in eo tamen, quod Fabii auctoritate Diodorum usum esse probare studuit, operam perdidit.

que de ea re iudicandum esse. primum enim is locus, quo nititur Niebuhr, non ita in libris scriptus exstat, quemadmodum ille uult, sed alium numerum exhibet atque non ex huius Fabii Graecis annalibus sed ex Latinis alius Fabii sumptus est (fr. 5). deinde hoc exploratum est secundum Diodorum (fr. XVIIII Dind.) Romam conditam esse altero anno septimae olympiadis, secundum Fabium tribus annis post. quid? quod eo ipso loco, ubi Diodorus (apud Eusebium uel Syncellum fr. 3) Fabium auctorem citat, nihil praeter hoc ipsum ei debere uidetur. ibi enim refutat scriptorum quorundam opinionem, qui Romulum ex Aeneae filia natum condidisse Romam scripserint[1], atque sic suam sententiam exponit: *Αἰνείας γὰρ μετὰ τὴν ἅλωσιν τῆς Τροίας ἐτῶν τριῶν παρελθόντων παρέλαβεν τὴν τῶν Λατίνων βασιλείαν καὶ κατασχὼν τριετῆ χρόνον ἐξ ἀνθρώπων ἠφανίσθη καὶ τιμῶν ἔτυχε ἀθανάτων, τὴν δ' ἀρχὴν διαδεξάμενος Ἀσκάνιος υἱὸς ἔκτισεν Ἄλβαν, τὴν νῦν καλουμένην Λόγχαν, ἣν ὠνόμασεν ἀπὸ τοῦ ποταμοῦ τοῦ τότε μὲν Ἀλβᾶ καλουμένου, νῦν δὲ Τιβέρεως ὀνομαζομένου. περὶ δὲ τῆς προσηγορίας ταύτης Φάβιος — ἄλλως μεμυθολόγηκεν κ. τ. λ.* adparet duas sententias a Diodoro hoc loco inter se opponi, sententiam eius auctoris, quem ipse sequitur, atque scriptorum illorum quorundam Fabiique, et, nisi aliunde conpertum haberemus, quid Fabius de Romuli genere tradidisset, adsentiremur sine dubitatione Mommseno (chron. p. 148), qui ex citandi more illis scriptoribus usitato etiam priore loco Fabium significatum esse conclusit. at uero et ex Plutarcho, qui diserte nos reuocat ad Fabii auctoritatem (fr. 5[a]) et ex Dionysio, quem iam hic Fabium exscripsisse ueri est simile (uid. adn. ad fr. 5[a]), scimus, Fabium fabulam uulgarem, qua Numitoris nepos Romulus credebatur, recepisse. quam ob rem fieri non potest, ut priore loco Diodorus Fabium reiecisse uideatur, et perrara uestigia relincuntur, quibus ducti Diodoro Fabium fontem primarium fuisse existimemus.[2]) Acquiescendum est

---

[1]) Eadem inueniuntur apud Dionysium I 73: *ἕτεροι δὲ θυγατρὸς Αἰνείου παῖδας [γενέσθαι λέγουσι Ῥωμύλον τε καὶ Ῥῶμον τοὺς οἰκιστὰς τῆς Ῥώμης], ὅτου δὲ πατρὸς οὐκέτι διορίζοντες κ. τ. λ.*

[2]) Etiam ea quae de Hamilcaris studio tyrannidis Diodorus (exc. de uirtut. XXV p. 102 Dind.) rettulit, uix conciliari possunt cum Fabio (fr. 25 c. adn.). haec enim ille de Hamilcare: *ὕστερον δὲ μετὰ τὴν κατάλυσιν τοῦ κατὰ τὴν Λιβύην πολέμου συστησάμενος ἑταιρείαν*

in eis, quae ipsi de fontibus suis proponere placuit (I 4): *Ἡμεῖς γὰρ ἐξ Ἀγυρίου τὸ γένος τῆς Σικελίας ὄντες καὶ διὰ τὴν ἐπιμιξίαν τοῖς ἐν τῇ νήσῳ πολλὴν ἐμπειρίαν τῆς Ῥωμαίων διαλέκτου περιπεποιημένοι πάσας τὰς τῆς ἡγεμονίας ταύτης πράξεις ἀκριβῶς ἀνελάβομεν ἐκ τῶν παρ' ἐκείνοις ὑπομνημάτων ἐκ πολλῶν χρόνων τετηρημένων.*[1])

Num Strabo[2]) praeter eum locum, ubi addito nomine Fabium citauit, eo usus sit, pro certo adfirmari non potest. quae tamen de origine urbis (V 3 p. 229 sq.) exponit, potuerunt ea manare ex Fabio, repraesentant certe memoriam Romanam, non Graecam, atque cum Strabo sermonis Latini haud ita gnarus fuisse uideatur neque frequenter scriptores Latinos legerit, de quibus iudicium prorsus peruersum ferat (III 19 p. 166), Fabii Graecos annales eum praetulisse non abhorret a ueri similitudine.[3])

Ex Plutarchi uitis huc pertinent Romuli, Fabii, Marcelli uitae, nam in ceteris Plutarcho annales Fabianos materiam suppeditare non potuisse ex eorum indole, quam supra adumbraui-

---

τῶν πονηροτάτων ἀνθρώπων καὶ ἐκ τούτων ἀθροίζων καὶ ἐκ τῶν λαφύρων ὠφελείας, ἔτι δὲ αὐτὸν ὁρῶν ταῖς πράξεσιν αὐξανόμενον καὶ δοὺς εἰς δημοκοπίαν καὶ πλήθους ἀρέσκειαν, παρεστήσατο τὸν δῆμον ἑαυτῷ παραδοῦναι τὴν στρατηγίαν ὅλης τῆς Λιβύης εἰς χρόνον ἀλόγιστον (sic enim recte scripsit Dindorf pro *ὀλίγιστον*, quod est in codice sed ferri nequit), ubi consentit cum Appiano (uid. adn. ad fr. 25), qui item primum Hamilcarem consilia illa cepisse scripsit. Fabius uero Hasdrubalis *πλεονεξίαν καὶ φιλαρχίαν αἰτίαν γενέσθαι τοῦ κατ' Ἀννίβαν πολέμου* censuerat.

1) Mirum est, quod Pluess in Iahn. ann. uol. 99 p. 241 ueteres fontes Latine scriptos (*alte lateinische Quellen*) a Diodoro esse exhaustos et haec Diodori uerba fauere Harlessi opinioni, qua Fabii Latinis annalibus eum usum esse coniecerat, conclusit. possunt enim illa intellegi et de Latinis et de Graecis annalibus a Romanis conditis.

2) Misi Nicolaum Damascenum (fr. 5[a]). nam siue cum Corayo, Orellio (a. h. l.), Ritschelio (de cod. Vrbin. p. 17), L. Dindorfio (Iahn. ann. 99 p. 111 sqq. et hist. gr. min. p. V) librariorum culpa illud factum esse existumamus, ut Dionysii uerba inter eius excerpta intruderentur, siue, quod tamen mihi minus placet, cum Muellero (fr. h. Gr. III p. 410 not.), Nicolaum hoc loco Dionysiana ad uerbum in libros suos transtulisse, Fabio certe non est usus.

3) Quamquam non ignoro, apud Fabium filiae precibus exoratum Amulium Siluiam non occidi, sed uinciri iussisse, apud Strabonem propter fratrem Amulium (*χαριζόμενος ἀδελφῷ*) Siluiae uitae pepercisse eum. hoc tamen Strabonis errori tribui potest.

mus, sequitur. cf. *Quellen des Plut. in den Biographien der Römer* p. 146—162. 171. 51—57. 74—80. atque in Romulo quidem, cuius fons primarius fuit Varro, bis Fabium citat et quae de Romuli et Remi initiis narrauit, ipse se ex eo sumpsisse testatur, sed etiam aliis locis eius uestigia conspiciuntur, ut in Tarpeiae proditione (cf. adn. ad fr. 8). in Fabii atque Marcelli uitis Plutarchum paucis exceptis plurima ex Pictoris Graecis annalibus hausisse eosque adcuratissime secutum esse, ut saepe ipsa uerba retineret, euincere conatus est M. Buchholz (*Quibus fontibus Plutarchus in uitis Fabii Maximi et Marcelli usus sit* Gryphisw. 1865). etiam ego quondam in hanc opinionem incideram, cum Fabium conmunem Liuio et Polybio fontem esse arbitrarer. postea tamen cum iterum iterumque in hanc rem inquisiuissem, eam reiciendam esse intellexi. multa sane insunt in his uitis, quae pro Fabio facere uideantur, in primis mirus consensus in aliis cum Liuio, in aliis cum Polybio; sed quoniam fundamentum, quo haec sententia nitebatur, conmunem Liuio et Polybio fontem fuisse Fabium, subtractum est, ad alium fontem refugiendum est. hunc fontem primarium, nisi uiam ab aliis uitis prorsus diuersam in hisce uitis conscribendis Plutarchum ingressum esse statuimus, Liuium fuisse aut Polybium uix poterimus suspicari. ut tamen certum aliquem auctorem indagaremus, nondum nobis contigit.

Appiano haud ignotos fuisse Fabii annales inde adparet, quod, ubi legationis eis Delphicae mentionem facit (Hannib. 27), eum *συγγραφέα τῶνδε τῶν ἔργων* appellat; plerumque uero eum pendere ex auctoribus Graecis, Sosilo, Chaerea eorumque similibus mihi persuasit C. Peter (*Liv. u. Polyb.* p. 65 sqq. 76).

Cassium Dionem in eis partibus quibus potuit Fabio usum esse primario auctore se inuenisse praedicat Niebuhr (in epist. ad Sauignyium mense Apr. 1827 data. *Lebensnachrichten* III p. 187. cf. h. R. II p. 13. 191 n. 367), dein causis certis R. Wilmans (*de font. et auctor. Dion. Cass.* Berol. 1835 p. 3—6) demonstrasse sibi uisus est. is tamen leuissime hanc rem transegit, in qua diligentiore disputatione opus est, atque ea perpauca argumenta, quae protulit, iam diluit Du Rieu p. 164 sq. ceterum uix potuisse Dionem, scriptorem Graecum, Fabio uti in eis describendis quae post Romulum usque ad bella Punica facta sunt, satis adparet ex iudicio, quod Dionysius de hac annalium Fabianorum

parte fecit.[1]) quaeritur, num in primordiis urbis atque in bellis Punicis Fabius fons fuerit. atque de illis quidem summas praeter Zonaram ex Dione seruauit Tzetzes (ad Lycophr. 1232 fr. 4 p. 3 D.), quae ita cum Fabio consentiunt, ut in eis Dioni Fabius auctor fuisse possit (cf. adn. ad fr. 4). bellum autem Punicum alterum in similem modum enarrauerat atque Appianus, quam ob rem de hoc Dionis historiarum fonte idem est statuendum quod de Appiani (cf. C. Peter *Liv. u. Polyb.* p. 67 sqq. 76).[2])

Itaque usque ad Plutarchi aetatem Fabii annales seruatos esse uidimus. num etiam ultra id tempus peruenerint, non liquet; nam quamquam Dionem eo usum esse ueri est simile[3]), tamen certa eius uestigia frustra quaesiuimus, cum etiam auctorem ex Fabio pendentem exscribere potuerit. Vt uero quo tempore Liuii splendor iam omnes Latinos annales obscurauerat, Fabius in hominum manibus esset et lectitaretur, in primis Graeco annalium sermone factum esse uidetur, quo Graecos scriptores, cum et libros a Romano scriptos et suum sermonem haberent, adlectos esse credibile est.

---

[1]) Discrepantiam quandam Zonarae cum Fabio uid. in adnot. fr. 19.

[2]) Maxime in Hannibalis indole ac natura depingenda (fr. 54) ita ei fauet, ut uix scripserit talia Fabium secutus, quem Polybius Poenorum irae, studii Romanorum insimulet.

[3]) Syncellus et Eusebius (adn. fr. 6) quae ex Fabio de anno urbis natali adferunt, ex Dionysio sumpserunt.

L. CINCIVS ALIMENTVS[1])

Q. Fabii Pictoris quasi umbra est L. Cincius Alimentus, genere ortus plebeio ille quidem sed antiquo et nobilissimo. De eo certissimum testimonium habemus apud Liuium, qui XXI 38, 3 (fr. 7) ubi ad L. Cincii Alimenti auctoritatem prouocat, eum captum se ab Hannibale scribere dicit. Punicis bellis eum floruisse cum Fabio adfirmat Dionysius (I 6) additque alio quodam loco (I 74 fr. 4) eum senatorii ordinis (τῶν ἐκ τοῦ βουλευτικοῦ συνεδρίου) fuisse. itaque quoniam hunc historicum in senatu fuisse uidemus, praesertim cum praeter hunc unum alium Cincium Alimentum (fortasse Lucii fratrem[2]), cui pronomen fuit Marco, qui tribunus plebis a. 204. 550, Liu. XXVIIII 20, 11, legem de donis et muneribus tulit, postea a. 193. 561 Pisarum praefectus fuit, Liu. XXXIIII 56, 1, rem publicam capessiuisse cognouerimus, quin haud diuersus ille sit non dubitabimus[3]) ab eo L. Cincio Alimento, quem idem Liuius (XXVI 23, 1) a. 211. 543 praetorem creatum esse tradidit.[4]) deinde insequenti anno cum M. Valerio Laeuino, consule eius anni, cui Sicilia prouincia

[1]) H. Liebaldt, *historicorum Rom. relliquiae denuo collectae et illustratae* (specimen de Cinciis) Halis. 1833. M. Hertz, *de Luciis Cinciis scripsit, Cinciorum fragmenta edidit.* Berol. 1842. Th. Mommsen in chronol. Rom. p. 268—271. Th. Pluess *de Cinciis rerum Romanarum scriptoribus* Bonn. 1865. idemque *Ein neuer röm. Geschichtschreiber* in mus. Heluet. n. VI (1866) p. 36—64.

[2]) Liebaldt p. 8. Closset *essai* p. 447 n. 9.

[3]) Pighii (annal. II p. 142), quem secutus est Clinton fast. Hell. III p. 41, sententiam, qui hunc historicum praetoris filium fuisse coniecerat, iam Liebaldt p. 7 confutauit. uid. etiam Hertz p. 8.

[4]) Quae de quaestura prouinciali, tribunatu, aedilitate pleb. Pighius (ann. II p. 142. 171. 178) protulit, repetierunt Liebaldt p. 5, Lachmann d. f. L. II p. 16, Krause p. 64, ex hac praetura et lege Villia annali conlecta sunt.

obtigerat (Liu. c. 29, 1. 30, 1) ex patrum decreto in locum P. Cornelii Lentuli propraetoris missus ad obtinendam Siciliam Cannenses milites accepit duarum instar legionum, neque tamen quibus in rebus consuli satis feliciter rem gerenti, ut eo anno in Sicilia debellaretur, interfuerit, Liuius adiecit. exeunte anno cum consul litteris excitus Romam rediret, prouinciam exercitumque ei mandauit (XXVII 5, 1), ut summum Siciliae imperium penes Cincium esset. neque uero diu in hac dignitate uersatus est, nam paucis diebus consul posteaquam abiit controuersia inter ipsum senatumque de dictatore dicendo orta clam nocte in Siciliam reuertit (c. 5, 8). sequenti anno utrique in Sicilia imperium prorogatum idemque Cannensis exercitus eique milites, qui ex Cn. Fuluii legionibus supererant, addita eadem ignominia, sub qua Cannenses militabant, sunt dati (c. 7, 13). cum uero senatus decreuisset, ut M. Valerius Laeuinus aut ipse cum classe praedatum in Africam traiceret aut L. Cincium uel M. Valerium Messallam mitteret (c. 7, 16), illo anno hoc imperium neglexisse uidetur atque satis habuit duobus exercitibus suis Siciliam obtinere, ita ut altero Cincium partem insulae, qua regnum Hieronis fuisset, tueri iuberet, altero ipse ceteram insulam tueretur (c. 8, 16). tum a. 208. 546 Sexto Caesari in Sicilia exercitus, M. Valerio Laeuino classis data est (c. 22, 9), L. Cincius cum classe (quam num a Laeuino acceperit nescimus) ex Sicilia ad Locros oppugnandos traicere iussus est (c. 26, 3) et ut ab terra quoque moenia oppugnari possent, a Tarento pars exercitus, quae ibi in praesidio erat, eo ducebatur. hi tamen milites Hannibalis insidiis circumuenti aut occisi aut capti sunt aut Tarentum rediere (c. 26, 4). nihilo minus Cincius, quamuis destitutus esset ab hac auxiliorum spe, summa ui, operibus tormentorumque omni genere ex Sicilia aduecto rem fortiter ac strenue terra marique (cf. c. 28, 17) gerebat. tum uero Hannibal occiso Marcello consule aduentabat, simul Mago, qui urbi praeerat, in Romanos erumpit, ut hi ab utraque parte pressi relictis operibus machinisque ad mare ac naues fugerent obsidionemque soluerent (c. 28, 13—17). Cincius in Siciliam, inde, quia imperium in Sicilia ei in hunc annum prorogatum non erat, Romam se contulit (cf. c. 29, 4), ibique tum magna auctoritate, quamquam Locris repulsus erat, floruisse uidetur. nam cum Crispinus consul graui uulnere ne comitiorum causa Romam ueniret, inpeditus

a senatu petiisset, ut ad se mitteret 'uiros prudentes', cum quibus quae uellet de re publica loqueretur, misit is L. Cincium Alimentum, L. Iulium Caesarem, L. Licinium Pollionem (c. 29, 1—6). postea uero nusquam horum legatorum fit mentio, atque L. Cincii omnino euanescit memoria.

Iam quaeritur, quo tempore utrum ante praeturam an post captus sit. atque Niebuhr quidem (h. R. I p. 282) initio belli Hannibalici in Poenorum manus Cincium incidisse dicit. sed cum tum Romani captiuos aut redimere nollent aut sicut eos qui fugerant ignominia notarent, recte id fieri potuisse negant Lachmann de f. L. II p. 16 et Liebaldt, p. 7. quae enim causa fuit Romanis, ut hunc potissimum, qui nondum ad rem p. accesserat, redimerent? deinde, ut hoc factum esse largiamur, si Cannensi exercitui sub ignominia in Sicilia militanti is qui ipse in Poenorum potestate fuerat, praeficiebatur, nonne omnia disciplinae uincula soluebantur? itaque, quoniam per Liuium liberum de tempore arbitrium est, rectius Cincium post a. 208. 546 in Hannibalis potestatem uenisse existimabimus.

Strenue igitur L. Cincius bello Hannibalico interfuit ciuesque et re manuque et consilio adiuuit. postea idem quam uaria esset belli fortuna expertus a Poenis captus est, sed minus acerbe tractatus atque etiam cum ipso Hannibale congressus et Graeco sermone, cuius utrumque gnarum fuisse constat, de belli rebus conlocutus uidetur.

Fortasse hac re quod multa audiuerat ex Hannibalis ore, adductus est, ut uel in captiuitate uel post bellum confectum in patriam reuersus historiae scribendae operam daret. De ipsis annalibus tamen quae dici possunt, nunc breuiter absoluemus. quae enim pauca de eis nota sunt, prodita ea sunt a Dionysio Halicarnasensi atque iam supra cum de Fabio ageremus, quoniam uno loco excepto ille semper Cincium consociauit cum Fabio, a nobis exposita et explicata (p. LXXII sqq). Graece[1]) igitur propter patrii sermonis asperitatem quam Latine scribere maluit[2]), rerum

---

[1]) Sine ulla causa Wachsmuth (*röm. Gesch.* p. 27) eum Latine scripsisse quasi pro certo adfirmat.

[2]) Non probo causas, quibus Hertz p. 12 Cincium conmotum Graece scripsisse suspicatur. is enim uel edocendo Hannibali libros suos Cincium destinasse uel Graecorum potissimum eruditioni arbitratur, ut eos di-

cognitionem aut fabulis famaeque aut annalibus maximis aut suis oculis memoriaeque debebat[1]), easque inde ab Aeneae aduentu usque ad suam aetatem ita persecutus est, ut et urbis originem et eas res, quibus ipse interfuerat, copiose et adcurate enarraret, summatim percurreret, quae inter haec tempora facta sunt.

Inscriptio annalium aut liber quidam certus nusquam adfertur, fragmenta perpauca eaque magnam partem dubia ad nos peruenerunt, iudicia de eo a nullo uetere scriptore prolata sunt,[2]) neque Polybius aut Cincius mentionem eius iniecerunt. uidetur igitur scriptor plebeius patricii aemuli gloria obscuratus nec multum lectitatus esse, unde, ni iam tum habuissent sua fata libelli, historiae palmam Fabio tribuendam esse concluderemus. nunc de librorum Cincianorum indole ac fide propter relliquiarum paucitatem et tenuitatem iudicium cohibendum est.[3])

Sed Niebuhr (h. R. I p. 282), quem secuti sunt Lachmann d. f. L. I p. 16, Blum (*Einleitung* p. 68) atque etiam post Hertzium Closset *ess.* p. 448 sq. et Gerlach (*Geschichtschr. d. Röm.* p. 45 sqq.), eximiis cum celebrauit laudibus, cum huic scriptori acuti ingenii, summae adsiduitatis, antiquitatis Romanae egregie perito, qui etiam monumentis indagandis et perscrutandis res Romanas inlustrasset, summam fidem et auctoritatem esse habendam scriberet. is tamen deceptus est relliquiis librorum quorundam Cincianorum ad antiquitatem et res grammaticas pertinentibus, quos libros non huic sed alteri L. Cincio[4]) aetatis

---

gniore de Romanorum historia sententia inbueret. at quis credat, fieri potuisse, ut uir Romanus in usum Hannibalis patrio sermone spreto res Romanas scriberet? nec alteram causam probandam esse supra p. LXXV demonstrauimus. cf. etiam Mercklin *Berlin. Jahrb.* 1843. II p. 295. O. Schneider *Neue Jen. Litteraturz.* 1844 p. 933.

[1]) Quod Dionysius I 7 Cincio Fabium fuisse fontem adseuerat, hac in re eius auctoritatem spernendam esse supra p. LXXXVIII docuimus.

[2]) Apud Liuium XXI 38, 3 (fr. 7), ubi antea uulgabatur *Cincius — maximus auctor moueret*, nunc ex optimis libris scriptura *Cincius — maxime auctor moueret* restituta est.

[3]) Blum (*Einleitung in Roms alte Geschichte* p. 67) ita Fabium et Cincium res Romanas scripsisse coniecit, ut hic plebi, ille optimatibus faueret, sed haec commenticia sunt.

[4]) Praenomen Lucii additum est a Festo p. 218, quod incaute negauerant Longolius et Krause p. 71.

multo recentioris tribuendos esse[1]), primus monuit Longolius (*notitia Hermundurorum* II p. 3—14 ed. Ernest., cuius tamen argumenta futilia sunt. uid. Liebaldt p. 13. Hertz p. 28), tum efficere studuerunt Zumpt (*Berl. Jahrb. f. wiss. Krit.* 1829 p. 94), Krause, Liebaldt, Merkel (praef. Ouid. fast. p. LXXV sq.), denique euicit Hertz.

Sunt uero libri hice[2]):

1. de fastis liber (Macrob. sat. I 12, 12; 13; 18; 30. Ioann. Lyd. IIII 44 p. 79 Bk.; 92 p. 108.[3])

2. de comitiis liber (Fest. s. u. patricios p. 241. M.).

3. de consulum potestate liber (Fest. s. u. praetor p. 241).

4. de officio iuris consulti libri minimum duo. (Fest. s. u. nuncupata pecunia p. 173. Sanates p. 321. subici p. 347.)

5. mystagogicon libri minimum duo (Fest. s. u. trientem p. 363).

6. de re militari libri minimum sex (Gell. XVI 4, 1; 2—4. 5. 6).

7. de uerbis priscis liber (Fest. s. u. scenam p. 330. peremere p. 214. reconductae p. 277. rodus p. 265. — *Tuditantes p. 352. *gentilis p. 94. *natio p. 166. *naccae p. 166. *naucum p. 166. *nuptias p. 170. *noualem agrum p. 174. *Obstitum p. 193. *praecidanea porca p. 218. *refriua fabra p. 277. *Salias uirgines p. 329. *sinistrae aues p. 339. *uindiciae p. 376. — *Seru. ad Aen. II 225. *Arnob. III 38. *Charis. I p. 107 P. 132 K.[4]).

Facile adparebit hos libros ab eodem uiro erudito et litte-

---

[1]) Etiam tres Cincios distinguit Egger *lat. serm. uet. rel.* p. 34 sq. iam refutatus a M. Hertzio in *Neue Jen. Litteraturz.* 1844 n. 182 p. 727.

[2]) Secutus sum in plerisque Hertzium p. 32—59.

[3]) Merkel p. LXXVI ex inscriptione Lydiana περὶ ἑορτῶν librum singularem *de feriis* elicuerat eidemque tribuerat etiam locum quendam Macrobii (sat. I 16, 28) coniectura temptatum. at uid. Hertz p. 35 sqq. Mercklin, *Berl. Jahrb.* 1843. II p. 297.

[4]) Praeterea Mommsen C. I. L. I p. 26 ap. Macrobium in sat. III 2, 11 pro Tito substituit Cincii nomen. — Omisi *Cinci Alimenti historiam de Gorgia Leontino*, quia sola nititur Fulgentii (s. u. silicernius p. 560 G.) auctoritate, quae nulla est. Ad eundem librum Krause p. 75 locum Arnobii III 38, ubi de dis Nouensilibus agitur, rettulit, quam incredibilem neglegentiam iam Hertz p. 57 notauit. — Quae asterisco significaui, sunt fragmenta incertae sedis.

rato conscriptos esse. qui enim sunt libri de comitiis, de consulum potestate, de officio iuris consulti, mystagogicon, de uerbis priscis, a solo commemorati sunt Festo, ita ut numquam scriptorum discrimen faceret. deinde de re militari libros, quorum notitiam soli debemus Gellio, non ad Cincium Alimentum, ueterem illum praetorem, quae fuit sententia Liebaldti p. 16, sed ad grammaticum recentioris aetatis pertinere ex alio eiusdem Gellii loco (VII 15, 5) consequitur, ubi summas rerum grammaticarum auctoritates enumeraturus Aelium, Cincium, Santram ponit consociatque eosdem scriptores quos haud raro etiam apud Festum consociatos habes.[1]) denique etiam inter Cincium Festi et Macrobii cognatio quaedam intercedit, id quod recte perspexit Hertz p. 71, cum in uerbis Pauli p. 103 *Iunium mensem dictum putant a Iunone. iidem ipsum dicebant Iunonium et Iunonalem* agnosceret uestigia eiusdem doctrinae Cincianae, quae exposita est a Macrobio I 12, 30. quae cum ita sint, siqua certa temporis quo unus ex his libris conpositus sit, indicia inueniri possunt, eadem cadunt in ceteros.

Atque primum quidem cum omnium horum librorum argumenta a belli Hannibalici aetate aliena esse tum eum, quo agitur de uerbis priscis, nunc, posteaquam diligentius in litterarum historiam inquisitum est, uix quisquam adfirmabit (uid. Hertz p. 62). septuaginta fere annis posteaquam Appius Caecus primus solutam orationem exercuit (Isid. orig. I 37, 2), quemquam Romanum docte et litterate disputasse de uerbis priscis! quid? quod ipsas relliquias percurrentibus nobis conplura uerba occurrunt, quibus non solum scriptores bello Punico aequales sed etiam recentiores, Ennius, Accius, Lucilius, Lucretius usi sunt[2]), quae a Cincio illo Alimento ut uerba prisca, quorum uis euanesceret, explicata esse nemini, opinor, uidebuntur (Zumpt l. s. p. 94. Hertz p. 70). deinde quamuis genus scribendi relliquiarum, quae ad uerbum seruatae sunt, simplex ac ieiunum sit neque usquam circumscriptus uerborum ambitus adpareat, tamen nusquam inest obsoleta illa et horrida belli Punici antiquitas.

---

[1]) Cincius et Santra p. 173. Cincius et Aelius p. 166. 174. 277. Santra, Aelius, Cincius p. 170.

[2]) Vid. Fest. s. u. scenam p. 330. s. u. rodus p. 265. tuditantes p. 352 (locis Ennii et Lucretii II 1142 adde Lucret. III 394).

Quoniam igitur hos libros ex bello Hannibalico originem non ducere docuimus, quaeritur qua aetate scripti esse uideantur. qua in re proficiscendum est a Macrobio I 12, 12. is enim 'quosdam' a Cincio reprehensos esse refert, quod inperite opinati essent Aprilem mensem antiquos a Venere dixisse. atqui hanc fuisse sententiam Fuluii Nobilioris et Iunii Gracchani discimus ex Varrone d. l. l. VI 33 et Censorino d. d. n. 22, 9. ergo, cum Fuluius consul fuerit a. 189. 565, Iunius Gracchanus ex C. Gracchi amicitia nomen acceperit, post annum fere 120. 634 L. Cincium scripsisse conligitur.[1]).

Iam maximam relliquiarum Cincianarum partem debemus Festo. qui scriptor, quamquam sunt sane quae excerptis Verrianis ex sua doctrinae penu adsperserit[2]), tamen Cinciana ita sunt conparata, ut fieri non potuerit, quin ex illo uasto multiplicis eruditionis promptuario fluerent. Verrius autem Flaccus postquam Augusti nepotes instituit, 'decessit aetatis exactae sub Tiberio' (Sueton. de gram. 17 p. 113 Rf.), unde pro certo licet adfirmare ante Tiberii mortem hos Cincii libros conpositos esse. sed ut artioribus finibus eius uitam circumscribamus, et a Gellio et a Festo (l. s. s.) cum L. Aelio Stilone, Varronis et Ciceronis magistro, qui natus est initio saeculi septimi u. c. (ut monuit Ritschl parerg. I p. 239 contra v. Heusdeum *disquis. de L. Ael. Stil.* p. 35. 44, qui a. fere 134. 620 eum natum esse censuerat), ille coniungitur, ita ut tum hic tum ille prior antecedat. deinde aliquotiens Sinnii Capitonis est socius, qui Varroni fere aequalis fuit (Hertz *Sinnius Capito* p. 13). quid multa? L. Cincius ea aetate floruisse uidetur, qua studia grammatica et antiquaria, excitata illa a L. Aelio, maxime Romae uigebant atque aut simul cum Varrone hisce litteris operam nauasse aut paullo ante Varronem. certe hoc ordine Macrobius l. s. s. recenset uirorum doctorum de mense Aprili sententias, ut primo Cincium refellen-

---

1) Merkel Ouid. fast. p. LXXVI. Hertz p. 67.

2) Mueller praef. p. XXXI. Itaque temere adsentitur Krause p. 72 Longolio, qui neminem ante Gellium haec Cincii scripta conmemorare adfirmauerat. idem Krause p. 71 falso Cincium contra Verrium disputasse Festi testimonio usus scripsit. Festi enim testimonium nunc nullum est. sed Krause totum se addixerat Vrsini supplementis, qui Verrii et Cincii nomina de coniectura intruserat. nunc utrumque suo iure exturbauit Mueller p. 278. uid. etiam eius adnot. p. 403.

tem inducat 'quorundam' i. e. Fuluii et Cincii opinionem, dein Varronem cum Cincio consentire addat, ultimo loco ponat Verrium Flaccum.[1])

Restant duae res quae quibusdam haud exigui momenti esse uisae sunt. primum enim Cincius apud Gellium (XVI 4, 1) fetialem ex populi Romani sententia populo Hermundulo bellum indicentem facit, unde cum haec Hermundulorum mentio tamquam infesti populi exempli ante Tiberii expeditiones annis 4. 757 et insequenti factas 'a Rheno usque ad flumen Albim, qui Semnonum Hermundurorumque finis praeterfluit' (Vellei. II 106) uix apta esset, Mommsen chronol. p. 271 n. 10 libros de re militari post hos annos conscriptos esse existimauit. at nusquam tum Hermundulis uel Hermunduris, quos cum Semnonibus trans Albim incoluisse et ex uerbis Velleianis et ex Strabone (VII 3 p. 290[c]) conpertum habemus, inlatum esse bellum legimus, neque exceptis duobus illis locis eorum mentionem iniectam esse inuenimus. quam ob rem magno opere dubitamus, num re uera illo tempore Hermundulorum nomen in omnium ore ita fuerit, ut hoc potissimum nomine ad populum infestum significandum apte uteretur Cincius, et hoc unum satis esse uideatur ad illam de Cincii aetate opinionem euertendam. itaque quoniam Gellii consuetudine, qui in ipsis auctorum uerbis transscribendis satis diligens fuisse uidetur (Mercklin *Citiermethode* p. 682 sqq.) atque etiam § 2 consulum anni 190. 564 nomina, quae eodem iure mutare licuit, intacta reliquit, Lachmanni opinioni, qui (d. f. L. I p. 30) a Gellio Hermundulorum nomen adiectum esse coniecerat, adstipulari prohibemur: Hermunduros, quos iam Varronis aetate ex Germanorum bellis haud omnino ignotos Romanis fuisse probabile est, grammaticorum more exempli gratia posuisse pro cuiuslibet populi nomine cum Hertzio p. 78 sq., cui etiam

[1]) A Varrone de l. l. VI, 33 exscriptam esse Cincii de mense Aprili sententiam apud Macrob. I 12, 12 Hertz p. 74 sq. suspicatus ante annum 46. 708, quo de lingua Latina scribere coepit Varro, Cincii librum de fastis conpositum esse coniecit. mihi tamen haec res admodum dubia uidetur; ut enim alia omittam, Cincius falsae opinionis auctores per 'quosdam' significauit, Varro ipsos nominauit, tum Cincius in carminibus Saliaribus tantum modo Veneris laudem celebrari negauit, Varro se numquam eius nomen in antiquis litteris inuenisse testatur. sed ueri simile est, Varronem in aliis libris uberius de mensibus egisse.

qui censuram egit Mercklin *Berl. Jahrb.* 1843 II p. 304 adsensus est, statuemus.

Deinde quae Festus p. 363 refert ex Cincio: *Trientem tertium pondo coronam auream dedisse se Ioui donum scripsit T. Quintius dictator, quom per nouem dies totidem urbes et decimam Praenestem cepisset. id significare ait Cincius in mystagogicon l. II duas libras pondo et trientem,* eadem ita redire conpluribus uiris doctis, ut Niebuhrio h. R. II p. 662, Mommseno chronol. p. 270 n. 7, apud Liuium uidentur, ut a Liuio haec ex ipso Cincio hausta esse arbitrentur. haec enim Liuius VI 29, 8: *T. Quinctius* [*Cincinnatus a.* 380. 374] *semel acie uictor, binis castris hostium, nouem oppidis ui captis, Praeneste in deditionem accepto Romam reuertit triumphansque signum Praeneste deuectum Iouis imperatoris in Capitolium tulit. dedicatum est inter cellam Iouis ac Mineruae tabulaque sub eo fixa, monumentum rerum gestarum, his ferme incisa litteris fuit: Iuppiter atque diui omnes hoc dederunt, ut T. Quinctius dictator oppida nouem caperet.* ubi ex summa qua erat monumentorum incuria sane est ueri simillimum Liuium ipsum hunc titulum, praesertim cum tum iam euanuisset (*incisa fuit*)[1] non uidisse. etiam hoc largiamur, alteram tituli partem, qua ob illas res feliciter gestas trientem tertium pondo coronam auream se dedisse Quinctius addiderat (uid. Mueller ad Fest. p. 362 et Hertz p. 44), facile neglegentia Liuii omitti potuisse. sed tamen consensus scriptorum non is est, ut necessario Cincii mystagogica hoc loco Liuio fontem fuisse existimemus atque ex eo certum Cincianae aetatis testimonium eliciamus. Itaque in eis quae supra exposuimus, nunc subsistendum est.

Sed ut redeamus unde degressi sumus, ad L. Cincium Alimentum historicum, perpauca eius supersunt fragmenta neque ea omni suspicione libera. sed uix dubitari poterit, quin quae L i u i u s (fr. 7) ex L. Cincio Alimento de numero militum, quos Hannibal in Italiam transduxit, ex antiquis annalibus fluxerint[2],

[1]) Si re uera Cicero Verr. IIII 58, 123 T. Quinctio Cincinnato et T. Quinctio Flaminino confusis hoc signum Praenestinum in animo habet, quod falso ex Macedonia aduectum esse dixit, iam anno 70. 684 titulus ille deletus erat. at uid. Boeckhium in C. inscr. Graec. II p. 976.

[2]) Altera est quaestio quae fides militum numero sane inmodico (Mommsen. chronol. p. 269) sit habenda. atque Lachmann quidem

at uero alter locus [VII 3] quo Liuius Cincium laudat eodem iure quo hic ad Alimentum, ad recentiorem Cincium referendus est. Est uero hic: *Nec tamen ludorum primum initium procu-*

(d. f. L. II p. 80 sqq.), cui plerique, qui postea de hoc loco egerunt, ut Hertz p. 24, Weissenborn a. h. l., adsensi sunt, Cincii fidem ita restituere conatus est, ut Liuium neglegentiae insimulatum non recte Cincii uerba intellexisse diceret. Teste enim Polybio Hiberum transgressus est Hannibal cum 102,000 militum (Polyb. III 35, 1. Liu. XXI 23, 1), deinde Hannoni ad loca quae cis Hiberum sita erant, tuenda tradidit 11,000 militum. itaque accedebat ad Pyrenaeum cum 91,000 Hispanorum et Carthaginiensium, sed multis domum dimissis ipsum transduxit 59,000 militum (Polyb. III 35, 7), denique in Italiam 26,000 (teste Hannibale in tabula Laciniensi Polyb. III 56, 4), ut in toto itinere inde a Pyrenaeo usque ad Italiam perirent 33,000 militum. ab hisce igitur numeris profectus Lachmann, quos Cincius ex Hispania in Italiam profectos dixisset, eos Liuium re uera eo peruenisse putasse existimat et ita rem explicare studuisse, ut Gallos et Ligures, qui postea adfluxissent, a Cincio per errorem adiectos esse arbitraretur. Sed primum, si Cincius eandem quam Polybius rationem secutus esset, etiam alius subesset error Liuii. is enim inde ab Rhodano flumine traiecto 36,000 militum amissa esse refert, cum eundem fere numerum (33,000) in toto itinere periisse, Polybius uel, si Lachmannum audis, Cincius memoriae prodiderit, multo minorem post Rhodani transitum (20,000. uid. Polyb. III 56, 4. 60, 5). deinde Cincium confudisse numerum Gallis Liguribusque additis, non Liuius, quod Lachmanno uisum erat, ut numeri magnitudinem explicaret, ipse coniecit, sed iam apud Cincium inuenerat cum Gallis Liguribusque triginta milia peditum, decem equitum adducta. aliter enim causa cur addiderit Liuius uerba *in Italia magis adfluxisse ueri simile est, et ita quidam auctores sunt*, excogitari non potest. quid plura? nisi Liuium prorsus insaniisse credimus, separandus est numerus Cincianus a Polybio, neque Lachmanni sententia probanda. Multo rectiorem uiam in his uerbis interpretandis ingressus est Pluess (de Cinc. p. 6 sqq.). ex eis enim quae antecedunt adparet Liuium adferre uelle, quantae copiae auctore Cincio Hannibali in Italiam transgresso fuerint. qui numerus si est octoginta milium peditum, decem equitum, ut uulgo existimatur, suo iure se non uidere professus est Pluess, quid uelit Hannibalis testimonium de amissorum militum numero a Liuio magna cum ui ac pondere prolatum. qui numerus cur posteaquam res iam absoluta est, adiceretur, omnino causa non erat. itaque ut sanum orationis tenorem restituamus, nihil aliud restat, nisi ut non in Italiam illas copias auctore Cincio adductas esse existimemus, sed ad Rhodanum, uerba uero *ad Rhodanum* aut ex seqq. Liuium suppleta noluisse aut post *equitum* librariorum culpa intercidisse. nunc et oratio Liuiana recte procedit (nam postquam Liuius quot milites ad Rhodanum adduxisset, quot inde a Rhodano usque in Italiam amisisset, ex Cincio

randis religionibus datum aut religione animos aut corpora morbis leuauit; quin etiam, cum medios forte ludos circus Tiberi superfuso inrigatus inpedisset, id uero uelut auersis iam diis aspernantibusque placamina irae terrorem ingentem fecit. itaque C. Genucio L. Aemilio Mamerco iterum consulibus cum piaculorum magis conquisitio animos quam corpora morbi adficerent, repetitum ex seniorum memoria dicitur, pestilentiam quondam clauo ab dictatore fixo sedatam. ea religione adductus senatus dictatorem claui figendi causa dici iussit. dictus L. Manlius Imperiosus L. Pinarium magistrum equitum dixit. lex uetusta est, priscis litteris uerbisque scripta, ut qui praetor maximus sit idibus Septembribus clauum pangat. fixa fuit dextro lateri aedis Iouis optimi maximi, ex qua parte Mineruae templum est. eum clauum, quia rarae per ea tempora litterae erant, notam numeri annorum fuisse ferunt, eoque Mineruae templo dicatam legem, quia numerus Mineruae inuentum sit. Volsiniis quoque clauos indices numeri annorum fixos in templo Nortiae Etruscae deae conparere diligens talium monumentorum auctor Cincius adfirmat. Horatius consul ea lege templum Iouis optimi maximi dedicauit anno post reges exactos, a consulibus postea ad dictatores, quia maius imperium erat, sollemne claui figendi translatum est. intermisso deinde more digna etiam per se uisa res, propter quam dictator crearetur. qua de causa creatus L. Manlius, perinde ac rei gerendae ac non soluendae religionis gratia creatus esset, bellum Hernicum adfectans dilectu acerbo iuuentutem agitauit, tandemque omnibus in eum tribunis plebis coortis, seu ui seu uerecundia uictus, dictatura abiit. Primum enim quiuis concedet, hoc argumentum esse libri antiquarii uel grammatici, non annalium, tum prorsus abhorrent a tali monumentorum Tuscorum laudatione ueteres illi historici, qui cum quae ante pedes essent monumenta et inscriptiones neglegerent, quis aetatis Hannibalicae scriptorem Etruriam peruestigasse credat ad

---

exposuit, iure sperare potuit, qui legerent, ipsos deducendo uisuros esse, quantae copiae Alpes transgresso Hannibali in Italia fuissent, neque diserte id addere opus erat), et numeri Cinciani egregie concinunt cum Polybio et ipsius Hannibalis testimonio, quod tabulae Laciniensi incidit, cum et apud Cincium et apud Polybium a Rhodani fluminis transitu amissae sint illarum copiarum circiter duae quintae partes, ex nonaginta milibus Cincii triginta sex, ex quadraginta sex milibus Polybii uiginti

res Romanas inlustrandas? deinde 'diligentem talium monumentorum' Cincium recentiorem fuisse atque, ut sui populi instituta atque mores adcurate perspiceret, etiam aliarum ciuitatum res cognouisse ex eius fragmentis uidemus. ut apud Festum s. u. nuptias p. 170 (fr. 25 H.) citat legem Praenestinam, apud Macrobium I 12, 30 (fr. 4) fastos Aricinos Praenestinosque, apud Festum s. u. subici p. 347 ad Atheniensium morem prouocat. denique quam Cincius apud Liuium de clauo annali sententiam, eandem Festus (in Pauli epit. p. 56), quem plura Cincio antiquario debere iam supra diximus, profert: *Clauus annalis appellabatur qui figebatur in parietibus sacrarum aedium per annos singulos, ut per eos numerus colligeretur annorum* (Mommsen chron. p. 270). His tot tamque grauibus argumentis oppositis — ut mirum esse taceam quod hoc loco simpliciter Cincium Liuius significauit, altero qui sequitur tribus nominibus — cadit opinor Hertzi dubitatio (p. 19. 39), qui cum non esset is Liuii mos, ut suae aetatis grammaticos et antiquarios laudaret, quamquam egregie quae hic scripta essent in fastorum (an mystagogicon?) libro Cinciano locum habere potuisse concedit, inuito animo hoc fragmentum Alimento tribuit.[1] Sed forsitan etiam aliqua causa reperiatur, cur Liuius hic a consuetudine sua discesserit.

Qui enim attento animo illud Liuii caput considerauerint, in eo sine dubio offendentur quod quae Liuius ex Cincio ad rem explicandam inseruit, pugnant cum eis quae explicanda erant. nam in orationis tenore cum pestilentiam quondam clauo ab dictatore fixo sedatam esse seniores meminissent, ea religione adductum senatum dictatorem claui figendi causa dici iussisse narrauerat: nunc p e r s i n g u l o s annos idibus Septembribus ab eo qui praetor maximus i. e. uel dictator uel consul uel interrex (Mommsen chron. p. 174. Pluess p. 22) esset, clauum fixum esse ex Cincio refert, ut haec esset nota numeri annorum.[2] Ergo solis idibus Septembribus, quo die templum Iouis Capitolini dedicatum erat (Mommsen chron. p. 173), clauus eam uim

[1]) Eum secuti sunt Becker antiq. I p. 42. Schwegler I p. 79. Lewis, *Untersuch.* I p. 94. Weissenborn a. h. l. alii.

[2]) Hanc esse Cincii sententiam etiam ex Festi l. s. l. adparet. Mommsen chron. p. 172 sq.

habebat, ut fixus pestilentiam sedaret, ceteris anni mensibus hoc remedium nullum erat? expectandae erant idus Septembres? contra, si is antiquo tempore mos erat ut propter notam numeri annorum quotannis idibus Septembribus clauus pangeretur, quid clauus ad pestilentiam? si quotannis clauus figebatur, quid opus erat seniorum memoria, cum praesertim lex in aede Iouis fixa centum quadraginta sex annis ante (§ 8) sancta esset (Mommsen chron. p. 173)? ne multa, duas res inter se diuersissimas temere miscuit Liuius. hoc uero ita esse expediendum uidetur: primo antiquum aliquem scriptorem historicum, cui orationis tenorem debet, secutus hoc unum ad pestilentiam sedandam clauum fixum esse narrauerat, quae superstitio uere Romana est, cum etiam Plinii maioris aetate (nat. hist. XXVIII 63) clauum ferreum defigere in quo loco primum caput fixerit conruens morbo comitiali, absolutorium eius mali dictum sit (Preller *röm. Mythol.* p. 233). sic sublatis uerbis *lex uetusta est — propter quam dictator crearetur* omnia bene fluunt neque quidquam discrepantiae inest. tum demum, cum haec iam essent scripta, casu aliquo, quae esset Cincii de clauo sententia, conperisse uidetur et, cum magnam Cincio haberet fidem[1]), eam inserere uoluisse. in hac tamen re aut tanta leuitate et festinatione uersatus est ut quam diuersas res consociaret, non perspiceret, aut eo tempore addidit, quo libro absoluto et edito plura inmutari in eius potestate positum non esset.

Sed hoc utcumque se habet, ex eis quae exposuimus facile sequitur, Cincium non fuisse auctorem Liuio primarium, sed tum cum tenor narrationis iam pertextus esset, hoc Cincianum ab eo adiectum esse.[2]) hoc uero fieri potuisse ut posteaquam filum orationis ex historicis alicuius libris per annos singulos deduxit, pauca quaedam quae ex aliis libris, seu grammaticis seu anti-

[1]) Quae nunc Cincii sententiae auctoritas tribuenda sit examinare non est huius loci. hoc constat, aut duabus de causis clauos fixos esse, et quotannis idibus Septembribus ut annus notaretur, et cum pestilentia in urbem inuasisset ut sedaretur, aut Cincii sententiam ex more illo antiquo, quo defigebatur morbus, ex exemplo Volsiniensi falso explicato ortam esse (uid. Mommsen chron. p. 171 sqq.). in quam morum priscorum interpretationem peruersam non soli antiquarii Romani inciderunt.

[2]) Simillimum eius rei exemplum est IIII 20, 5—11 (Niebuhr h. R. II p. 517), ubi primo A. Cornelium Cossum tribunum militum To-

quariis, hauserat uel ex hominibus audiuerat, hic illic inspergeret, ne Hertzius quidem negabit.

Restat hoc unum ut dicamus quae de uerbis *intermisso deinde more digna etiam per se uisa res, propter quam dictator crearetur* sentiamus. adnexuit ea Liuius, ut conciliaret Cincianam sententiam cum ea quam antea exposuerat, minime tamen ille feliciter. nam et, si a Cincio stamus, ut mos claui propter numerum annorum figendi tum intermitteretur, fieri non potuisse, iam supra cum Mommseno negauimus, et, si haec coniungimus cum priore sententia, non uideo, cur Liuius, quoniam pestilentiae sedandae causa etiam eo anno, cuius antea mentionem fecerat, a dictatore clauum fixum esse narrauerat, tunc praeter morem, ut 'propter rem' dictator diceretur, factum esse addiderit.

Sequitur Dionysius, qui paene semper (fr. 3. 4. 5) Cincium una cum Fabio laudauit ipsumque si non totum at aliquam tamen partem uidetur legisse. ita enim de hoc aetatis Hannibalicae scriptore loquitur I 6, ubi quae fuerit annalium eius indoles pluribus exponit (cf. supra p. LXXII sqq.), ut Dionysium nisi hominem uanum et mendacem fuisse aut commenticia et ficta scripsisse statuas, ipsos annales Graece compositos ante oculos habuisse necesse sit. quamquam postquam Cincium plerumque cum Fabio consentire cognouisse sibi uisus est, operae eum pepercisse neque multum illo usum esse facile crediderim. nihilo minus Mommsen (chronol. p. 186. 271. cf. hist. R. I p. 923) et Pluess (mus. Helu. p. 46) ne haec quidem ueteris illius Cincii Alimenti testimonia esse exstimauerunt sed Cincii antiquarii, quem proaui annales suis additamentis haud exiguis auctos suaque doctrina inlustratos et in sermonem Latinum uersos denuo edidisse suspicati sunt.[1] elicuerunt hanc sententiam

lumnio interfecto secunda spolia opima Iouis Feretrii templo intulisse exposuerat, tum uero, cum totus ad Augusti sententiam accessisset, qui ex titulo ipso spoliis inscripto consulem Cossum spolia cepisse docuerat, tamen c. 32, 4 tribunum militum eum spolia templo inferentem fecit. quae res nisi mente captum Liuium censes, non potest explicari nisi statuas hoc libro iam edito fortasse ab ipso Augusto, cum illa apud Liuium legisset, monitum haec correxisse Liuium. praeterea uid. Liuii locos in adnot. ad Coel. fr. 21 et ad Valer. Ant. fr. 45 adscriptos, ubi quas antea secutus erat sententias postea ipse refutauit.

[1]) Quae eius rei exempla adfert Pluess (de Cinc. p. 43 sq. mus. Helu. p. 47) Claudii, Fabii, Postumii aut falsa aut admodum dubia sunt.

ex Cincii anno urbis natali (fr. 4), quem ita explicare studuerunt, ut ad Augusti temporum rationem referrent huiusque gratia eum excogitatum esse censerent.[1]) ego tamen mihi persuadere non possum, Dionysium Halicarnasensem, qui a. 7. 747 archaeologiam condidit, ita non manum eius qui paullo ante opus suum edidisset, agnouisse, ut quae in Latinis annalibus legeret, pro Alimenti testimoniis quem Graece scripsisse ipse adfirmat, haberet. sic et Dionysius et Cincius antiquarius fraudis essent accusandi.[2]) deinde Mommsen et Pluess etsi scite atque acute de causa, cur hic annus urbis natalis a Cincio antiquario fictus esset, disputarunt, tamen ab ea opinione profecti sunt, ut Cincii recentioris eum esse ponerent, Dionysiumque, cuius uerbis sine dubio Alimentus dicitur, aut falsum esse aut fallere uoluisse, neque struxerunt fundamenta, quibus sententia illa fulcienda erat. nam apud Dionysium Cincii recentioris nos uerba legere neuter antea ostendit. denique quod Pluess p. 35 Kiesslingium (de Dion. font. p. 15) secutus in uerbis *Λεύκιος Κίγκιος ἀνὴρ τῶν ἐκ τοῦ βουλευτικοῦ συνεδρίου* aliquid sibi indagasse uisus est, quod recentiorem proderet Cincium, cum hic proaui 'senatorii' auctoritate conmenta sua uenditare uoluisset, id uix cuiquam probabit. cf. supra p. LXXXV sq. hoc enim scire non solum eorum erat qui ex Alimenti stirpe originem ducebant, sed quicunque eius annales legit, uiderit, eum praetorem fuisse, quippe quem in historia scribenda sui suarumque rerum rationem duxisse ex Liuio (fr. 7) conpertum habeamus. uid. supra p. CIII.

Atque haec quidem de Cincii fragmentis, quae in libris Dio-

---

[1]) De hac re consentit Pluess cum Mommseno, dein uero ubi ad rem adcuratius definiendam pergit, ab eo discessit. sed in has res altius inquirere, nunc alienum est.

[2]) Dionysium fraudis insimulat Pluess, qui (de Cinc. p. 34) constare uideri dicit *historiae fragmenta non ex ipso Graeco tamquam archetypo, sed ex Latino aliquo fonte desumpta esse.* deinde p. 35 agens de anno urbis natali negat ille quidem eius modi conputos in L. Cincium Alimentum eiusque aetatem cadere sed concedit, Dionysium de uetere Cincio loqui, id quod ordine, quo Cincius Fabius alii de hac re auctores percenserentur satis declaratum sit. contra Cincio illi recentiori inputare fraudem uidetur Mommsen, qui in h. Rom. l. s. haec adnotauit: *Das dem L. Cincius Alimentus, einem Zeitgenossen des Fabius beigelegte, ebenfalls griechische Geschichtswerk scheint untergeschoben und ein Machwerk aus augusteischer Zeit. cf. chron. p.* 271.

nysii integris ad nos peruenerunt. nuper uero Feder et Mueller ex excerptis Escorialensibus *περὶ ἐπιβουλῶν κατὰ βασιλέων γεγουνιῶν* nouum (fr. 6) ediderunt, quod cum in eo sint quae offendant, non caret suspicione. agitur enim de Spurio Maelio, atque postquam eadem quae Liuius de eo narrauit Dionysius, prorsus alia memoria aduectitur, qua Seruilius non magister equitum sed priuatus a senatu iussus Maelium per insidias occiderit. nolumus quaerere, quae fides ei narrationi sit habenda, quam Schwegler (II p. 14. III p. 136) et C. Peter (h. R. I p. 174) plurimi faciunt (uid. etiam Niebuhr II p. 472), nobis nunc res est cum Cincii laudatione. hisce enim uerbis Dionysius ad hanc memoriam transit: *οἱ μὲν δὴ τὰ πιθανώτατά μοι δοκοῦντες γράφειν περὶ τῆς Μαιλίου τελευτῆς οὕτω παραδεδώκασι. λεγέσθω δὲ καὶ ὁ δοκῶν ἧττον εἶναί μοι πιθανὸς λόγος, ᾧ κέχρηνται Κίγκιος καὶ Καλπούρνιος, ἐπιχώριοι συγγραφεῖς.* sed iure suo haeret Kiessling p. 15 in uerbis *ἐπιχώριοι συγγραφεῖς*, quae cur hic addita sint recte se nescire fatetur, cum eorundem scriptorum iam antea a Dionysio identidem facta sit mentio neque hic oppositi sint externis scriptoribus. itaque interposuit ante haec uerba *καὶ ἄλλοι* et, cum Dionysius semper comitem adiunxerit Fabium, ante *Κίγκιος: Φάβιος καὶ* et sic scribit: *ᾧ κέχρηνται Φάβιος καὶ Κίγκιος καὶ Καλπούρνιος καὶ ἄλλοι ἐπιχώριοι συγγραφεῖς.* sed ne hac quidem medela quamuis audaci locum sanatum esse contra dixit Pluess p. 27 sqq., qui, cum Calpurnius semper Piso adiecto aut praenomine aut cognomine a Dionysio nominatus sit, hoc loco non Calpurnium rerum scriptorem sed Calpurnium quendam grammaticum, quode infra agemus, intellegendum esse atque et ob hanc uicinitatem et ipsum loci argumentum, nos de Cincio illo uetere, apud quem prisca liberae rei publicae tempora non tam prolixe exposita fuerint, cogitare uetat, quam si sententiam sequaris, nihil mutandum esse censet.[1]) at narratio cum ea quae antecedit conparata, satis breuis atque concisa est, Cincius etiam I 74 (fr. 4) et II

---

[1]) Hic aperte Pluess secum ipse pugnat, quod p. 28 dubitari posse negat, quin alium reliquis locis, alium hoc loco Cincium laudet Dionysius, idem tamen p. 34 sine ulla dubitatione fr. 4, qui est unus ex tribus reliquis locis, diserte ad Cincii antiquarii auctoritatem refert, cuius fragmenti causam uix potes discernere a ceteris duobus (3 et 5).

38 (fr. 5) a Dionysio hoc uno nomine adpellatur, nil igitur obstat, quominus hic eúndem quem aliis locis Cincium ab eo dictum esse censeamus, id est, si me sequeris, Cincium Alimentum, immo, nisi id egisse Dionysium arbitraris, ut nos confunderet eodem nomine duos diuersos scriptores significans, hoc ita se habere necesse est. sed redeo ad Kiesslingium. is epitomatorem non librarios correxisse mihi uidetur. constat enim illum non religiose uerba scriptorum intacta reliquisse, sed suo arbitrio alia inmutasse, alia praetermisisse, pauca addidisse (cf. de font. Plut. p. 17). quidni igitur etiam hic eius manum agnoscamus, qui nominibus quae sibi abundare uiderentur resectis, ut alia ratione popularibus suis hosce scriptores notaret, *ἐπιχώριοι συγγραφεῖς* adiecerit? quae cum ita sint, non ipsa Dionysii uerba sed epitomatoris manu inscite mutata nos legere, causam autem, cur alius dictus sit Cincius, non esse existimo.

Minus confidenter de fr. 1 et 2 iudico. sed cum utrumque ut ex Cincii historiis decerperetur fieri potuerit, atque et Marium Victorinum et Seruium Cincii Alimenti haec esse uoluisse, ex ordine quo auctores recensentur sequatur, nos eis obsecuti in Alimenti fragmentis posuimus. Contra quae Festus ex Cincio libri titulo omisso adtulit, quin L. Cincio grammatico, quem solum nouit, debeat, nemo dubitabit neque quisquam opinor ad Alimenti historias referet, quae Arnobius (III 38) de dis Nouensilibus Cincium disputantem fecit aut quam delubri uocis originem Seruius (ad Aen. II 225) ex Cincio proposuit aut quos genetiuos *huius Sarapis et huius Isis* ex Varrone, Tullio, Cincio Charisius (I p. 107 P. 132 K.) adtulit.

P. CORNELIVS SCIPIO AFRICANVS

P. Cornelium Scipionem Africanum, Africani maioris filium, qui minorem adoptauit, non solum eloquentiae sed etiam historiae operam nauasse, hic locus Ciceronis Bruti 19, 77 testimonio est: *Ipsum Scipionem* (superiorem Africanum) *accepimus non infantem fuisse. filius quidem eius, is qui hunc minorem Scipionem a Paulo adoptauit, si corpore ualuisset, in primis habitus esset disertus. indicant cum oratiunculae tum historia quaedam Graeca, scripta dulcissime.* ubi Graecam non ob res sed ob sermonem dictam esse historiam, et ex ipso Cicerone et ex Liuio uidemus. ille enim (de diuin. I 21, 43) Fabii Pictoris Graecos annales, hic (XXXV 14. fr. 5) Graecos Acilianos libros laudauit, atque utrumque et Fabium et Acilium res Romanas enarrasse constat. quam ob rem iure nostro P. Scipionem in hoc numero posuimus.

De historia uero eius praeter locum illum nihil accepimus, ipsum Scipionem Liuius XXXX 42, 13 augurem a. 180. 574 in locum Sp. Postumii Albini cooptatum esse tradidit, Cicero identidem (Cat. mai. 11, 35. de offic. I 33, 121. pro Arch. 7, 10) ut inbecillitatem et infirmitatem naturae queritur, ita summis laudibus effert doctrinam eius uberrimam atque, nisi ualetudo tam tenuis fuisset, futurum fuisse existimat, ut alterum existeret lumen ciuitatis. eloquentem eum fuisse etiam Velleius I 10 conmemorauit. Denique accedit elogium ex Scipionum sepulcro effossum, quod quominus ad hunc referatur, nihil obstat (Mommsen C. I. L. I n. 33 p. 19):

Quei apice insigne dial[is fl]aminis gesistei,
mors per[fe]cit tua, ut essent omnia breuia:
honos fama uirtusque gloria atque ingenium,
quibus sei in longa licu[i]set tibe utier uita,
facile facteis superases gloriam maiorum.
quare lubens te in gremiu Scipio recip[i]t
terra Publi prognatum Publio Corneli.

———

C. ACILIVS

Tam incerta omnia sunt de hoc C. Acilio, ut fundamenta huius conmentarioli in coniectura ponenda sint. in Liuii enim periocha LIII C. Iulii senatoris mentio fit, qui Graece res Romanas scripserit (*C. Iulius senator Graece res Romanas scribit*), ubi, cum de C. Iulio historico nihil memoriae proditum sit, at C. Acilium et Graece annales conposuisse et Liuio haud ignotum fuisse (Liu. XXV 39, 11. XXXV 14) constet, leni mutatione M. Hertz (de Cinc. p. 12) praeclare C. Acilii nomen restituit. iam quas antea Liuius res exposuerat: *Q. Caecilius Metellus proconsul Celtiberos cecidit, et a Q. Fabio proconsule magna pars Lusitaniae expugnatis aliquot urbibus recepta est,* incidunt eae in a. 142. 612, itaque tempus, quo scripsit C. Acilius, quodam modo definitum est, neque quisquam, praesertim cum Gai praenomen in Aciliorum familia non fuerit in usitatis, facile negabit hunc eundem esse atque C. Acilium senatorem, quem quattuordecim annis antea (155. 599) philosophos Graecos, ita ut ipse interpretis munere fungeretur, in senatum introduxisse Gellius (VI 14, 9) narrat. haec enim ille (ex quo sua habet Macrobius sat. I 5 fin.): *Erant isti philosophi Carneades ex academia, Diogenes stoicus, Critolaus peripateticus; et in senatum quidem introducti interprete usi sunt C. Acilio senatore.* de eadem re dicit Plutarchus (Cat. 22): *Ἐπεὶ δὲ προὔβαινεν ἡ δόξα τῶν φιλοσόφων ἐν τῇ πόλει καὶ τοὺς πρώτους λόγους αὐτῶν πρὸς τὴν σύγκλητον ἀνὴρ ἐπιφανὴς σπουδάσας αὐτὸς καὶ δεηθεὶς ἡρμήνευσε, Γάιος Ἀκίλιος, ἔγνω* (Cato) *μετ' εὐπρεπείας ἀποδιοπομπήσασθαι τοὺς φιλοσόφους ἅπαντας ἐκ τῆς πόλεως.*

Cum uero coniecturam illam Hertz omnibus fere probasset, Lewis (*Untersuch.* I p. 85 n. 80) ita inpugnauit, ut fieri non posse diceret, ut qui a. 203. 551 quaestor, a. 197. 557 tribunus pl. fuisset, is a. 142. 612 annales conscriberet. cui equidem

adstipularer, si quae de C. Acilii quaestura prouinciali et tribunatu inde a Vossio ab omnibus qui de eo egerunt, usque ad Gerlachium propagata sunt, uera essent. sed apud Liuium (XXXII 29, 3), quo solo loco nititur tribunatus C. Acilii, a Weissenbornio nunc ex codice Bambergensi recte C. Atinii nomen restitutum est. atque de quaestura etiam hic Pighii hariolationibus auctoritas fastorum Capitolinorum tributa est. cum enim ille eum in numero quaestorum a. 204. 550 (uol. II p. 225) sic posuisset: *C. Acilius C. f. L. n. Glabrio. Hic tribunus plebis postea sequetur, eodem anno quo M. Glabrio aedilis plebis erat qui postea de rege Antiocho triumphauit. hinc fratres uideri poterant,* quamuis apud neminem scriptorem ueterem C. Acilius quaestor conmemoraretur, omnes eos, qui ante scripserant, transscribere quam ipsi in hanc rem inquirere maluerunt.

Qua adfinitate coniunctus fuerit cum M.' Acilio Glabrione, qui consul Antiochum in Thermopylis fugauit — quocum saepe falso confusus est —, de ea re ne coniecturam quidem facere licet.[1]) illud uero constare uidetur, C. Acilium, senatorem, uirum nobilem, cum antea philosophiae operam dedisset et litterarum amore flagraret et linguae Graecae usu ita praeter ceteros excelleret (Plut. l. s.), ut hoc potissimum philosophi illi Graeci interprete in senatu a. 155. 599 uterentur, procedente aetate ad historiam se conuertisse. Exorsus autem est a rebus ante Romam conditam gestis (fr. 1. 2) atque ne minutis quidem rebus spretis memoriam usque ad suam aetatem deduxit. sermone usus est Graeco ex more eorum, qui tum scribebant, nobilium Romanorum atque exemplorum Graecorum non solum linguam imitatus sed etiam sententiam Graecorum, qui originem urbis a popularibus suis deducebant, amplexus est (fr. 1).

Nouerunt autem hunc librum atque singulis locis citauerunt

---

[1]) Sed etiam hunc a litteris non prorsus abhorruisse inde conicias, quod eum consulem id egisse ut intercalaretur Macrobius sat. I 13, 21 tradit (cf. Mommsen chron. p. 39. h. R. I p. 930). Etiam L. Acilius quidam, quem, quia prudens esse in iure ciuili putaretur, apud patres suos appellatum esse sapientem Cicero dicit (Lael. 2, 6), in legis XII tabularum commentatoribus ponitur (Suringar hist. crit. schol. I p. 30 sq. Schwegler III p. 27).

Cicero (fr. 3), Dionysius (6), Strabo (1), Plutarchus (2). Liuius non ipsum adhibuit sed Claudium quendam, 'qui annales Acilianos ex Graeco in Latinum uertit'. de quo Claudio id unum pro certo poni potest, eum non fuisse Quadrigarium (uid. infra de u. et scr. Quadr.). sed praeter eos duos locos, ubi diserte ad eius auctoritatem nos relegauit Liuius, etiam aliis locis eam tacite esse secutus uidetur, ut XXII 61, 5 'alia fama', quam de captiuis profert, eadem est quam ex Acilio deprompsit Cicero (fr. 3 conf. adnot.), et XXIIII 18, ubi eadem res tangitur, haec sola, tamquam si aliam non nouisset, ab eo agnoscitur. Num alii aut ei quos conmemoraui, scriptores aliis locis hoc fonte usi sint, incertum est, nam eo solo loco, quo Plutarchus in Flamin. 21 cum Claudio Aciliano (fr. 5) consentit, non Acilium ante oculos habuit sed Polybium (cf. *Quellen d. Plut.* p. 85. Nissen *Untersuch.* p. 169).

Fragmentorum numero primum addidimus ex coniectura Schwegleri (I p. 80). libri enim hoc Strabonis loco exhibent aut ὅ γε κύλιος (Paris. 1393. Ven. 377) aut ὁ κεκύλιος (Medic. XXVIII 5), ubi posteaquam alii alia coniecerunt, Cramer atque Meineke, nouissimi Strabonis editores, Fr. Lachmanno (de f. L. I p. 30) adsensi ὅ γε Κοίλιος in contextum receperunt. sed recte monuit Schwegler et a Coelio solum bellum Punicum enarratum esse, ut unde fr. illud sumptum esset, cerni non posset, et a Strabone neminem auctorem Latinum adhibitum esse. at ὅ γε Ἀκύλιος conmendari et re quae hoc fragmento exponeretur, quoniam etiam fr. 2 Acilium ultra Romam conditam regressum esse probatur, et scriptura codicum, nam etiam XIIII 1, 38 p. 646 per υ Strabo id nomen scripsit.

Denique Vossius de histor. gr. p. 113 se non uidere dicit, cur alium Acilium existimet eum, cuius 'tabulam' Atilius Fortunatianus p. 2680 P. citet, atque Krausium habet in hac quoque re quamuis cum dubitatione sequentem. sed dormitauit haec scribens uir ille doctissimus. deprompta enim sunt uerba Acilii ex inscriptione quadam eius, quae uersibus Saturniis condita erat: *In Acilii Glabrionis tabula:*

Fundit fugat prostérnit — máximas legiónes.

id quod neminem fugiet qui Fortunatiani uerba quae antecedunt legerit, ubi diserte se exempla quaedam uersuum Saturniorum ex inscriptionibus prolaturum esse dixerat: *Apud nostros autem*

in tabulis antiquis, quas triumphaturi duces in Capitolio figebant, uictoriaeque suae titulum Saturniis uersibus prosequebantur, talia repperi exempla. ex Regili tabula: 'Duello magno dirimendo regibus subigendis' et q. s.[1])

---

[1]) Recepit hunc uersum inter Saturniae poesis relliquias Bartsch *der Saturnische Vers u. die altdeutsche Langzeile* p. 53.

A. POSTVMIVS ALBINVS

Fabii Cinciique uestigia legit A. Postumius Albinus. is a puero, ut ait Polybius[1]) Graecae linguae disciplinaeque summo amore flagrabat, sed cum, ut erat homo admodum loquax et uaniloquus, nimius in eis esset modumque excederet, omnibus fastidium mouebat effecitque, ut propter illum apud grauissimos quosque Romanos litterarum Graecarum studium male audiret. itaque quamuis esset Latine disertus atque a Cicerone (Brut. 21, 81) in oratorum Latinorum numero cum laude quadam poneretur, tamen sermonem patrium nimis rudem minusque aptum esse arbitratus, quam quo historia conderetur carminaque conponerentur, Graece et historiam et carmina scripsit (fr. 1. Plut. Cat. 12 et apophth. 29). id quod eo magis mirum est, quod in historiae principio, si quid esset erratum, multis uerbis ueniam postulauit seque ei rei non satis parem esse ostendit, nisi uero sub modestiae specie subest ostentatio et iactatio (fr. 1). suo igitur iure scite eum cauillatus est M. Porcius Cato, quod mallet culpam deprecari quam culpa uacare. *nam petere* inquit *ueniam solemus, aut cum inprudentes errauimus aut cum compulsi peccauimus. Tibi, oro te, quis perpulit, ut id committeres, quod priusquam faceres, peteres, ut ignosceretur?*[2])

Simul ex his quos modo laudauimus locis uidemus hunc Albinum, qui Graece res Romanas scripsisset, cum L. Lucullo consulem fuisse, id est a. 151. 603; praeturaque eum functum esse quattuor annis ante, anno 155. 599, addidit Cicero acad. II 45, 137, cum Carneades, Diogenes, Critolaus philosophi Athe-

---

[1]) 40, 6 p. 1169 Bk. Polybium ad uerbum transscripsit Suidas s. u. *Αὖλος Ποστόμιος* I p. 859 Bhdy.

[2]) Gell. XI 8, 4 ex libro Cornelii Nepotis de illustribus uiris XIII; ex Gellio Macrobius sat. praef. 15. cf. Polyb. 40, 6. Plut. l. s. Iordan dict. memor. 34 p. 102.

nienses Romae essent, quibuscum sermocinatus tempore parum apto eandem quam supra diximus, eruditionis Graecae cognitionem prae se tulit.[1]) stabant enim tum illi philosophi legati publici in Capitolio ad senatum.

De rebus ab eo gestis perpauca conperimus. nam in litteris magis quam in re publica esse uersatus uidetur. quid? quod ne consul quidem quidquam gessit, quod ueteribus scriptoribus memoria dignum esse uideretur, nisi quod ipse et L. Licinius Lucullus cum dilectum seuere agerent, a tribunis plebis in carcerem coniecti sunt (Liu. perioch. 48). quae aliae res ex eo anno memoriae mandatae sunt, soli collegae Lucullo tribuuntur. Tum quinque annis post consulatum (146. 608) Corintho urbe diruta a senatu cum decem aliis missus est, qui Achaiam in prouinciae formam redigerent (Cic. ad Att. XIII 30, 3; 33, 3), et quo erat litterarum Graecarum a pueritia studio, ita Graecorum beneuolentiam sibi conparauit, ut ei statua in Isthmo conlocaretur (Cic. l. s. 33, 3). De relicua eius uita nihil nobis est traditum.[2])

Sed eum iam iuuenem historias edidisse ex ioco illo Catonis patet, quippe qui mortuus sit quadragesimo sexto uitae Postumianae anno, duobus annis posteaquam ille consul factus erat. neque tamen res Romanas quas tractandas susceperat, pontificum Romanorum morem secutus simpliciter ex ordine exposuit, sed utpote Thucydidis scriptorumque Graecorum discipulus et admi-

---

[1]) Censorem hunc Postumium fuisse scribit a. 174. 580 Krause p. 127. at quis credat eum undeuiginti annis ante praeturam, uiginti tribus ante consulatum censorem creatum esse? immo hic A. Postumius Albinus fuit pater historici, idem qui a 187. 567 fuit aedilis curulis, 185. 569 praetor, 180. 574 consul, 171. 583 legatus in Cretam, 167. 587 in Macedoniam missus est. Auli uero filius etiam in fastis is qui a. 151. 603 consul fuit, appellatur. Et praeturam autem et consulatum filius adeptus est anno fere tricesimo post patrem. unde, si suo anno utroque munere eum functum esse censes, sequitur natum eum esse anno fere 195. 559.

[2]) Gerlach Lucil. praef. p. XXIII sq. hunc adloqui censet Lucilium (Lactant. instit. VI 5, 2 = fr. inc. 1), sed res per temporum rationem admodum dubia est. natus enim est Lucilius poeta tribus annis post Postumii consulatum. nec hoc mihi placet, quod (p. XLI sq.) ad eundem rettulit uerba *ueterem historiam inductus studio scribis ad amores tuos.*

rator, simul causas repetiit et qua ratione singulae res cohaererent, explicauit (πραγματική enim eius historia a Polybio dicitur), atque teste Cicerone (acad. l. s.) etiam in hac re se doctum hominem praestitit. Quod si addiderimus, eum uideri res deduxisse ab origine urbis, utique ab initio libertatis rei publicae (fr. 2), et pertexuisse usque ad suam aetatem, habes quae de hoc libro adferri potuerunt. neque enim multum lectitatus sed breui tempore obliuioni datus est.

Quod autem Fabio et Acilio, idem huic Postumio Albino accidit, ut liber Graece scriptus in sermonem Latinum uerteretur. uerba enim quaedam Latina ex Postumii Albini annali primo protulit Macrobius (fr. 2). sed quis uerterit nescimus. neque enim adsentior Vossio, qui (d. hist. Lat. lib. I c. 6 p. 24) hunc Postumium, quem modo adumbrauimus, eundem et Graece et Latine annales conposuisse censuit. magis inclino in eam sententiam, ut alium Postumium proaui annales in Latinum uersos et ad suam aetatem continuatos sub suo nomine iterum edidisse statuam. quamquam quod Krause p. 129 eius sententiae adfert argumentum, futile est: Ciceronem, Gellium, Plutarchum, cum adderent Graece illum Albinum scripsisse et consulem fuisse cum L. Lucullo, distinguere eum uoluisse ab alio eiusdem nominis, qui Latine annales scripsisset. ab omnibus aliis enim Postumiis Albinis, qui multi erant, hunc scriptorem distinguere uolebant, non ab alio historico. potuit autem etiam hoc fieri, ut Macrobius eorum uerborum quae in praefatione ex Gellio descripserat, inmemor, ea quae in translatione Latina A. Postumii inuenerat, ipsius Albini esse existimaret (Schwegler I p. 80. Bernhardy hist. litt. Rom. p. 642). res igitur dubia est neque in tanta testimoniorum inopia discerni potest.

Denique etiam apud nos uides unum fragmentum libri Postumiani, qui inscriptus est *De aduentu Aeneae* (3). sed fateor me id inuitum in annalium fragmenta non recepisse. magis enim mihi placet Seruium (uel eum qui codicem Parisinum exarauit, solus enim hic ex Thilonis libris illa uerba seruauit), cum nimis contraheret auctoris sui uerba (quae talia fere fuisse existimauerim *Postumius annali primo, ubi exponit de aduentu Aeneae et Lutatius conmunium historiarum*), neglegenter illam inscriptionem posuisse, quam Postumium, cum de aduentu Aeneae etiam in annalibus suis ab origine rerum Romanarum

repetitis egisset, peculiarem librum de eadem re edidisse. quamquam etiam haec condicio relinquitur, ut ab alio aliquo Postumio illum librum conpositum esse opinemur.[1]

[1]) Ab A. Postumio Albino historico is probe est distinguendus, qui uersibus res Romanas descripsit, ex cuius libro primo rerum Romanarum tres uersus seruauit Priscianus VII p. 741 P. 304 H. Tertius quidam de metris scripsit. Max. Victor. p. 1959 P.

M. PORCIVS CATO[1])

Adhuc de eis nobis scriptoribus agendum fuit, qui Graece res sui populi enarrauerint. accedimus ad eum, qui inrisis eis Romanis qui Graecum sermonem praeferrent Romano (uid. p. CXXIII) primus patrio pedestrique sermone usus memoriam Romanam descripsit, ad M. Porcium Catonem Censorium.[2]) is postquam de medicina, agricultura, rhetorica, de re militari, de moribus, de iure ciuili libros edidit plurimasque orationes, quas habuit, litteris consignauit, idem senex historiae se dedidit originesque conposuit. de quibus disputantibus nobis proficiscendum est a luculento Nepotis testimonio, quod habemus in uita Catonis c. 3:

Senex historias scribere instituit. earum sunt libri septem. primus continet res gestas regum populi Romani, secundus et tertius, unde quaeque ciuitas orta sit Italica. ob quam rem omnes origines uidetur appellasse. in quarto autem bellum Poenicum est primum, in quinto secundum. atque haec omnia capitulatim

---

[1]) H. v. Bolhuys, *diatribe litt. in M. Porcii C. C. quae supersunt scripta et fragmenta.* 1826. H. A. Lion, *Catoniana s. M. P. C. C. quae supersunt operum fragmenta* 1826. Wilms, *M. P. C. C. uita et fragmenta* Dortm. fasc. I 1839. II 1843. Wagener, *M. P. C. originum fragmenta* Bonn. 1849. Bormann, *C. originum fragmenta* Brandenburg 1858. H. Iordan, *M. Catonis praeter librum de re rustica quae extant* 1860. O. Ribbeck in mus. Heluet. n. I (1861) p. 7 sqq. Omisi eos qui de uita tantum modo Catonis egerunt.

[2]) Catonis uitam enarrare mihi non est uisum huius loci esse. sed tamen ut legentium commodo seruirem, uitae eius capita adposui: natus est Liuio Plutarchoque testibus a. 239. 515, Cicerone 234. 520, 217. 537 prima stipendia meruit. 204. 554 quaestor fuit. 199. 555 aedilis pl. 198. 556 praetor (in Sicilia prouincia). 195. 559 consul in Hispania prouincia. 190. 564 legatus M.' Acilii Glabrionis contra Antiochum ad Thermopylas pugnauit. 184. 570 censor fuit. 149. 605 mortuus est.

sunt dicta. reliquaque bella pari modo persecutus est usque ad praeturam Seruii Galbae, qui diripuit Lusitanos. atque horum bellorum duces non nominauit sed sine nominibus res notauit. in isdem exposuit, quae in Italia Hispaniaque aut fierent aut uiderentur admiranda. in quibus multa industria et diligentia comparet, nulla doctrina.

In quibus uerbis sunt sane, quae maximo opere miremur. horum bellorum duces nominatos non esse in libro historico a Catone sed res sine nominibus notatas! ob trium[1]) librorum argumentum septem inscriptos esse origines! uerum tamen in his ipsis rebus accidit, ut ab aliis scriptoribus Nepotis testimonia, quamuis per se incerta et dubia, confirmarentur. nam et Plinius in naturali historia (fr. 88) imperatorum nomina annalibus detraxisse Catonem scripsit[2]), et Festus (s. u. originum p. 198) originum inscriptionem reprehendit, quod non satis plenum titulum propositi sui uideatur amplexus, quando praegrauent ea, quae sint rerum gestarum populi Romani.

Hanc igitur ob causam cum non sit, cur de Nepotis fide et auctoritate dubitemus, quamquam aliquot librorum res Nepotem non satis adcurate adumbrasse inueniemus, eius testimonio, praesertim cum eius quae post disputabimus, etiam magis firmari uideamus, confidere atque niti poterimus.

'Senex igitur historias scribere instituit', id est minimum sexagenarius (Varro ap. Censor. 14, 2), si Ciceronem de Catonis aetate sequeris, anno 174. 580, si Liuium et Plutarchum, qui minorem fidem habent, a. 179. 575 (Drumann V p. 98). sed etiam seniorem Catonem fuisse, cum secundum originum librum conponeret, inde adparet, quod Ameriam annis DCCCLXIII ante Persei bellum conditam esse prodiderat (fr. 49). denique septimum originum librum sibi in manibus esse ipsum Catonem anno ante mortem Cicero de senectute (11, 38) profitentem facit (nam a. 150. 604 illud conloquium habitum esse uult 5, 14), idemque in Bruto (23, 89) quam ora-

---

[1]) Quoniam ut libri alter et tertius, ita etiam primus ad origines spectabat, nihil obstat, quominus ex tribus prioribus libris Nepotis sententia inscriptionem ductam esse existimemus.

[2]) Iniuria igitur Drumann hist. Rom. V p. 146 absurde haec tradita esse adfirmat.

tionem contra Galbum dixisset, eum in origines suas rettulisse certiores nos facit 'paucis antequam mortuus esset diebus aut mensibus'.

In hoc tanto testimoniorum consensu sine dubitatione duos locos spernemus, qui cum his pugnare uideantur. alter locus est Liuii XXXIIII 5, 7, ubi posteaquam Cato nullo modo legem Oppiam abrogandam esse exposuit, L. Valerius, tribunus plebis, ut rogationem a se promulgatam defenderet, cum alia tum haec contra Catonem dicit: *Nam quid tandem noui matronae fecerunt quod frequentes in causa ad se pertinente in publicum processerunt? numquam ante hoc tempus in publico adparuerunt? tuas aduersus te origines reuoluam. accipe, quotiens id fecerint, et quidem semper bono publico. iam a principio regnante Romulo, cum Capitolio ab Sabinis capto medio in foro signis conlatis dimicaretur, nonne intercursu matronarum inter acies duas proelium sedatum est?* Tulerant autem ad plebem M. Fundanius et L. Valerius tribuni plebis de Oppia lege abroganda a. 195. 559, ut, si re uera Valerius origines habuisset ante oculos, magnam originum partem iam tum a Catone, qui tum erat fere quadragenarius, absolutam et emissam esse necesse esset. at uero quis nescit, Liuium orationes, etiam si potuisset, non ita ut dictae erant in libros suos transtulisse, sed suo ingenio et arti obsecutum aut totas finxisse aut si quas inuenerat apud auctores suos, retractasse atque in hac potissimum historiae parte haud raro temporis, quo eas dictas esse uolebat, oblitum esse?[1]) Quam ob rem hic locus prae disertis Nepotis, Ciceronis, Plinii testimoniis neglegendus est. Maiorem difficultatem praebet alter Plutarchi in uit. Cat. c. 20. is enim quam curam posuerit pater in Marco filio, qui ex priore uxore Licinia natus erat, educando erudiendoque pluribus exponit. prima litterarum elementa ipsum patrem tradidisse, docuisse equo uehi, armis uti, frigus caloremque tolerare, natare aduersus flumen rapidissimum. deinde sic pergit: *καὶ τὰς ἱστορίας δὲ συγγράψαι φησὶν αὐτὸς ἰδίᾳ χειρὶ καὶ μεγάλοις γράμμασιν, ὅπως οἴκοθεν ὑπάρχῃ τῷ παιδὶ πρὸς ἐμπειρίαν τῶν παλαιῶν καὶ πατρίων ὠφελεῖσθαι.* quoniam c. 25 idem Plutarchus origines *ἱστορίας* appellat, post

[1]) Vossius de histor. Lat. p. 21. Lachmann de f. Liu. II p. 114 sq. uid. etiam infra.

alios Wilms (II p. 9) et Mercklin (Philol. IIII p. 624) etiam hic origines significatas esse arbitrati ex filii institutione sensim origines ortas esse coniecerunt. iam uero hic Marcus filius a. 173. 581 sub Popillii Laenatis militia contra Ligures tirocinii rudimenta posuit (Drumann V p. 150) natusque esse uidetur a. 192. 562, unde, nisi decem fere annos aut plus in primo libro scribendo Catonem consumpsisse statuimus, aut inepte Plutarchum dixisse sequitur Catonem, ut filium primis inbueret litteris, grandibus litteris origines exarasse aut alium librum in animo habuisse, non origines. hanc opinionem nunc plerique secuntur, idque iure. quamuis enim multos errores propter leuitatem, qua uitas enarrauit, conmiserit Plutarchus, hic apertae fraudis atque mendacii esset accusandus, cuius nemo adhuc eum coarguit. itaque quaeritur quasnam *ἱστορίας* Plutarchus dicere uoluerit. atque erant quidem qui eius uerba ad *praecepta* referrent: sed quomodo haece historiae scriptae grandibus litteris conueniebant cum libris de medicina et de rhetorica, qui illis praeceptis continebantur, quos ad adulescentem uel iuuenem datos esse consentaneum est? recte igitur et praecepta historiasque Plutarchi in pueri usum conditas et origines historiasque distinxit Drumann (V p. 43), in cuius sententia stabimus, nam plura de hisce historiis, quarum memoria hoc solo loco Plutarcheo continetur, proferre hariolantis est. etiam errauit Iordan, quod a patre epitomen originum in pueri usum confectam esse coniecit. qui enim fieri potuit, ut Cato, quo tempore, cum nondum ad senectutem peruenisset, ad ipsas origines scribendas adgressus non erat, eas in epitomen cogeret? uir ille ceteris rebus cautissimus hoc loco ipse sibi obloquitur, nam antea in tempore quo conscriptae essent origines definiendo profectus erat a uerbis Cornelianis.

Secuntur apud Cornelium uerba: 'Earum sunt libri septem'. ad quae uerbum ego non amplius adderem, nisi L. Lersch (*Museum der rhein. westphäl. Schulmänner* III 1845, 3, p. 233—235), num iam a Catone historiae in septem libros distinctae essent suspicionem mouisset. sed argumenta, quibus usus est, ut unum originum uolumen continentique scriptura expositum a C. Octauio Lampadione in septem libros diuisum esse demonstraret, inania sunt, atque etiam id, quo in primis nititur, loco Frontonis (epist. ad M. Caes. I 7 p. 20 Nab.), de quo agitur,

rectius explicato dilabetur. felicem enim se praedicat, quod orationem quandam suam M. Caesar ipse descripserit neque cuiquam id contigisse declamat: *Contigisse quid tale M. Porcio aut Quinto Ennio aut C. Graccho aut Titio poetae? quid Scipioni aut Numidico? quid M. Tullio tale usu uenit? quorum libri pretiosiores habentur et summam gloriam retinent, si sunt [a] Lampadione aut Staberio aut .... ui aut Tirone aut Aelio* [euanuerunt duo uersus cum dimidio] .... *aut Attico, aut Nepote. Mea oratio extabit M. Caesaris manu scripta. Qui orationem spreuerit, litteras concupiscet, qui scripta contempserit, scribtorem reuerebitur.* quae uerba quamquam lacunis sunt corrupta, tamen non sunt tam obscura, ut non cernamus, Frontonem agere de scriptorum quorundam libris, qui inlustrium grammaticorum manibus descripti sint. nolumus nimiam uim tribuere ei rei, quod Th. Bergk (*Zeitschr. f. Alterthumswiss.* 1845 p. 121) eos grammaticos a Frontone adlatos esse perspexit, qui scriptorum amici fuissent, Lampadio autem utique aliquanto post Catonem fuit: illud constat, falsissime Lerschium, quod Cato primus scriptorum, Lampadio primus grammaticorum positus esset, et Lampadio Naeuii bellum Punicum in septem libros diuisisset (Sueton. d. illustr. gram. 2, p. 101 Rf.), ex hoc loco conclusisse eundem Lampadionem in totidem libros origines distinxisse. denique si qui a Varrone 'librum', non libros originum bis (fr. 43. 52) citari, tum a Gellio uno loco (fr. 86) 'originem' Catonis dixerint, oppono Varroni diserta Ciceronis Verriique, eius aequalium, testimonia, ut eius laudationem aut ipsius aut librariorum neglegentia (Wagener p. 7) minus adcuratam esse adpareat, Gellio ipsius ceteros locos uiginti fere, quibus aut origines aut adcuratius unum certum earum librum appellat.

Inscriptio duobus locis (fr. 19. 88) exceptis, ut a Nepote ita a ceteris scriptoribus traditur originum, ut quin ea Catonis sit, nemo dubitare possit. sed quaeritur, qua causa adductus Cato sic inscripserit. quae quidem quaestio difficillima non solum nostrae aetatis uiros doctos multum exercuit sed etiam apud Romanos aliquid offensionis habuit, quod iam supra uidimus. cum enim primo libro originem urbis Romae, altero et tertio ciuitatum Italicarum absoluisset, ceteris res Romanas a primo bello Punico usque ad suam aetatem deduxisset, quod ob tres primos libros omnes origines appellauerat, non satis plenum

titulum propositi sui uidebatur amplexus. in hac tamen Catonis reprehensione plerique acquieuerunt, neque quisquam per longum tempus ab hac ueterum sententia aperte discessit, dum Niebuhr, ut Catonem uirum constantissimum leuitatis crimine liberaret, Nepotis argumentis contemptis ita inscriptionem explicauit (h. R. I p. 9 sq. praelect. I p. 26), ut illum in populi Romani rebus per temporum rationem enarratis earum gentium res, quae cum Romanis manus consererent, ab originibus repetitas intexuisse coniceret, atque, cum eo loco inseruisse uideretur, ubi eorum primum in historia Romana mentio fieret, factum esse, ut origines Italicarum ciuitatum, quae, priusquam contra Carthaginienses arma lata essent, subiectae essent, libris altero et tertio conprehenderentur. atque hercle multa sunt, quae huic sententiae, quam pluribus exponendam et firmandam magna cum industria et diligentia suscepit Wagener, fauere uideantur. in primis sic toti libro continuatio quaedam seriesque rerum restituitur, ut omnes partes inter se aptae conligataeque sint; neque in quattuor posterioribus libris origines ciuitatum omnino praetermissas esse a Catone ex fragmentis 78—80 patet, quibus de Carthaginiensium moribus et institutis eum locutum esse intellegimus. Ipse tamen Niebuhr ansam praebuit sententiae suae refutandae. nimirum quod, cum ab a. 238. 516 confecto bello Punico primo cum Liguribus bellatum esse memor esset (Zonar. VIII 18 p. 164 sqq. ed. Bonn. Oros. IIII 12. Flor. I 18 s. II 3), adnotauit l. s. s. exceptis Liguribus gentibusque inalpinis urbes Italicas tractatas esse in tribus prioribus libris: de his ipsis populis quae prodidit Cato, certo scimus in libro altero scripta fuisse (fr. 32. cf. 31. 33. 34. 36); quae testimonia praesertim in tanta relliquiarum paucitate, quae ab antiquis auctoribus alteri tertioue libro adsignatae sunt, neglegere non debemus. accedit etiam alia res. quis enim credat, hominem Romanum historiis, quarum caput essent res gestae Romani populi, propter aliorum populorum origines, de quibus per digressiones egerat, inscripsisse? quas ob causas quamquam primo obtutu maxime adrisisse nobis hanc coniecturam libere profitemur, tamen singulis locis adcuratius examinatis animo inuito ab ea recedendum fuit.

Hanc sententiam Niebuhrianam in quibusdam rebus amplexus est Bormann, de cuius inuento quoniam iam Vahlen (*Zeitschr.*

f. östreich. Gymn. 1859 p. 480 sqq.) et Iordan (in Iahni annal. 1859 uol. 79 p. 424 sqq., nimis hic acerbe) iudicauere, paucis absoluere licet. is enim item ut seruaret constantiam Catonianam, cum ex serie rerum Romanarum conlocari posse relliquias desperaret, nihil aliud sibi restare arbitratus ordinem instituit geographicum. *primus originum liber,* ut ipsius uerbis utar (p. 42), *continuit origines Romanas, secundus et tertius urbes Italicas, quartus Siciliam, fortasse etiam Sardiniam et Corsicam, quintus et sextus Illyriam et Macedoniam, septimus Hispaniam.* hoc autem potissimum Catoni propositum fuisse, ut *de situ, moribus populorum qui tum in ditione Romanorum erant* ageret et scriberet *quam nunc ethnographiam uocant imperii Romani.* nec tamen res Romanas postquam res gestas regum Romanorum primo libro enarrasset, eum omnino neglexisse sed illas tantum modo conmemorasse, quae necessariae essent ad ceterorum populorum res inlustrandas (fr. 43. 39).

Vt uero taceam, futilia argumenta esse, quae pro Bormanni partitione facere uideantur, haec opinio et cum eis, quae de originibus ab antiquis scriptoribus prodita sunt, et cum ipsis relliquiis, quae ex originibus ad nos peruenerunt, uehementer pugnat. uelut eam ob causam Siciliam quarto libro descriptam esse putat Bormann, quod in eo uerrucae agri Camarinensis (fr. 83) mentionem factam esse conperissemus. hanc uero insulam aperuisse Romanis bellum Punicum primum, ergo Catonem ex eo bello, quod ipsum narrare in animo non habuisset, desumpsisse, quae ad rem propositam apta esse uiderentur (p. 38). concedamus haec, sed quae causa fuit Catoni, ut belli Punici alterius enarrandi initium eodem libro faceret? quod ex fr. 87 conl. fr. 86[1]) et 84 satis patet, cum si Bormanni sententiam sequar, hoc bellum septimo tractandum fuerit. Hispania enim, quam hoc libro depictam esse uult, altero bello Carthaginiensi Romanis aperta est. at 'etiam cum Nepotis uerbis' inquies 'hice numeri discrepant'. recte tu quidem, sed facile narratio ex temporum ordine res Romanas digerens conprehendere potuit eodem libro et bellum Punicum primum et alterius partem

---

[1]) Mirum est quod ut bellum Hannibalicum iam quarto libro tractatum esse negaret, haec fragmenta diiunxit Bormann. uid. Iordanum in Iahn. ann. p. 431.

quandam, ut Nepos cum summas rerum breuissime indicaret, dicere posset in quarto libro fuisse bellum Poenicum primum, in quinto secundum. deinde, cum Hispaniam describeret, cur querellas fudit Cato in septimo libro (fr. 113) de luxuria mulierum, egit de magistratuum curulium calceis (fr. 111)? cf. Iordan p. 431 sq. quid? Cornelium Nepotem, quem, cum T. Pomponii Attici rogatu separatim librum de uita et moribus Catonis fecerit (Nep. Cat. 3, 5), multum eius scripta, in primis propter suum amicique rerum Romanarum studium historica uoluisse et lectitasse consentaneum est, ita non quod originum consilium fuisset, consilium perspexisse censes, ut historias eas diceret, summarium, quod, si ethnographia erat, perfacile esset et ad cognoscendum et ad indicandum, tam peruerse adumbraret, et quae in transcursu Cato tetigerat, pro capite habuisse? an in eundem errorem incidisse etiam Ciceronem, qui de orat. II 12, 57 et de legg. I 2, 6 Catonem cum Pictore, Pisone, Fannio, Vennonio ceterisque in rerum Romanarum scriptoribus poneret eorumque historias nihil aliud nisi annalium confectionem esse diceret? Plinium (fr. 88), qui annalibus imperatorum nomina eum detraxisse scriberet? Liuium siue eum qui periochas Liuianas confecit, cum, quam orationem originibus insertam esse a Catone conpertum habemus (fr. 106—109), in a n n a l i b u s inclusam exstare proderet (uid. adnot. ad fr. 106)? Seruium, qui, cum plerumque originum nomine in citando uteretur, ad Aen. VI 842 historias Catonem condidisse scriberet?

Ne multa, uix quisquam in hac re accedat Bormanno. Etiam minorem probabilitatem habet, quod Mercklin (in Philol. III p. 269 sq.) item spreta Nepotis auctoritate lusit. is enim Callimachi *αἴτια* uel *κτίσεις* imitatum esse Catonem suspicatus est, sed, etiamsi eum Graecis ita sese addixisse largiamur (quod non facimus), ut ad exemplum huius litterarum generis a grammaticis Graecis exculti scriberet, iure miratur Bormann p. 44, quod nemo scriptor Graecus hoc titulo, qui tum fuit Graecis satis usitatus, u. *origines* uertit. praeterea Mercklin non solum urbium sed etiam aliarum rerum origines a Catone expositas esse uult utiturque uerbis quibusdam Macrobii (fr. 12) ad coniecturam suam firmandam, quae falso ab eo intellecta esse iam animaduertit Wagener (p. 6).

Prorsus aliam uiam ingressi sunt K. W. Nitzsch (*Polyb.*

p. 141[1]), cuius sententiam haud inprobauit Schwegler (I p. 81), et Iordan (p. XXIIII), qui, quamquam utrique in uniuersum Nepotis uerba recte dicta esse uidentur, tamen, quod propter libros alterum et tertium omnes origines a Catone adpellatos esse dixisset, parum diligenter Nepotem egisse arbitrati alia ratione atque fere fieri solebat, originum uocem interpretari conati sunt. atque horum quidem Nitzsch, quoniam sua aetate Cato rem publicam ad summum florem peruenisse censuerit, quae usque ad id tempus per multa saecula facta essent, primordia eum duxisse originesque adpellauisse existimat. itaque originibus ostendisse eum rem p. Romanam et nascentem et crescentem et adultam et iam firmam atque robustam.[2]) etenim eandem sententiam tribui inscriptioni Catonianae a Scipione apud Ciceronem de re p. II 1, 3. sed examinemus istum locum. ibi pluribus explicat Scipio, qua ratione disputaturus sit de optimo rei publicae Romanae statu. se sibi non esse ficturum aliquam rem p. ut apud Platonem Socratem, sed, cum nulla omnium rerum publicarum aut constitutione aut descriptione aut disciplina conferenda sit cum ea, quam patres sibi acceptam iam inde a maioribus reliquerint, se suam rem p. ad exemplum expositurum esse. deinde ipse sermo ducitur a dicto quodam Catonis. illum enim dicere solitum esse ob hanc causam praestare suae ciuitatis statum ceteris ciuitatibus, quod in illis singuli fuissent fere, qui

---

[1]) Quinque tamen annis post (*Die Gracchen* p. 214 sqq.) in quibusdam rebus ipse a priore sententia recessit.

[2]) Haec enim Nitzschi sunt uerba: *Wenn er aber die Geschichte der freien Republik erzählte, wie sie unter ihren Helden allmählich Gesetze, Land, Städte gewann, so konnte in Büchern solchen Inhalts auch die Gründung der Italischen Staaten abgehandelt werden, und wer nicht tiefer einging, mochte meinen, dies seien die s. g. origines; dass aber des Titels Sinn ein anderer war, hätte man bei Cicero a. a. O. nicht übersehen sollen* (secuntur Ciceronis u. supra s.). *Man hat schon die Aenderung origines vorgeschlagen, denn offenbar will Scipio ein Wort gebrauchen, was dem ausgesprochenen Gedanken entspricht. Wie unwahrscheinlich aber ist es, dass die origines auf die Italischen Städte nur gingen, so passend für Cato's und seines Buches Eigenthümlichkeit und für diese Stelle Cicero's scheint die Annahme, dass in diesem Titel die Mannigfaltigkeit und lange Dauer des römischen Staats angedeutet werden sollte. Von Roms Anfängen wollte Cato schreiben und Cicero's Scipio sprechen; sie hatten ja Jahrhunderte und Zeitalter hindurch gewährt.*

suam quisque rem p. constituissent legibus atque institutis, suam rem p. non unius esse ingenio sed multorum nec unius hominis uita sed aliquot constituta saeculis et aetatibus, tum hisce uerbis ad ipsam rem transit: *Quam ob rem, ut ille solebat, ita nunc mea repetet oratio populi Romani originem, libenter enim etiam uerbo utor Catonis. facilius autem quod est propositum consequar, si nostram rem p. nobis et nascentem et crescentem et adultam et iam firmam atque robustam ostendero, quam si mihi aliquam, ut aput Platonem Socrates, ipse finxero.* quae uerba si quis adcuratius perpenderit, iniuria ab eis suae sententiae argumentum traxisse Nitzschium inueniet. neque enim se expositurum populi Romani originem Scipio dicit sed repetiturum (uertas *deshalb wird meine Darstellung den genetischen Weg einschlagen*), uerboque repetendi addito ea euadit huius enuntiati uis, quam Nitzsch in sola uoce originis perperam inesse uult. denique Catonem solitum esse originem repetere Scipio adiecit. id quod ipsum pugnat cum Nitzschi sententia, qui unius urbis originem originibus Catonem repetiisse coniecit. Itaque subtraximus in quo fundamento Nitzsch sententiam suam conlocarat.

Similiter Iordan Catonem titulo satis sapienti monstrasse existimat 'sese res Romanas ab origine repetitas uel ab origine libros septem conposuisse'. quam interpretationem quamuis confidenter protulerit, uix cuiquam probabit, quippe quae cum originum uocis ui omnino conciliari non possit, neque quidquam effecit loco Sallustiano laudato (Iugurth. 19, 1): *eaeque* (coloniae) *breui multum auctae pars originibus suis praesidio, aliae decori fuere.* adfirmat ille quidem haud dissimili transferendi licentia Sallustium usum esse, sed licentia Sallustiana sese continuit intra fines huius notionis, quos egressa est Iordaniana.

Quocunque igitur a Nepote discedentes excurrimus, incidimus in angustias. quam ob rem in huius sententia standum erit, originum inscriptionem quadrasse in solos tres priores libros. Nequaquam tamen fieri potuisse concedo, ut Cato, si ab initio res Romanas ab urbe condita usque ad suam aetatem deducere in animo habuisset, 'origines' librum suum appellaret, sed primo id consilium fuisse Catoni suspicor, ut solas origines urbis Romae ceterarumque ciuitatum Italicarum enarraret, postea, cum origines iam edidisset, iterum ab eo loco, quo desierat, exorsum historias scribere instituisse atque, cum uita suppeteret, res Ro-

manas usque ad suam aetatem persecutum esse, tum uero morte oppressum — nam paucis diebus ante mortem in septimo libro scribendo eum uersatum esse constat, uid. p. CXXVIII sq. — et inpeditum esse, quominus libros retractaret unaque inscriptione libros diuersos conprehenderet. sic omnes difficultates facillime soluuntur, eandemque sententiam nunc prolatam esse gaudeo a Teuffelio in hist. litt. p. 150.[1])

Iam uero pergimus Cornelio duce ad singulorum librorum argumenta adumbranda.

'Primus igitur continebat res gestas regum populi Romani', quibuscum Nepotis uerbis quae fragmenta additis libri numeris seruata sunt et ad certam aliquam rem referri poterant (fr. 12. 22. 24. de fr. 25 non liquet), egregie concinunt. spectant enim ad res Ascanii Mezentiique, Tulli Hostilii, Tarquinii Superbi. neque tamen Cato statim ad ipsas res adgressus erat sed praemisso prooemio clarorum uirorum atque magnorum non minus otii quam negotii rationem exstare oportere (fr. 2), et quanto usui esset memoria rerum gestarum (fr. 3), exposuerat, quas sententias facile copulamus ita, ut illum rerum suarum laudatorem (fr. 92), quam ipse otii sui redderet rationem, hanc ut praeclarissimam conmendasse censeamus. uidetur uero etiam in his sententiis imitatorem habuisse Sallustium, qui in bellorum Catilinarii et Iugurthini prooemiis, posteaquam cur scriptor quam actor rerum esse mallet explicauit, quam arduum esset res gestas scribere et quanta historiae praestantia esset disputauit. atque nescio an Catonem in animo habuerit Sallu-

---

[1]) Ceterum, ut nunc uideo, similia iam Lewis coniecerat (II p. 36 uers. Liebrecht.), qui ut ducentorum quadraginta sex annorum spatium a Catone silentio praeteritum explicaret, haec uerba facit: *Die wahrscheinlichste Erklärung dieses Umstandes scheint jedoch die zu sein, dass er sein Werk als eine Gründungsgeschichte der Städte begann; sein erstes Buch enthielt demgemäss den Ursprung Roms, die folgenden beiden den der übrigen italischen Städte. In diesen drei Büchern hatte er offenbar seinen ursprünglichen Plan zu Ende geführt; nachdem er aber angefangen, sich mit geschichtlichen Arbeiten zu beschäftigen, so fügte er zu seinem Werke auch noch eine Uebersicht der jüngsten Geschichte hinzu, so weit sich nämlich seine eigene Erinnerung und die der vorausgehenden Generation erstreckte, d. h. also vom ersten punischen Kriege bis 150 v. Chr. oder einen Zeitraum von 114 Jahren, wovon 84 in seine eigene Lebenszeit fielen,*

stius, cum de bello Iugurth. 4, 2 scriberet: *Cuius* (memoriae rerum gestarum) *de uirtute quia multi dixere, praetereundum puto.* Alii etiam alia Catoniana prooemio inseruerunt, in primis P. Scipionis Africani dictum quoddam, quo dicere eum solitum esse scripserat Cato, numquam se minus otiosum esse quam cum otiosus nec minus sólum quam cum solus esset (Cicero de off. III 1, 1 cf. de rep. I 17, 27), atque Bormann quidem (p. 29 sq.) ipsum tenorem praefationis restituere conatus est, sed quamquam Catone non indigna eum excogitasse non nego, tamen aliena inuenta Catoni obtrudere nolui neque Rothio adsensus sum, qui cum de aliis rebus tum de fontibus (fr. 118) praefatum Catonem arbitratus est. omnia enim eius coniecturae desunt fundamenta.

Deinde res Romanas ab aduentu Aeneae repetiisse uidetur. is cum patre in Italiam adpulsus (fr. 9) a Latino rege duo milia et septingenta iugera dono accepit (fr. 8) Lauiniamque uxorem (fr. 11). postea uero, cum Troiani ex agris quos inuaserant praedas agerent, inimicitiae inter Aeneam Latinumque sunt ortae. Latino auxilio uenit Turnus (fr. 9. 10), quod Lauinia Aeneae in matrimonium data erat, iratus (fr. 11). proelio iuxta Laurolauinium conmisso Latinus est occisus, Turnus confugit ad Mezentium eiusque auxilio fretus renouauit bellum. altero proelio Turnus interfectus est, Aeneas e conspectu hominum abiit (9. 10 c. adnot. 11). translatum est bellum in Mezentium Ascaniumque[1]), qui Mezentium interemit Laurolauiniumque tenuit (9 c. adn. 10).

Haec in plerisque Niebuhrium (h. R. I p. 214) secuti ex frustulis Catonianis, quae seruauit Seruius, restituimus, sed fatendum est, non de omnibus rebus constare, cum Seruius ipse Catoniana proferens secum pugnet.[2]) duobus enim locis (fr. 9.

---

[1]) Fragmento 9 de Iuli nomine uulgo haec ut Catoniana adici solent: *Et occiso Mezentio Ascanium, sicut I. Caesar scribit, Iulum coeptum uocari, uel quasi ἰοβόλον, id est sagittandi peritum, uel a prima barbae lanugine, quam ἴουλον Graeci dicunt, quae ei tempore uictoriae nascebatur.* iure tamen ex relliquiis Catonis expulsa sunt a Iordano prolegg. p. XXVIIII.

[2]) Nescio tamen an inique de Seruio iudicemus. admodum enim difficile distinguitur, quae Seruio, quae epitomatoribus uel librariis debeantur.

10) Latinus Turnusque coniunctis uiribus dimicant contra Aeneam, uno (fr. 11) Aeneas Latinusque socii sunt contra Turnum. atque hanc quidem famam Schwegler (I p. 284) et Rubino (*Beiträge zur Vorgesch. Italiens* p. 103 sqq.) Catonis esse maluerunt, illam Niebuhr, cui nos cum Iordano, qui hanc rem retractauit in Hermae uol. III p. 417, adstipulamur. nam praeterquam quod illud bis a Seruio relatum est, hoc semel, ad Aen. VI 760 (fr. 11) id agit Seruius, ut quae de Siluio Cato prodiderit ad Vergilium inlustrandum describat, breuiterque repetit, quae ad Siluii res recte intellegendas opus erant. itaque facile ei potuit accidere, ut, cum ex memoria summa quaeque tangeret, falleretur confuderetque Liuium (I 2, 1), quem lectitauerat pauloque post laudat, et Catonem, quem errorem etiam aliis locis Seruius conmisit (uid. Iordan. p. XXVIIII et adnot. nostram ad fr. 10).

Praeter ipsas autem res gestas regum populi Romani quod primo libro etiam de Sabinis Iordan (p. XXV) Catonem exposuisse existimat, cum ceterarum ciuitatum Italicarum origines suo iure uindicaret libro secundo tertioue, non uidetur sibi constare. nimirum disiungere Iordan noluit Sabinorum Aboriginumque res, quae artissimis uinculis conexae esse uiderentur, sed idem cadit in conplures alias ciuitates, quarum originem quod primo libro tribuit Wagenerum idem Iordan reprehendit. de Aboriginibus uero ut hoc libro praeter consuetudinem ageret (fr. 7), haec fuit Catoni causa, quod hoc nomen, cum Aborigines cum Phrygibus iuncti uno nomine Latini nuncuparentur iam Aeneae aetate omnino euanuit (fr. 5).

De secundo tertioque libro maxime dolendum est, Catonis uerba quaedam (fr. 82) ita a Gellio, cui ea debemus, lacerata esse, ut hoc quidem sciamus aliquos populos non ideo postremo loco positos esse, 'quia et boni et strenui essent', nesciamus, quem ordinem in enumerandis ciuitatum Italicarum originibus, quas ex Nepotis testimonio hi libri continebant, Cato seruarit. quam ob rem late patet coniecturis spatium. ego tamen Wagenerum (p. 8) uerum uidisse iudico, qui cum libro secundo de Liguribus (fr. 32), Libuis (33), Gallis (34), Marrucinis (53), Tiburtibus (57), Latinis (58), Arpinatibus (61), tertio de Rheginis et Taurinis (71) disputatum esse ex ipsis relliquiis animaduerteret, ex septentrione Catonem descendentem ad meridiem illo libro Galliae Italiaeque superioris, hoc inferioris ciuitatum ori-

gines descripsisse coniecit. itaque ceterorum quidem librorum fragmenta quoad fieri potuit ex temporum ratione digessimus, secundi ac tertii secundum locorum situs. Neque uero Cato solas urbium origines in his libris enarrauit, unde orti essent populi (fr. 37. 40. 42. 48), unde nomen accepissent (46. 53. 54. 60), quis quo tempore urbes condidisset (57. 59. 49. 69), sed etiam mores populorum descripsit (31[1]). 32. 53. 54. 61), quae in illis locis gignerentur (139. 43), quanta agrorum fertilitas esset (59), quae ferae (52), quanta locorum spatia essent (38. 50), adcurate explicauit, singulas gentium urbes enumerauit (ut triginta quattuor Euganearum gentium fr. 35), denique aliquot certe res gestas copiose persecutus est (fr. 36. 72).

Sunt tamen etiam in alterius libri relliquiis, quae suspicionem moueant, num re uera quae sub Catonis nomine feruntur, Catonis sint. alia enim Dionysius (fr. 50) de Sabinis a Catone tradita esse rettulit, alia Seruius (51). ille duplicem famam fuisse scribit. atque ex Catonis quidem sententia nomen eis inditum esse a Sabo, Sanci filio, deo domestico, primum domicilium fuisse Testrinam, uicum quendam prope Amiternum situm, inde migrasse eos in agrum Reatinum atque cum alias multas colonias deduxisse tum Cures. tum uero adnectit aliam famam, quae exstet '*ἐν ἱστορίαις ἐπιχωρίοις*', Lycurgi aetate Lacedaemonios quosdam profugos Feroniam delatos *συνοίκους τοῖς Σαβίνοις γενέσθαι,* quorum mores Sabini induerint, atque hanc fere eandem se apud Catonem et Gellium inuenisse adfirmat Seruius.[2]) possis suspicari Seruium diuersas famas miscuisse alienamque tribuisse Catoni. ego tamen in hac re Catonem tenens, utramque famam quam prodidit Dionysius ex Catone fluxisse arbitror minusque adcurate solam priorem ad Catonis auctoritatem

---

[1]) Nulla codicum auctoritate, cum Seruius laudaret *Cato originum*, Daniel addidit II, idemque temere coniecit Iordan f. 44, obliti illi, haud raro ita citasse Seruium, ut Cat. fr. 124, Coel. 58 (*Coelius historiarum*, ubi falso Meltzer p. 26 numerum inserit), Asell. 14 (*Asellio historiarum*), Lutat. 8 (*Lutatius communium historiarum*).

[2]) Lion si etiam seqq. Seruii uerba legisset, uix coniecturis dissensum remouere studuisset, scribens *a Sabo loci daemone.* — Parum recte Niebuhr (h. R. I p. 104), quem secutus est Kiessling (de Dion. font. p. 35), *τὰς ἐπιχωρίους ἱστορίας* Cn. Gellii historici dictas esse existimauit. necessario enim sunt intellegendae Sabinorum historiae domesticae.

relatam. haud raro enim Cato et Graeca stirpe ortas ciuitates Italicas uoluit (fr. 6. 47. 54. 56. 70. 71. cf. Schwegler I p. 83 n. 10), nec ab diligentia eius abhorrebat talium fontium usus. uel Praenestinos libros adhibuisse uidetur (cf. adnot. fr. 59): quidni etiam Sabinos, praesertim cum multum uiueret in praedio Sabino? atqui is fuit ueterum scriptorum mos, ut si quem is quem transscriberent, citasset fontem, hunc auctorem adferrent. ergo etiam hic Dionysium domesticos Sabinorum annales, qui a Catone laudati erant, pro Catone testes esse maluisse ueri est simile.

In quarto libro bellum Poenicum fuisse primum Nepos scripsit, in quinto secundum. quibus uerbis eum capita tantum modo horum librorum tangere uoluisse consentaneum est, neque satis diligenter argumenta eum distinxisse et definiuisse ex ipsis relliquiis discimus. quarto enim libro minimum usque ad initium belli Hannibalici (fr. 84) clademque Cannensem (fr. 86. 87), quinto minimum usque ad causam Rhodiensem (fr. 95), quae anno tricesimo quarto post bellum Hannibalicum dicta est, descenderat.[1] Quae cum ita sint, etiam hic Nepotem, cum breuitatis studiosus esset, neglexisse concedetur, quae Cato ut bella Punica cum regum rebus gestis coniungeret, ab exactis regibus repetiisse uidetur. quamquam enim fuerunt (ut Blum *Einleit.* p. 112, Lewis, *Untersuch.* I p. 36. Mommsen h. R. I p. 925, Iordan p. XXIII) qui a Catone horum temporum res, quippe quae testibus parum certis memoriae proditae essent, silentio praetermissas esse censerent, tamen equidem non uideo, cur Cato cum Punicis potissimum bellis denuo initium fecerit scribendi? nimirum etiam quae antecedebant bella, tum uiro Romano satis esse explorata uidebantur. cur igitur haec describere noluit, cum primum librum regum Romanorum rebus enarratis expleuisset? denique Cicero, qui origines multum lectitauerat, diserte Catonem in eis ponit, quorum historia nihil aliud fuerit nisi annalium confectio. Quod uero breuiter haec tempora absoluit, nobis mirum non erit considerantibus, eadem ratione etiam ce-

---

[1]) Orationem pro Rhodiensibus habitam inclusam esse quinto originum libro et Gellii et Liuii testimoniis constat, et iniuria Nipperdey ad Nep. l. s., ut Nepotis fidem tueretur, utroque loco similiter numerum esse corruptum statuit.

teros, qui antea fuere, scriptores res Romanas ueteres percurrisse, ut quo propius ad suam aetatem accedebant, fusius narrarent. hac una re eum a Fabio et Cincio in hac rerum Romanarum parte tractanda discessisse propter fr. 77 largior, quod spreta annalium publicorum ieiunitate, qua etiam Fabii Cinciique plerumque contenti fuerant, non mera nomina et exiguas res proposuisse uidetur sed filo orationis desperato 'capitulatim' (de qua uoce uide infra) grauissimas tantum modo res, de quibus plura memoriae tradita erant, protulisse.

Ceterorum denique librorum ne conatus quidem est Nepos argumenta distinguere, sed breuiter reliqua bella pari modo i. e. capitulatim Catonem persecutum esse dicit usque ad praeturam Seruii Galbae, qui diripuit Lusitanos, nec nos plura adfirmare possumus in tanta fragmentorum horum librorum paucitate, quae ad certam aliquam rem spectent. quae enim uerba ex sexto libro seruata sunt, perpauca et ita conparata sunt, ut quo referenda sint cerni non queat, quae ex septimo (108. 106. 107. 109) cum rerum gestarum memoria coniungi possunt, ad solam pertinent Seruii Galbae causam. atqui haec dicta est eodem quo Cato mortuus est anno, diripuit uero Seruius Galba Lusitanos proximo superiore anno, cum pro praetore esset in Hispania. ergo etiam hic Nepos caput rei indicare quam religiose omnia ad puluisculum exhaurire maluit. causa enim, qua finem inposuerat Cato scribendo, ita conexa est cum Galbae praetura, ut usque ad hanc eum peruenisse si minus adcurate at non falso dixisse Nepotem existimandum sit. Ceterum Iordan (p. LVII) Ciceronis (fr. 106), Frontonis (107), Quintiliani (adn. fr. 106) testimoniis nisus etiam de absoluto Galba Catonem in oratione uerba fecisse quasi pro certo adfirmauit. atque Quintilianus quidem Seruium Galbam miseratione sola elapsum esse cum aliorum monumentis tum Catonis oratione testatum esse dicit, ita tamen ut sua exscriberet ex Cicerone, qui nusquam orationis, quam post absolutum Galbam Cato habuerit mentionem iniecit, qua de causa u. oratio apud Quintilianum significare non uidetur uerba quae apud iudices uel apud populum fecerit Cato sed simpliciter uerba quae etiam in narrationis tenore facere potuerit. ceteris uero testimoniis, quibus utitur Iordan, hoc unum probatur, Catonem illud commemorasse, eumque, cum orationem contra Galbam dictam in origines inseruisset, ibidem etiam qui

exitus rei fuisset, et eum non causa sua sed miseratione sola aufugisse addidisse non est cur demonstremus.

Praeterea Cato eodem libro septimo etiam de mulierum cultus iactatione (fr. 113) scripsit et de calceis mulleis aluta uinctis eorum, qui magistratum curulem cepissent (fr. 111), sed num pluribus de Romanorum moribus in narrationis tenore egerit, an, quoniam acriter contra luxuriam ingrauescentem in contionibus eum contendisse constat, haec ex orationibus, quas originibus inseruerat, deprompta sint, non liquent. itaque quae de conuiuarum antiquis illis carminibus in originibus Cato memoriae mandarat, incertae sedis fragmentis quam cum Iordano septimo libro adsignare cautius duxi.

In ratione autem res exponendi Fabio quidem, Cincio, Albino, Acilio Graecorum scriptorum perfecta exempla proposita erant, at Cato, cum patrio sermone res Romanas describeret, tenuia historiae Romanae primordia habuit quae imitaretur, annales pontificum. sed quo erat ingenii acumine et iudicio, si eandem uiam ingressus esset, propter librorum siccitatem et ieiunitatem, qui legerent resque Romanas memoriae mandarent, sibi defuturos esse perspiciebat. quam ob rem illam deserendam ratus ipse in libro quarto, quo liberae rei publicae res enarrare coepit, non lubere professus est scribere, quod in tabula apud pontificem maximum esset, quotiens annona cara, quotiens lunae aut solis lumini caligo aut quid obstitisset (fr. 77), sed, quod ex Nepotis testimonio nouimus, 'capitulatim' res persecutus est. cuius uocis quae sit sententia, quamquam unum aliud exemplum ex Plinio (n. h. II 55 *breuissime atque capitulatim perstringam*) prolatum est, tamen satis adparet ex usu substantiui, de quo aduerbium illud deriuatum est. scripsit igitur Cato res per capita, ita ut leuioribus omissis (uelut lunae solisue defectionibus, annonae caritate, aliis) summas et primarias exponeret, has uero plene et copiose (cf. fr. 62. Seru. ad Aen. VII 678). neque enim eum breuiter eas perstrinxisse, aut per capita tantum decucurrisse ex relliquiis, quae saepe prolixam prae se ferunt narrationem, satis discimus (uid. fr. 54. 86. 87).[1]

---

[1]) Quae supra disputauimus nullius essent pretii, si Bormann recte de Cornelii uerbis iudicasset. is enim ea sic scripsit (p. 34): *In quarto autem bellum Poenicum primum, in quinto secundum (atque haec omnia ca-*

Sed posteaquam ad res a se gestas peruenit, non solum ipsas res enarrauit sed etiam orationes a se habitas addidit. id quod de orationibus pro Rhodiensibus (fr. 95) et contra Seruium Galbam (107—110) dictis satis constat, de aliis iure conici potest, atque nescio an ad origines pertineant quae Catonem, ut se animo senem non esse doceat, Cicero de senect. 11, 38 dicentem facit, omnia se antiquitatis monumenta conligere, causarum inlustrium, quascunque defendisset, nunc cum maxime conficere orationes. antecedunt enim quae supra iam conmemoraui uerba: *septimus mihi originum liber est in manibus.* quam ob rem eodem iure quo illarum duarum orationum fragmenta etiam ceterarum erunt, quae originibus tribuenda sint, Catonisque orationum fragmenta adnexuissem, nisi adcurate conlecta et disposita iam exstarent apud Meyerum et Iordanum.

Atque haec quidem dicta sunto de quattuor posterioribus libris, nam et in quarti libri relliquiis uerba illa Catonis, quibus se pontificum historiam respuere dicit, inueniuntur, et Nepos bella Punica, ad quae quarto libro peruenerat, reliquaque usque ad praeturam Seruii Galbae capitulatim descripta esse iudicat. ut autem alia ratione priores tres libros conponeret Cato, praesertim si nostrae de originibus sententiae, qua duos diuersos libros sub uno originum titulo minus apte conprehensos esse supra p. CXXXVI coniecimus, adstipulatus eris, facile fieri potuisse concedes. qualis tamen haec fuerit nos ignorare iam supra professi sumus.

Itaque hac quaestione omissa redeamus ad alteram originum partem, quae quattuor posteriores libros conplectebatur. in his igitur, ut ait Nepos, duces non nominauit Cato sed sine nominibus res notauit. atque Nipperdey quidem sola

---

pitulatim sunt dicta) reliquaque bella pari modo persecutus est, usque ad praeturam Seruii Galbae, qui diripuit Lusitanos atque Cornelium capitulatim de quinque librorum priorum summario dixisse censet. offendit in ea re, quod ter in his uerbis mutatum est subiectum, sed haec causa offensionis apud Cornelium nulla esse debebat, neque in ea quam eruit scriptura uerba *pari modo* habent quo referantur. nam quod Bormann eis significare Nepotem uult *etiam reliqua bella pari modo atque bella Punica i. e. nouo atque inusitato more perscripta esse*, Sphingum more eum locutum esse opinatur. etiam uocabulum *est*, quod eiecit Bormann, in plerisque Rothi codicibus exstat.

quae post Punica gesta essent bella Nepotem hoc loco in animo habuisse existimauit, Punicorum bellorum duces a Catone nominatos esse. Sed primum Plinius l. s. s. cum inperatorum nomina Catonem annalibus detraxisse scriberet, nullam annalium partem exclusit, deinde fr. 83 quo Q. Caedicii tribuni militum uirtus, quae enituit bello Punico primo, copiose describit Cato, nec imperatoris Poeni nec consulis Romani nec ipsius tribuni nomina adiecta sunt, fragmentisque 86 et 87, quae spectant ad bellum Hannibalicum, simpliciter de dictatore Carthaginiensi magistroque equitum loquitur. quam ob rem Nipperdeyi opinione reiecta de omnibus bellis, quae ante conmemorauit, Nepotem hoc loco agere censebimus. sed etiam causam silentii illius expedire conatus est ille uir doctissimus. unius cuiusque enim anni rebus gestis magistratuum nomina praeposita esse prouinciarumque, quas consules praetoresque sortiti essent. sic in ipsis rebus enarrandis non opus fuisse nominibus sed suffecisse consules praetoresue dictos. quam Nipperdeyi coniecturam quod ita inpugnauit Iordan (p. LIII), ut per annorum ordinem decurrisse origines negaret, coniecturae coniecturam opposuit (cf. Cicer. de orat. II 12, 51), neque enim quod posuit Iordan, mihi relliquiis confirmari uidetur. Attamen etiam aliae causae, cur bellorum duces non nominauerit Cato, excogitari possunt, uelu propter inuidiam aut malignitatem, ne inimicorum uirtutes suist scriptis decorarentur, uel propter timorem, ne superbia et adrogantia quarundam gentium aleretur, uel quod parum ciuile duxerit Romanorum ducum nomina adferre, non acquiescere eorum ordine militari designato. [1])

Vtut hoc est, in suis quidem rebus laudandis effusum Catonem fuisse neque oppertum esse, ut alii de se praedicarent, conpluribus testimoniis constat. [2]) cui laudationi quamquam eum

---

[1]) Haec est sententia O. Ribbecki p. 27.

[2]) Liu. XXXIIII 15, 9 (fr. 92) *Cato ipse, haud sane detrectator laudum suarum.* Appul. de mag. c. 17 (p. 38 Iord.) *M. autem Cato nihil oppertus ut alii de se praedicarent, in oratione sua scriptum reliquit, cum in Hispaniam consul proficisceretur, tris seruos solos ex urbe duxisse* et q. s. Plut. Cat. 14: Ὁ δὲ Κάτων ἀεὶ μέν τις ἦν, ὡς ἔοικε τῶν ἰδίων ἐγκωμίων ἀφειδὴς καὶ τὴν ἄντικρυς μεγαλαυχίαν ὡς ἐπακολούθημα τῆς μεγαλουργίας οὐκ ἔφευγε, πλεῖστον δὲ ταῖς πράξεσι ταύταις (ad Thermopylas) ὄγκον περιτέθεικε καί φησι κ. τ. λ. fr. 131.

in solis orationibus indulsisse possis suspicari, quarum parte quadam id spectabat, ut res a se gestas ab aliorum inuidia et criminatione defenderet[1]), tamen etiam origines, cum et totae orationes in eas translatae essent et plurimae in narrationis tenore oblatae laudandi essent opportunitates, ab ea uacuas non fuisse ueri est simillimum. Eo magis honori ei est tribuendum, quod hostium uirtutes non uidetur ceterorum Romanorum more inminuisse, certe Plutarchus (Cat. 8. Iordan p. 99) eum dicentem facit: *οὐδένα δὲ τῶν εὐδαιμονιζομένων βασιλέων ἄξιον εἶναι παραβάλλειν πρὸς Ἐπαμεινώνδαν ἢ Περικλέα ἢ Θεμιστοκλέα ἢ Μάνιον Κούριον ἢ Ἀμίλκαν τὸν ἐπικληθέντα Βάρκαν.*

Denique extrema Nepotis de originibus uerba haec sunt: 'In iisdem exposuit, quae in Italia Hispaniaque aut fierent aut uiderentur admiranda. in quibus multa industria et diligentia conparet, nulla doctrina.' ubi multae industriae et diligentiae laudem eum tribuere non solum posteriori originum parti sed omnibus libris luce clarius est. qua re, quoniam de eisdem libris in utroque enuntiato loquitur Nepos, refutatur Bormanni sententia, qui (p. 42) in quarto eisque qui secuntur libris admiranda exposita esse censet, et dilabuntur eiusdem dubitationes de scriptura *in Italia,* quae iniuria ei suspecta uisa est. Admiranda uero quae dixerit Cato conparatis paradoxographorum Graecorum libellis facile perspicitur. *παράδοξα* enim idem ualere dixit Cicero (de fin. IIII 27, 74. parad. praef. 4), quod admiranda uel admirabilia, quam uocem posuit pro *admirandis* in logistorici Varroniani inscriptione Philargyrius (ad Verg. Georg. III 113. Ritschl *de Varr. logist.* p. V). neque displicuisse hoc ingeniis ex Varronis logistorico, qui est ad Gallium Fundanium de admirandis scriptus (Ritschl l. s. s. p. V. VIII), discimus. conplexi autem sunt illi scriptores libris suis res maxime uarias omniaque litteris consignarunt, quae in maribus, fluuiis, fontibus, lacubus, lapidibus, animalibus conspecta admirationem mouerent (Westermann paradoxogr. praef. p. VIIII sq. XII), similiaque persecutus est Varro in eo quem modo conmemorauimus logistorico (uid. Krahner *de Varr. antiq.* p. 15.

[1]) Vid. in primis quam contra Thermum habuit orationem de uirtutibus suis (p. 43 Iord.) et inlustre fragmentum orationis, qua de sumptu suo egit (p. 37 Iord.).

Ritschl p. VIII): quae cum ita sint, has fere relliquias in admirandorum numero ponemus: 33 et 39 (de magnitudine Gallicarum succidiarum), 43 (de uitium agri Picentini fecunditate), 52 (de caprarum quarundam uelocitate, cf. aliud de capris admirandum apud Varron. de re r. II 3), 57 (de campi Tiburtis fertilitate), 78 (de Poenorum mapalibus), 93 (de Hispanorum ferrariis, argenti fodinis, monte ex sale mero magno, uento cercio).

Quae uero a Nepote laudatur multa Catonis industria et diligentia, eandem ei tribuunt maxime Cicero (de orat. III 33, 135: *denique nihil in hac ciuitate temporibus illis sciri disciue potuit, quod ille non cum inuestigarit et scierit, tum etiam conscripserit*), deinde alio loco Nepos (Cat. 3 *Quarum* [litterarum] *studium etsi senior arripuerat, tamen tantum progressum fecit, ut non facile reperiri possit neque de Graecis neque de Italicis rebus quod ei fuerit incognitum*), Dionysius (fr. 6 *Πόρκιος Κάτων, ὁ τὰς γενεαλογίας τῶν ἐν Ἰταλίᾳ πόλεων ἐπιμελέστατα συναγαγών* et fr. 17 *ἐπιμελὴς περὶ τὴν συναγωγὴν τῆς ἀρχαιολογουμένης ἱστορίας*), Velleius (fr. 69 *ego pace diligentiae Catonis dixerim*), Gellius (II 28, 5 *M. Cato, uir in cognoscendis rebus multi studii*), Solinus (2, 2 p. 33 M. *Sed Italia tanta cura ab omnibus dicta, praecipue M. Catone, ut iam inueniri non sit, quod non ueterum auctorum praeceperit diligentia*), Seruius (ad Aen. VII 678 *De Italicis etiam urbibus Hyginus plenissime scripsit et Cato in originibus.* et fr. 62 *pulsus fuerat a gente Volscorum, quae etiam ipsa Etruscorum potestate regebatur, quod Cato plenissime executus est*). neque nos conlatis fragmentis ei hanc laudem derogabimus, nam priore potissimum parte multa cum industria et adsiduitate in ciuitatum Italicarum origines uidetur inquisiuisse. contra doctrina (*gelehrte Reflexionen und Untersuchungen allgemeiner Natur*, ut uertit Nipperdey, cf. Doederlein Synonym. V p. 268) in originibus desideratur a Nepote.[1]) neque Catonem illum ut Polybium in uniuersum arte quadam et ratione usum esse per se credibile est, atque qui quem de re rustica librum Cato conposuit, perlustrauerit, simile de eo iudicium feret.

De genere scribendi Cicero, summus Catonis orationum

[1]) *nulla doctrina* est in libris mss. Rothi, *multa doctrina* in aliquot editionibus tantum se inuenisse testatur. quod propter Bormannum (p. 45) moneo, qui editionum scripturam secutus est.

admirator, nihil eius lineamentis nisi eorum pigmentorum quae inuenta nondum essent, florem et colorem defuisse scripsit in Brut. 87, 298 et de orat. III 33, 135, sed longe honorificentissimum iudicium protulit in ea Bruti parte, qua summis cum laudibus ueteres oratores Romanos recenset (17, 66). ibi enim *Iam uero* inquit *origines eius quem florem aut quod lumen eloquentiae non habent?* quam tamen laudem ipse paulo post Atticum inminuentem facit, qui uix se risum tenuisse dicit, cum Cicero Catonem cum Philisto et Thucydide conpararet; nam ne suspicatum quidem hominem Tusculanum esse, quale esset copiose et ornate dicere. similiter Atticus alio loco (de leg. I 2, 8) ut Ciceronem ad historiam scribendam conuertat, Fabium, Catonem, Pisonem, Fannium, Vennonium omnes exiles esse adseuerat, Antoniusque, qui item inique de historia Romana existimat, apud eundem Ciceronem (de orat. II 12, 53) Catonem et Pictorem et Pisonem neque tenuisse, quibus rebus ornaretur oratio et dum intellegeretur quid dicerent, unam dicendi laudem putauisse esse breuitatem. quocum iudicio consentit Sallustius. Cato enim, inquit (histor. fr. I 2 p. 5 Kr.), *Romani generis disertissimus, paucis absoluit.* Atque si ipsas relliquias peruoluimus, nobis eadem breuitas occurrit, iuncta cum magna et uerborum grauitate et sententiarum (cf. Quintil. inst. II 5, 21), neque deest sententiis concisis atque breuibus, quibus fluit oratio, quaedam ad numerum conclusio. uenustatem uero aut munditiam uerborum, quam laudat Gellius (I 23, 1), nusquam in eo inuenimus. at quod idem alio loco — fluctuat enim eius iudicium — de oratione pro Rhodiensibus habita (VI 3, 53) iudicauit, omnia distinctius numerosiusque fortasse dici potuisse, fortius atque uiuidius non uideri potuisse dici, id animi mei sententia laudo atque conprobo, atque nescio an id non solum in alias orationes sed etiam in quasdam originum partes cadere uideatur. natura enim inerat in eo eximia dicendi uis[1], Graecorum autem artificia rhetorica spernebat, et, quoniam quotquot rerum scriptores Romani breuitatis studiosi erant, Thucydidis imitatores diceban-

[1]) Noli enim talia artem rhetoricam sapere opinari *quod eorum nemo quisquam quicquam mihi ignoturus est* (fr. 98), *itaque ego cognobiliorem cognitionem esse arbitror* (fr. 105), uid. etiam fr. 79. similia habes iam apud Ennium. uid. Bernhardy hist. litt. Rom. p. 410.

tur, num recte Plutarchus (Cat. 21) iam Catonem quaedam a Thucydide didicisse adfirmauerit, iure dubitare mihi uideor. Vt uero in aliis rebus, ita eum etiam in uerbis eligendis antiqua et prisca, quae iligneae nuces appellatae sunt a Frontone (de orat. p. 55 ex O. Iahni emendatione), sectatum esse non erit cur pluribus demonstremus, uixque opus erit Ciceronis testimonium adferre, qui ipse orat. 45, 152 horridulas eius orationes fuisse concedit. denique, ut alia mittam, superest Frontonis iudicium, qui (ad Ver. I, 1 p. 114) 'uerbis multiiugis' Catonem historiam scripsisse dicit. ubi cum opponat Coelium uerbis 'singulis' scribentem, Catonem eandem rem conpluribus uerbis expressisse Frontoni uideri cognoscimus taliaque intellexisse: *Scio solere plerisque hominibus rebus secundis atque prolixis atque prosperis animum excellere atque superbiam atque ferociam augescere atque crescere* (fr. 95[a]), quae imitatus est Marcus Antonius (epist. II 13 p. 36). hoc tamen exemplum, cuius similia ex orationibus conplura enotari possunt, est ex oratione Rhodiensi, et, quoniam Frontonis iudicium pugnat cum Cicerone et Sallustio, grauioribus testibus, falso Frontonem de historiis, in quibus minus studii posuerat, dixisse existimauerim quod in solas orationes quadraret.[1])

Iam uero quaerentibus nobis quibus auctoribus usus res Romanas Cato pertexuerit, in primis occurrit Fabius Pictor, quem ab eo transscriptum esse, cum Romuli et Remi res enarraret, diserte tradidit Dionysius (fr. 15), atque etiam alio loco Catonem cum eo consentire adnotauimus ad fr. 15. neque habemus quae hic contra Dionysii fidem proferamus. sed num primo libro etiam ex aliis fontibus hauserit an ea fama, quam apud Fabium inuenerat, cum congrueret cum ea quam a puero audiuerat (cf. p. LXXXI sq.), in plerisque rebus[2]) contentus fuerit, in tanta te-

---

[1]) Gellius quidem ubi de hoc ornatus genere *(in crimine uno uocibus multis atque saeuis extruendo)* agit (XIII 25, 12 sqq.), in orationibus tantum modo id frequentatum esse adserit. Item maxime ad orationes spectare uidetur Plutarchi iudicium (Cat. 7): *Εὔχαρις ἅμα καὶ δεινὸς ἦν, ἡδὺς καὶ καταπληκτικὸς, φιλοσκώμμων καὶ αὐστηρὸς, ἀποφθεγματικὸς καὶ ἀγωνιστικός.*

[2]) In tribuum quidem Seruianarum numero, quem adscripserat Fabius, eius auctoritas ei non satis grauis fuisse uidetur fr. 23. etiam in anno urbis conditae ab eo dissentiebat.

stimoniorum inopia discerni nequit. Quamquam cum Aborigines Achaeos (fr. 6) et Romulum Graecae linguae peritum fuisse scriberet multarumque ciuitatum origines a Graecis repeteret, fuerunt qui post Schlegelium (annal. Heidelberg. 1816 n. 83 p. 836)[1] Catonem secundum Graecos auctores multas fabulas in memoriam patriam intulisse arbitrarentur. at principio quo flagrabat Cato Graecorum odio, Graecos libros in populi Romani rebus eum in usum uocasse uix credideris, deinde ut Romani, ita etiam aliae Italicae ciuitates ipsae primordia sua cum Graecorum fabulis coniungere solebant (fr. 50). denique Fabius (fr. 6) quidem et Cincius (fr. 4) urbis natalem ex Graecorum more indicauerant, Cato spreuerat rationem Graecam (fr. 17 *Κάτων δὲ Πόρκιος Ἑλληνικὸν μὲν οὐχ ὁρίζει χρόνον*): cur igitur ad hanc opinionem confugiemus, cum ipsarum ciuitatum memoriam consulere potuerit Cato atque consuluisse uideatur (uid. supra p. CXXXXI et Schwegler I p. 83). Deinde uero quo propius ad suam aetatem descendebat, largiores ei suppetebant copiae. hic uero non solum pontificum tabulas inspexit (fr. 77) sed etiam alios fontes aperuit, ut, si Ciceronis uerbis fides habetur, sepulcra lectitabat (de senect. 7, 21), et quoniam apud eundem Ciceronem (de sen. 11, 38) se ius augurium et pontificium tractare dicit, etiam libros Romanos sacros ei haud ignotos fuisse sequitur. plurima uero debebat suae memoriae, cui, quia Pythagoreorum more constanter eam exercebat (Cic. de sen. 11, 38), iure nostro confideremus, ni ipse rebus suis ultra modum amplificatis fidem inminuisset. qua re Sallustius, ut summis laudibus eius breuitatem extulit, ueritatem minus probasse uidetur, ut placet Kritzio (Sallust. fr. p. 6. 381 sq.). contra a ceteris scriptoribus, ut a Cicerone (fr. 118), grauissima eius auctoritas habetur, atque in primis tres priores originum libri propter summam quam in eis posuit Cato industriam et diligentiam, magna famae celebritate floruerunt. hinc Dionysius eum *περὶ τὰς γενεαλογίας τῶν ἐν Ἰταλίᾳ πόλεων* (fr. 6) et *περὶ τὴν συναγωγὴν τῆς ἀρχαιολογουμένης ἱστορίας* diligentissimum fuisse praedicat alioque loco (fr. 23) maiorem ei tribuit fidem quam Fabio Pictori et Vennonio. summis uero laudibus eum propter hosce potissimum libros decorant Fronto et Solinus. ille enim (princ. hist. p. 205 N.)

[1]) Nomina habes apud Schweglerum I p. 82 n. 9.

oppidatim Catonem statuis ornandum esse exclamat, qui primam Latini nominis subolem et Italicarum originum pueritias inlustrauerit, hic (2, 2 p. 33 M.), quod ipse paucis Italiae naturam exponat, ita excusat, quod 'Italia tanta cura ab omnibus dicta sit, praecipue M. Catone, ut iam inueniri non possit, quod non ueterum auctorum praeceperit diligentia'. Neque nos Catoni hanc laudem detrahemus, eum primum ceterarum ciuitatum Italicarum, ut opera ciuili eas tuebatur patrociniumque earum susceperat, in Romanorum notitiam pertulisse et, quantum tum opus esse uidebatur, ipsos fontes adiisse. quamquam haud raro eum uana pro ueris uendidisse cum aliis rebus demonstratur, tum, ut exempla adferam, hisce, quod in Sauracti et Fiscello capras feras e saxo pedes plus sexagenos saliisse narrauit (fr. 52) et in Hispania citeriore montem ex sale mero magnum esse (fr. 91). admirandorum enim studio pellectus hic in errores incidit.

Nihilo minus huius ipsius industriae et religionis fama magnam eius originibus auctoritatem conciliasse uidetur, atque quem ad modum dicta Catoniana oraculorum uim obtinebant, ita etiam qui ab eo conputatus erat annus urbis natalis, omnium consensu probatus est, ut usque ad Varronem omnes eum sequerentur atque etiam tum non deessent qui Catonianum Varroniano praeferrent. At eis qui post hunc res Romanas scribebant, minus commodum eius consilium fuisse, neque quisquam in historia eius uestigia legisse uidetur. nimirum hic erat rerum Romanarum scriptoribus mos, ut unum aliquem ex eis qui antea scripserant electum fere totum plerumque etiam uerbis seruatis in librum suum transferrent et ad suam aetatem continuarent. cui mori minime conueniebant origines. neque enim nominati erant bellorum duces, qui multo cum labore ex aliis annalibus conquirendi erant. nimis aucta erant Catonis in rem publicam merita, quae ad modum quendam reuocanda erant, maiorque ratio habita ceterarum ciuitatum Italicarum. denique capitulatim res dictae erant, ut aliunde tenor et aequalitas narrationis supplenda esset. itaque magni quidem semper ducebatur Catonis auctoritas sed ut prae ceteris exemplum et fons primarius esset, nimis molestum uisum est.

Sic factum est, ut, quamquam lectitabantur origines atque huc illuc quaedam frustula ex eis decerpebantur, qui postea annales condidere, ad Fabii annales redire et hos pro fundamento

habere mallent. neque enim ab his omnino neglectas esse origines ex fragmentis quibusdam Cassii Heminae et Coelii Antipatri discimus. nam quae de campi Tiburtis fertilitate exposuerat Cato (fr. 57), partim ad uerbum in tertium annalium librum transscripsit Cassius (*in campo Tiburti, ubi hordeum demessuit* Cato. *in campo Tiburte, ubi hordeum demessuerunt* Cass. fr. 29)[1]), et quod consilium magister equitum post uictoriam Cannensem Hannibali dedit, ut se cum equitatu contra Romam mitteret, Coelium in annalium libro altero secundum Catonem (fr. 86) narrasse indicauit Gellius (X 24, 6, ex eo Macrob. sat. I 4 extr. *Mitte mecum Romam equitatum. diequinti in Capitolio tibi cena cocta erit* Cato. *Si uis mihi equitatum dare et ipse cum cetero exercitu me sequi, diequinti Romae in Capitolium curabo tibi cena sit cocta* Coelius). num Sisenna, quem de agro qui datus sit Troianis a Latino, cum Catone et Liuio consentire adfirmat Seruius (ad Aen. XI 316), ipsum Catonem (fr. 8) secutus sit, incerta res est.

Etiam C. Sallustius Crispus magis propter genus scribendi quam propter res scriptas Catonem amauit multumque uolutauit. secutum quidem eum esse scribit Seruius (fr. 5) Catonianam de Aboriginibus famam, sed in uniuersum minus ei ueritatem placuisse Kritz (uid. supra p. CL) ex fragmentis quibusdam historiarum elicuit. denique, cum Sallustius de aliis temporibus ageret atque Cato, ne erant quidem multa quae ex eo sumeret. at genus scribendi ita admirabatur, ut non solum uerba quaedam ex originibus excerperet, ut ait Augustus (Suet. Octau. 86), sed etiam totas sententias (uid. adnot. ad 95^{b}. 108) imitaretur.[2]) quam ob rem iam sua aetate a Lenaeo Pompei liberto exagitatus est, qui eum priscorum Catonis uerborum ineruditissimum furem appellauit (Suet. de ill. gram. 15 p. 112 Rf.). etiam Asinius Pollio eius scripta reprehendit 'ut nimia priscorum uerbo-

[1]) Fateor tamen haec Cassii uerba suspicionem habere atque uel Prisciani, qui haec Catonis et Cassii fragmenta utroque loco, quo propter perfecti formam *demessui* exempla adtulit, continua posuit, uel eius, ex quo Priscianus sua sumpsit errore, Catonis uerbis, cum falso bis posita essent, genuina Cassii mihi expulsa esse uideri, ut ex eis nihil nisi u. *demessuerunt* relinqueretur.

[2]) Cf. etiam Fronton. ep. ad M. Caes. IIII 3 p. 62, qui eum frequentem M. Porcii sectatorem dicit.

rum affectatione oblita' (Suet. l. s. 10 p. 108), atque Quintilianus hoc epigramma incerti scriptoris institutionibus suis (VIII 3, 29) inseruit:

Et uerba antiqui multum furate Catonis
Crispe, Iugurthinae conditor historiae.

Quae modo de Sallustio disputauimus, eadem quodam modo cadunt in Ciceronem. nam etiam hic cum Catonem legeret, magis genus scribendi spectabat. sed maxime in orationibus lectitandis esse uersatus uidetur, ex originibus quattuor seruauit fragmenta (2. 83 adn. 106. 118) eaque praeter unum binis ternisue locis proposuit. quam originum notitiam exprimit in libro de senectute scripto, fortasse debebat dictorum Catonianorum conlectioni, de qua cf. Iordan. prol. p. CLI. Multo maiori usui Varronis antiquitatis studio res a Catone in originibus expositae esse poterant. neque neglexit eas atque etiam in libris quos de re rustica conposuit, duobus locis earum uerba quaedam laudauit (fr. 43. 50. — fr. 39 de coniectura originibus adsignatum est. cf. etiam adnot. ad fr. 18. 118). Quartus denique hisce adiungatur Cornelius Nepos, a quo, cum peculiarem librum de Catonis uita et moribus fecerit rogatu Pomponii Attici, multum Catonis scripta lectitata esse sua sponte adparet. In uniuersum tamen illa aetate Catoni amatores defuisse questus est Cicero in Bruto 17, 66, ubi eum consolatur simili Philisti atque ipsius Thucydidis contemptu.

Insequenti aetate origines citauerunt Liuius et Dionysius, ille tamen in quarta demum decade. inueniuntur quidem etiam in prioribus libris loci, quibus Liuius eadem tradiderit quae Cato (cf. adnot. ad 4. 5. 20. 42. 86), neque tamen ita sunt conparati, ut necessario Liuium sua ex Catone hausisse existimandum sit. immo uno loco certo demonstrari potest, Coelium, qui Catonem descripsit, Liuio fontem fuisse, non ipsum Catonem. apud Catonem enim (fr. 86) post pugnam Cannensem id unum magister equitum Carthaginiensis a dictatore petit, ut se cum equitatu Romam mittat; Coelius autem (fr. 25) etiam hoc eum addentem fecit, ut ipse Hannibal sequeretur, idemque legimus apud Liuium (XXII 51, 2). tum uero in libro XXXXV c. 25 se hanc ob causam Catonis orationem, quam pro Rhodiensibus habuerit, inserere nolle dicit, quod ipsius oratio exstet originum quinto libro inclusa, eademque fere de oratione pro Lusitanis

dicta repetiisse uidetur (perioch. 49 adn. 106). deinde quae exstarent orationes conmemorauit (*de pecunia regis Antiochi* XXXVIII 54, *in L. Quinctium aliasque censorias* XXXVIIII 42, *pro lege Voconia* perioch. 41). denique libro non addito de numero hominum, qui in pugna nocturna a Catone consule ad Emporias caesi sint, Valerio Antiati opponit ipsius Catonis testimonium XXXIIII 15, 9 (fr. 92). quaeritur utros libros inspexisse uideatur, orationesne an origines. iam uero quae Liuius de rebus a Catone consule in Hispania gestis exposuit XXXIIII 8—21, maximam partem ex ipso Catone fluxisse iam ab aliis animaduersum est, Iordanusque conparatis relliquiis quibusdam Catonis Liuiique uerbis ita rem absoluit, ut uix quisquam dubitare possit, praesertim cum tota Liuii narratio iactationem Catonianam redoleat. ita enim ille: 'eo maiorem habebat difficultatem in subigendis hostibus, quam qui primi uenerant in Hispaniam, quod ad illos taedio imperii Carthaginiensium Hispani deficiebant, huic ex usurpata libertate in seruitutem uelut adserendi erant' (c. 18, 1). tum in pugna Emporitana nusquam uirtutis militum mentio fit, Catonis consilio, uirtute, industria uictoria paratur. non solum maxima minima per se adibat atque agebat nec cogitabat modo imperabatque quae in rem essent, sed quae erat in eo uis animi et ingenii, ipse pleraque per se transigebat nec in quemquam omnium grauius seueriusque quam in semet ipsum imperium exercebat, parsimonia et uigiliis et labore cum ultimis militum certabat nec quicquam in exercitu suo praecipui praeter honorem atque imperium habebat (c. 18, 3—5). nonne censes te ipsum Catonem audire loquentem? sed, ut magis perspicua res sit, adscribam uerba Liuiana, ad quae fragmenta illa pertinere uideantur, ipsaque fragmenta ex Iordani editione adnectam. Liuius igitur (c. 8, 4) ita initium facit: *M. Porcius consul, postquam abrogata lex Oppia est, extemplo uiginti quinque nauibus longis, quarum quinque sociorum erant, ad Lunae portum profectus est eodem exercitu conuenire iusso et edicto per oram maritimam misso, nauibus omnis generis contractis,* (= *Laudant me maximis laudibus, tantum nauium, tantum exercitum, tantum commeatum non opinatum esse quemquam hominem comparare potuisse, id tamen maturrime me comparauisse.* Cat. p. 33 fr. 6.) *ab Luna proficiscens edixit, ut ad portum Pyrenaei sequerentur* (= *Ita nos fert uentus ad primorem Pyrenaeum,*

quo proicit in altum Cat. fr. 9), *inde se frequenti classe ad hostis iturum. praeteruecti Ligustinos montes sinumque Gallicum* (= *Deinde postquam Massiliam praeterimus, inde omnem classem uentus auster lenis fert, mare uelis florere uideres. ultra angulum Gallicum ad Illiberim adque Ruscinonem deferimur. inde nocte altera profecti sumus* Cato fr. 8) *ad diem quam edixerat conuenerunt, inde Rhodam uentum et praesidium Hispanorum, quod in castello erat, ui deiectum. ab Rhoda secundo uento Emporias peruentum. ibi copiae omnes praeter socios nauales in terram expositae.* Deinde cum describat Liuius c. 9, 1—10 Emporiarum situm qualis sua aetate fuerit, Catonem seposuisse uidetur, sed rediit § 11, ubi Catonis res exponere pergit bellumque eum Hispanis indicentem facit. tum c. 10 M. Heluii et Q. Minucii triumphos interponit, quos quominus secundum Catonem narratos esse existimemus, conpluribus discrepantiis cum eis quae apud ipsum Liuium secuntur, inpedimur (uid. Weissenborn ad Liu. c. 11 et Nissen *Untersuch.* p. 155). tum uero paucis rebus, quae ex Valerio Antiate inseruit (c. 15, 9), exceptis usque ad c. 21 ab eo non discessisse uidetur, habemusque etiam quae cum hac narrationis Liuianae parte concinant fragmenta. cf. Liu. 11, 2: *Eo* (Emporias) *legati tres ab Ilergetum regulo Bilistage, in quibus unus filius eius erat, uenerunt querentes castella sua oppugnari nec spem ullam esse resistendi, nisi praesidium Romanus misisset.* Cato p. 35 fr. 14 *Eas res non posse sustineri, nisi eo praesidia magna frumentumque mitterentur. nam ita dicunt palam necessum esse obcursatum .....* Liu. 9, 11: *Paucos ibi* (Emporiis) *moratus dies Cato, dum exploraret, ubi et quantae hostium copiae essent, ut ne mora quidem segnis esset, omne id tempus exercendis militibus consumpsit.* 13, 2: *Ipse cum iam id tempus anni adpeteret, quo geri res possent, castra hiberna III passuum ab Emporiis posuit. inde per occasiones, nunc hac parte nunc illa modico praesidio castris relicto praedatum milites in hostium agros ducebat. nocte ferme proficiscebantur, ut et quam longissime a castris procederent et inopinantis opprimerent. et exercebat ea res nouos milites, et hostium magna uis excipiebatur, nec iam egredi extra munimenta castellorum audebant. ubi admodum et suorum et hostium animos est expertus, conuocari tribunos praefectosque et equites omnis et centuriones iussit.* Cato orig. fr. 128 (Iordan p. 35, 13). — Liu.

14, 1: *Nocte media, cum auspicio operam dedisset, profectus ut locum quem uellet, priusquam hostes sentirent, caperet, praeter castra hostium circumducit et prima luce acie instructa sub ipsum uallum tres cohortes mittit. mirantes barbari ab tergo apparuisse Romanum discurrere ipsi ad arma.* Cato fr. 15: *Postquam auspicaui atque exercitum adduxi pone uersus castra hostium.* — Liu. 14, 7: *Quod ubi consul uidit, duas cohortes delectas ab dextro latere hostium circumduci iubet et ab tergo se ostendere.* Cat. fr. 16: *Nostros pone uersus hosteis esse ab dextra parte.* — Liu. 19, 1: *Difficilius bellum in Turdetania praetori P. Manlio Celtiberi mercede exciti ab hostibus, sicut ante dictum est, faciebant. itaque eo consul accersitus litteris praetoris legiones duxit.* Cat. fr. 18: *Itaque porro in Turtam proficiscor seruatum illos.* 19: *Inde pergo porro ire in Turtam.*

Quoniam uero quae modo adscripsimus fragmenta excerpta sunt ex dierum dictarum de consulatu libris, facile inde Liuium non originibus sed hisce orationibus usum esse suspiceris. caue tamen hoc confidentius cum Nissenio (p. 38) adfirmes. uix enim mihi persuadere possum, Liuium, cum omnes res a Catone gestas conlectas et dispositas in originibus uideret, ipsum quae opus erant, ex orationibus laboriose conquirere maluisse, praesertim cum perpaucos libros, qui non essent annales, in scribendo ante oculos habuisse uideatur, origines autem nouerit atque ita eorum mentionem fecerit, ut magnam eis auctoritatem habitam cognoscamus. accedit quod consensus fragmentorum Catonis et Liuii non est talis, ut quin Liuium ipsis orationibus usum esse statuere cogamur. res concinunt, non uerba. atqui Catonem consulatum suum in originibus silentio non praeteriisse eademque narrasse quae in illis orationibus apertum est: quidni igitur hanc rerum expositionem Liuium secutum esse arbitremur?

Pergimus ad Dionysium Halicarnasensem. cui maxime adrisisse Catonis origines eam potissimum ob causam suspicatus est Kiessling de Dion. font. p. 18, quod hic primus Romanos non barbaros sed Graecis per Aborigines (fr. 6) cognatos esse contendere ausus esset, simile autem consilium Dionysium in archaeologia conponenda secutum esse constaret. etiam his argumentis multum usum esse Dionysium Catone confirmatur, quod I 7 fontes suos recensens principem ei dedit locum et, quotiescunque fere eius mentionem iniecit, magnam eius industriam

effert laudibus, denique quod eius fidem supra Fabium Pictorem et Vennonium ponit (fr. 23). tamen eis locis exceptis, quibus diserte ad Catonis auctoritatem reuocamur (fr. 6. 15. 17. 23. 50), Kiessling tria tantum modo eius uestigia (cf. adnot. ad fr. 8. 46) indagauit (p. 19), quorum tertium admodum dubium est, neque nos plus quattuor locos addere potuimus (uid. adnot. ad 4. 22. 31. 36), quibus certe nihil obstabat, quominus Dionysium Catoni se addixisse arbitraremur. uidetur igitur Dionysius hoc quidem noluisse, libros suos auctoritate Catonis multum tunc temporis celebrata carere, sed tamen, cum fontes primarios eligeret, praetulisse Catonis breuitati posteriorum scriptorum Antiatum et Quadrigariorum prolixitatem et Pisonum dubitationes ipsius ingenio magis consentaneas.

Praeter hosce illa aetate Ouidius, si Merkelio credis (fast. p. LXXXII sq.), multum uersatus est in lectione Catoniana (cuius tamen perexigua uestigia in fastis exstant cf. adnot. ad fr. 12. 24 et III 429 sqq. cum fr. 20), idemque suspicari possumus de Hygino, eius amico, quoniam idem fere consilium quod Cato tribus primis originum libris in eo libro, qui erat de urbibus Italicis, secutus esse uidetur atque etiam in fabulis uno loco Catonem citauit (adn. ad fr. 9). sed plurimum tum studii conferebat in Catonem Verrius Flaccus. is non solum, ut antiquitatem Romanam inlustraret, Catonem in usum uocauit sed etiam uerba eius singularia et recondita peculiari libro explicauit, qui inscribebatur *de obscuris Catonis* (Gell. XVII 6, 2). is etsi integer ad nos non peruenit, tamen magnam partem transiit in Festi librum (uid. C. O. Muelleri praef. p. XVI), in quo cum ex ceteris Catonis scriptis tum ex omnibus fere originum libris multas habemus relliquias ad uerbum transscriptas (fr. 22. 24. 63. 72. 78. 102. 111. 113. 117).

Ex eis scriptoribus qui restant etiam pauciores ad Catonem rerum quas exposuerat studio adducti sunt, plerique uerborum exoletorum aucupio. de illis priore loco agam. primus eorum tempore est Velleius, qui uno loco quam de Capuae origine Cato proposuerat sententiam refutat (fr. 69). sequitur Plinius, qui in libro tertio naturalis historiae (quo Italiae descriptio continetur) saepe numero ad Catonis auctoritatem prouocauit atque ad hunc quidem conscribendum — id quod ex rerum argumento sequitur — originum seu annalium, quos ipse appellauit, thesau-

ros conpilauit (fr. 37. 40. 41. 42. 44. 47. 49. 68). quae ceteris libris inserta sunt Catoniana, paene omnia aut etiam nunc inueniuntur in Catonis de re rustica libris[1]) aut aperte ad rem rusticam pertinent, ut exclusa ea esse pateat ab eo, qui librum illum in eam quam nunc habemus formam redegit. excepta sunt perpauca, atque ex hisce tria ex libris ad filium missis sumpta sunt, id quod aut ipsis Plinii uerbis significatum est (Plin. VII 171 = Iord. p. 78, 5; XXVIIII 13 = Iord. p. 77, 1) aut aliunde satis constat (Pl. XXVIII 260 = Diom. I p. 358 P. 362 K. Iord. p. 78, 3). restant ex magna frustulorum Catonianorum multitudine quattuor. ex his unum in libro octauo (11) se ex originibus habere enuntiato quod addidit *(cum imperatorum nomina annalibus detraxerit)* ipse Plinius ostendit (fr. 88), alterum in libro quarto decimo (52) inde ductum esse uerborum Varronianorum consensu (fr. 43) docetur. duo relicua ex quo libro deprompta sint, dubitari potest. sunt haec: XIIII 90 *Cato ideo propinquos feminis osculum dare* (scripsit), *ut scirent an temetum olerent. — Cn. Domitius iudex pronuntiauit mulierem uideri plus uini bibisse quam ualetudinis causa uiro insciente et dote multauit. diuque eius rei parcimonia fuit. L. Papirius imperator aduersus Samnites dimicaturus uotum fecit, si uicisset, Ioui pocillum uini. denique inter dona sextarios lactis datos inuenimus, nusquam uini* (Incert. Iord. 14). Alterum continuo sequitur (§ 91): *Idem Cato cum in Hispaniam nauigaret, unde cum triumpho rediit non aliud uinum bibit quam remiges.* Ex his uero prius ex Catonis de dote oratione esse Mercklin (*Citiermethode d. Gell.* p. 662 sq.) conparato Gellio X 23 scite elicuit, quae coniectura eo firmatur, quod Plinius XXXIIII 31 etiam sua aetate 'exstare Catonis in censura uociferationes' conmemorat, de dote autem Catonem in censura locutum esse ueri simile est (Meyer orat. fr. p. 76).[2]) alterum propter uerba quae adiecit Plinius *cum in Hispaniam nauigaret* ex oratione *cum in Hispaniam proficisceretur* fluxit, ut coniecit Iordan p. 91.

Denique sine dubio multa Catonis fragmenta in naturali historia latent, ut in libro quarto, cuius index Catonis nomen exhibet, quod in libro ipso nusquam inuenitur. sed hic index

---

[1]) Diligentissime ea indicata habes in indice Ianiano p. 4.

[2]) Itaque falso in originum fragmentis Roth (fr. 116) posuit.

nullum praebet adminiculum. in alio autem libro nobis contigit, ut indicis auxilio Catonis uerba quaedam expiscaremur, tametsi leuis sunt momenti. in libri enim octaui indice post Mucianum et Procilium, qui principes sunt, hi auctores ponuntur: Verrius Flaccus, L. Piso, Cornelius Valerianus, Cato Censorius, Fenestella, Trogus. atqui ex his Verrius Flaccus et L. Piso § 17 nominatim adferuntur, Fenestella § 19. ergo § 18 nos Cornelii Valeriani et Catonis[1]) uerba habere sequitur. fines autem facile terminantur. loquitur enim Plinius illo loco de elephantis, qui uictoria L. Metelli pontificis in Sicilia de Poenis capti sint. hos tradiderat Verrius, cum in circo pugnassent, interfectos esse, L. Piso 'inductos in circum atque, ut contemptus eorum increscerct, ab operariis hastas praepilatas habentibus per circum totum actos.' deinde sic pergitur: *Nec quid deinde iis factum sit auctores explicant qui non putant interfectos.* 18. *Clara est unius e Romanis dimicatio aduersus elephantum, cum Hannibal captiuos nostros dimicare inter sese coegisset. namque unum qui supererat obiecit elephanto, et ille dimitti pactus, si interemisset, solus in harena congressus magno Poenorum dolore confecit. Hannibal cum famam eius dimicationis contemptum adlaturam beluis intellegeret, equites misit qui abeuntem interficerent. proboscidem eorum facillime amputari Pyrri proeliorum experimentis patuit. Romae pugnasse Fenestella tradit* et q. s. Ex uerbis uero hisce prima *nec quid deinde — interfectos* ipsius Plinii sunt neque pertinent ad quaestionem nostram; in ceteris aperte duae diuersae res exponuntur, quarum prior quin ad Cornelium Valerianum, a quo eaedem fere res esse tractatae uidentur (cf. III 108. X 5; 11) atque a Plinio, referenda sit, altera *(proboscidem eorum — experimentis patuit)* ad Catonem, iam non erit dubium. cuius disputationis fructus etsi per se est exiguus, tamen inde a Catone Pyrrhi aetatem non omnino esse praetermissam adparet.

Num Plutarchus ipsas origines inspexerit uehementer dubito.[2]) quin etiam forsitan debuerit totam suam Catonis notitiam corpori cuidam dictorum Catonianorum, quod ex eius scriptis

---

[1]) Nam quod Cato iam § 11 laudatus est, non turbat hoc rationem nostram, cum ut multi ita etiam hic locus post libri tenorem absolutum indicemque confectum adiectus sit.

[2]) Vid. H. Klapp, *de uit. Plut. auct. Rom.* p. 11.

excerptum erat (uid. *Quellen d. Plut.* p. 90). neque usquam, quamquam historias ab eo conditas esse refert (Cat. 25)[1]), citat origines, atque quae uerba Plutarchi cum originum fragmentis conspirare uideantur, partim certo demonstrari potest, non esse ea hausta ex ipso Catone (uid. Klapp l. s. adnot. nostr. ad fr. 16. 18. 86). uerum tamen etiam ex originibus quaedam in collectionem illam recepta esse ueri simillimum est, quam ob rem res, quae secundum Catonem exponuntur, intuentes Iordanumque secuti unum locum propter argumenti fr. 111 similitudinem in originum fragmentis posuimus (fr. 112), ex ceteris electa quaedam (129. 130) in fragmentis incertae sedis.

Appianus sententiam quandam orationis pro Rhodiensibus habitae adtulit (fr. 95[b]), atque quae de rebus in Hispania gestis (Hiber. 39—41) memorauit ad Catonis auctoritatem redire recte animaduertit Nissen (*Untersuch. p.* 156), quamquam uix ipso usus est. alia eius uestigia non inuenimus. Etiam incertior res est de Cassio Dione (adn. ad fr. 18).

At uero ad Vergilium explicandum multum esse adhibitae origines uidentur. qua re factum est, ut plurima fragmenta Catonis ex antiquioribus commentariis in Seruianum et in scholia Veronensia (59. 71) transirent. illorum septendecim (adn. 1. 5. 8. adn. 9. 10. 18. 31. 32. 38. 45. 46. 54. 55. 76. adn. 78. 122. 123) ex diserto Seruii testimonio ad origines relata sunt, alia (4 cum adn. 9 c. adn. 10. 11. 13. 14. 48. 51. 60. 62. 70. 80. 85. 89. 115. 119) de coniectura ex argumentis petita. neque temere in hac re actum est. nam quamquam nouit Seruius etiam alios Catonis libros *(de re rustica, de re militari, ad filium, orationes de Achaeis, in Furium, de consulatu, in legem Voconiam),* tamen hos singulis binisue tantum locis, unum tribus laudauit. quam ob rem, quoniam multo frequentius origines in usum uocatae sunt, quae Catoniana inserta sunt incertae sedis, ea ueri similius est ex originibus sumpta esse, prae-

---

[1]) Caue ne propter uerbum *ἱστόρηκεν* haec ex Catonis historiis fluxisse opineris. apud Plutarchum enim etiam *Πλάτων ἱστόρηκε* (Alcib. 1 conl. Plat. Alcib. I p. 122 A), *Ἀναξιμένης ὁ ῥήτωρ ἱστόρηκεν* (Popl. 9), multi alii, qui non scripserunt annales, quos conlectos habes a F. Leone (*de Plut. quaest. Rom. auct.* p. 29), cf. Thiersch, *Münch. gel. Anz.* 1848 II p. 40.

sertim cum pleraque argumenti sint historici. in paucis coniectura confirmatur etiam aliis testimoniis. quae enim Seruius ad Aen. IIII 698 (adn. fr. 114) secundum Catonem de matronarum crinibus tradidit, Charisio teste (fr. 114), quae ad Aen. I 267; 570. IIII 427 (fr. 9 c. adn.) de Anchisae in Italiam aduentu et quae ad Aen. IIII 620 (fr. 10) de Aeneae Ascaniique proeliis, teste ipso Seruio (Aen. III 711 adn. 8 et VIIII 745 adn. 10) ex originibus ducta sunt. sed tamen ne nimis incaute egisse uideamur, frustula quaedam quae argumenti essent dubii, ad fragmenta incertae sedis selecta relegauimus (fr. 137—140). praeterea uestigia quaedam notitiae Catonianae ex Seruio adnotata sunt ad fr. 11. 54. 69, plurima alia sine dubio delituerunt.[1])

Seruio adnecto Macrobium, qui tribus locis citauit origines (fr. 12. 86. 124), quartus (16) eis de coniectura antiquitus additur. hic unum locum (fr. 86) sumpsit ex Gellio, unde ceteros, cerni non potest.

Denique uno uerbo satis erit conmemorasse, etiam a Solino (fr. 56), Isidoro (adn. 18) singulis, a Ioanne Lydo duobus (adn. 17. 19) locis originum uerba prolata esse, quos non esse usos ipso Catone pro certo sponderi potest neque tamen definiri, per quosnam riuulos hortos suos irrigauerint.[2]) idem cadit in Iustinum (adn. 2) et Flauium Vopiscum (adn. fr. 83), qui sententias Catonis notissimas repetierunt. Sulpicia (adn. 95[a]) num ipsum Catonem inspexerit, res dubia est. At uero hice scriptores cui notitiam Catonis debeant, etiam nunc manufesto cognosci potest: Valerius enim Maximus (adn. fr. 106), Quintilianus (adn. fr. 106), Seneca philosophus (adn. fr. 83) sumpserunt ex Cicerone, Columella (adn. 43) et Crescentius (adn. 52) ex Varrone, Syncellus et Eusebius (adn. 17) ex Dionysio, mythographus Vaticanus Maii (adn. fr. 11 cf. 59) ex Seruio, cuius uerba stultissime miscuit cum Catonianis.

---

[1]) Vt quae de Romulo et Remo et de Roma condita ad Aen. I 273 exponit, nihil obstat quominus ex originibus petiuerit. conspirant certe in uniuersum cum Fabio Pictore, quem Cato Dionysio teste (fr. 15) secutus erat. etiam meretrix Larentia illo loco dicitur (fr. 16).

[2]) Lydus utroque loco Catonem coniunctum citauit cum Varrone, uno (adn. 17) Catonis de urbis natali sententiam etiam confudit cum Varroniana. uidetur igitur per Varronem Catonis nomen in Lydi librum manasse.

Nunc uenimus ad eos scriptores, qui uerborum atque rerum quarundam singularium studio ducti in Catone lectitando et excerpendo uersati sunt et plerique uixerunt imperatoris Hadriani aetate, qua Catonis memoria resuscitata est. ipse enim imperator ut amauit genus uetustum dicendi, ita Ciceroni Catonem praetulit (Spart. Hadr. 16, 6) incenditque maximam scriptorum qui tum erant partem eodem amore. in primis Cornelius Fronto et praeco uirtutum Catonianarum et imitator (cf. Naber p. 221 adn. 4) exstitit, eumque secutus est discipulus, Marcus Antoninus, qui imitatus magistri exemplum non solum crebro eum lectitabat (ep. II 13 p. 36. 4 p. 29) sed etiam ei, quem patronum suum appellat, totum se dedicasse atque despondisse atque deligasse uerbaque quaedam se ex eo furatum esse gloriatur (ep. II 13 p. 36). uidetur tamen Fronto in orationibus potissimum tractandis uersatus esse atque quod de historiarum genere scribendi iudicium tulit, minus apte eum tulisse, cum melius quadraret in orationes, supra p. CXXXXVIIII iudicabam. unum tantum modo seruauit originum fragmentum (fr. 107) idque ex oratione quadam, quam Cato originibus inserueral, sumpsit. Multo maiorem operam et diligentiam posuit in originibus A. Gellius, qui ex unoquoque libro singula saltem fragmenta eaque omnia ad uerbum seruauit (fr. 20. 26. 36. 73. 77. 79. 82. 83. 86. 87. 91. 93. 95. 96. 99. 100. 101. 105. 108. 109). sed Mercklin (*Citierm.* p. 660. 655. 648) de conpluribus, num ex ipso Catone ea deprompserit, dubitauit, idque concedendum est de maxima orationis Rhodiensis parte, quam ex Tirone transtulit. de ceteris fragmentis, quamquam haec coniectura non abhorret a Gellii more auctores citandi, certa tamen argumenta desiderantur. quin etiam praeter Tironis excerpta totam orationem illam Gellium in manus sumpsisse ex ipsius uerbis (§ 55) elucet, unumque locum, quoniam Tiro praetermisisset, a se additum esse ipse adfirmat.[1])

[1]) Ceterum etiam quae praefatus est Gellius de Rhodiorum causa, priusquam orationis Catonianae fragmenta insereret, in uerbis Catonianis ponere non dubitaui. nimirum et, quoniam illam causam non potuit non enarrare Cato in originibus, etiam seu Tironem seu Gellium eius rei notitiam cum ipsa oratione eidem debuisse ueri simile est, et illa *cumque partim senatorum — quererentur* originem Catonianam significare uidentur (cf. fr. 6 *an partim eorum fuerint*).

Gellio quae de uento cercio secundum origines refert Apuleius (adn. 93) debere uidetur, Verrio Flacco unum Catonianum Donatus in conmentario Terentiano (adn. 23), neque Charisius, qui multa exempla Catoniana adtulit (fr. 27. 34. 35. 64. 74. 75. 114. 116. 120. 121), ipsum fontem adiit. id quod de hoc quidem firmissime ostendetur. exempla enim ex orationibus petita, quas Cato de consulatu et in L. Furium de multa habuit[1]), in solo capite, quod (II 13) de aduerbio ex Iulio Romano (Keil praef. p. XLV) transscripsit, inuenies, exempla ex originibus in solis capitibus libri primi XV et XVII, quae sunt illud de extremitatibus nominum et diuersis quaestionibus, hoc de analogia secundum Iulium Romanum scriptum, denique singula quattuor aliarum orationum fragmenta per haec tria capita dispersa, nusquam alibi apud Charisium, si excipis unum locum quem habet ex Statilio Maximo. atqui horum capitum duo tota fere (I 17. II 13) ex Iulio Romano pendere iam Keil animaduertit, ex tertio (I 15) eas partes, in quibus praeter Vergilium ceterosque uulgares scriptores alii quoque conmemorarentur, eiusdem Romani esse Schottmueller (*de Plin. libr. gram.* p. 20 sqq.) docuit: inde non Charisium haec Catonis scripta excerpsisse certo conligitur sed Iulium Romanum, qui fuit aut sub Hadriano aut paulo post eum (Keil praef. ad Char. p. XLVII sq. Christ Philol. XVIII p. 123). deinde alius grammaticus ab ipso Charisio ita cum Catonis fragmentis coniungitur, ut huic se ea debere fateatur, Statilius Maximus. is ut de singularibus apud Ciceronem scripsit, ita etiam singularia quaedam Catonis uerba peculiari libello explicauit[2]) et a Charisio, si unum locum capitis XVI excipis (p. 270 K.), in solo capite, quod est de aduerbiis, quod iam supra diximus, conmemoratur, ita ut *μονήρεις λέξεις* Catonis aut Ciceronis aut Sallustii breuiter explanans inducatur. Cato autem hisce omnibus fere locis (p. 202. 215. 217, 8; 11. 220. 240) simpliciter Cato senex appellatus neque liber, unde depromptum sit frag-

---

[1]) Vnum huius orationis fr. in libri primi caput XVII, quod item pendet ex Romano, delatum est.

[2]) Suringar *hist. crit. schol.* I p. 63 sqq. conmentario perpetuo Catonis origines a Statilio inlustratas esse perhibuerat omnesque Catonis relliquias, quas ex illo inseruerat Charisius, in originibus posuerat, sed haec opinio omni fundamento caret. cf. Bergk, *Zeitschr. f. Alterthumswiss.* 1845 p. 116 sq. Linker, *de prooem. Sall. hist.* p. 25.

mentum, usquam additus est. quaecunque ergo in hoc caput, in quo solo apud Charisium *Cato senex* citatur, sub hoc nomine eius relliquiae incertae sedis receptae sunt (p. 206. 219. 221), ad Statilii auctoritatem sine dubitatione referas. quae uero ratio intercedat inter hunc et Romanum, utrum Romanus Statilium excerpserit, an Charisius, cum de aetatibus eorum nihil certi memoriae traditum sit, dignosci nequit. frustula tamen Catoniana, quae debemus Statilii diligentiae, pleraque sunt singulorum uerborum, cum quae in eodem capite ex libris de consulatu seruata sunt, plurium sint, neque illa certo alicui libro tribui potuerunt. unum, quod totam quandam sententiam continet, a nobis propter argumentum in incertae sedis fragmentis selectis conlocatum est (fr. 136). Ita uero seiuncto Catone Statiliano tria supersunt fragmenta quae libri inscriptione omissa a Charisio seruata sint. ex eis unum propter argumentum a Iordano inter orationum fragmenta receptum est (p. 43, 4), quae coniectura ea re conprobatur, quod illud in eo capite exstat, quod solis orationum fragmentis refertum est; cetera duo cum in eis capitibus inuenirentur, in quibus originum fragmentorum numerus maior esset, in incertae sedis fragmentis selectis deesse noluimus (fr. 134. 135).

Nonius plura exempla Catoniana ex originibus protulit quam ex ceteris eius scriptis, ex quibus singula, summum tria apud eum inueniuntur. sed ne illas quidem unquam oculis eum uidisse satis nunc constat. tria ex Gellio sumpsit (78. 83. 84), unde cetera (28. 29. 33. 65. 97. 103. 110. 125), non liquet. quae tria incertae sedis fragmenta Catonis ab eo inserta sunt, ex eis duo ex libris de re rustica ducta sunt, unum ex oratione quadam, ut ex Gellio didicimus (Iord. p. 54, 5).

In Priscianum idem fere quod in Nonium cadit. nam et hic multa Catonis ex originibus (lib. I. II. IIII. V)* testimonia adtulit (fr. 7. 21. 25. 30. 53. 57. 58. 61. adn. 64. 66. 67. 81. 90. 94. 96. 104) et singula aut summum terna ex ceteris libris, nec eum ex ipso Catone hausisse admodum probabile est, quamquam non potest ostendi manufestis argumentis ut in Charisio. sed hic tria fragmenta incertae sedis, cum ueri similius esset ea ex originibus quam ex aliis scriptis decerpta esse, non spreuimus. habes in fr. inc. sed. sel. 141—143.

Denique originum prooemii fragmentum quoddam in solis ser-

uatum est excerptis rhetoricis Parisiensibus (fr. 3), ipsum initium in Pompeii commento (fr. 1) et in Sergii explanatione in Donatum (adn. fr. 1), ex qua ille, cum commentarius uberior esset quam quem nunc habemus, forsitan sua transscripserit (Keil gr. lat. V p. 92). anonymus Hauptianus de gener. nom. cum p. 92 Catonem et Varronem coniunctos laudauerit, etiam quod *cullea uini* (adn. fr. 43) ex Catone profert, Varroni, apud quem idem fr. auctius exstat, debere uidetur. Prisciano fortasse usus est scriptor quidam thes. nou. Maii (adn. fr. 7) et Alcuinus (adn. 67), Charisio Beda (adn. 74. 75).

Itaque Hadriani aetate antiquitatis summo studio florente origines, quae prope iam in obliuionem uenerant, denuo protractae et crebro lectitatae multorum in manibus fuere. tum vero cum homines ad sanius iudicium redirent, etiam origines oblitteratae et legi desitae sunt, atque quae scriptores aetate inferiores ex eis adtulerunt, aut certis argumentis demonstrari potuit non esse hausta ex ipso Catone aut certe consentaneum est.[1])

Extremum hoc est ut, quo iure aliquot locos, qui antiquitus originum fragmenta habebantur, expulerim, disseram.[2])

Princeps est Liuii XXXIII 5, de quo alia opportunitate data iam supra egimus p. CXXVIIII, quem si adcuratius examinaveris, L. Valerium, quod se aduersus Catonem origines eius reuoluere praedicat, nil aliud quam rhetorice dicere inuenies, se ex antiquitate, quam Cato bene nouerit, exempla prolaturum feminarum, quae in publicum procucurrerint. qua Bolhuysi interpretatione probata cadunt quae Merkel fast. p. LXXXII opinatus erat, ab Ouidio (fast. III 205—228), Plutarcho (Rom. c. 19), Seruio (ad Aen. VIII 635) Sabinarum raptum secundum Catonem enarratum esse.

Deinde quattuor loci, qui lacunis corrupti erant, dubiis aut falsis supplementis exornati ad Catonis origines relati sunt. in Muelleri enim Festi editione p. 153 s. u. matronis haec legis:

'Matroni-[*s aurum redditum*' . . . . . *Ca-*
to ait: quod [*uidetur hoc significare*: *matronis*
fuisse re-[*stitutum aurum, ex quo P. R. crateram fecerat*

---

[1]) Magnam habet probabilitatis speciem Iordani (p. LVIII) coniectura, ut Sallustii historiarum ita etiam Catonis originum orationes excerptas et seorsum editas diutius mansisse.

[2]) Quae fragmenta Catoniana incertae sedis probabiliter ad origines poterant referri, infra corollarii loco coniunximus.

et eam A-[*pollini Delphos miserat: ut est testi-*
monio in-[*dex tabella: quod quidem aurum dederant ma-*
tronae orna-[*tui demptum suo, ut uotum solueretur*
Apolloni. qui-[*dam dicunt de eo potius esse intelligendum*
quod contule-[*runt olim matronae ad Capitolium*
a Gallis Senoni-[*bus liberandum. id eis postea reddi-*
tum est a pop-[*ulo Romano.*'

Quae Festi uerba quod in hoc conpendium redegit Paulus: '*Matronis aurum redditum*' *cum legitur, hoc significare uidetur, quia matronae contulerunt ornatus sui aurum ad Capitolium a Gallis Senonibus liberandum, quibus postea est redditum a populo Romano*, adparet ex duplici fama quam adscripserat Festus, priorem eum omnino neglexisse; sed qualis fuerit, discimus ex Liuio V 27, 5, ex quo Vrsinus et Mueller supplementa sua petierunt, uera in uniuersum uidentes. fieri igitur potuit, ut talia in originibus exponeret Cato sumeretque ex eo Verrius, sed eodem iure quo Catoni, haec frustula cum Vrsino Sinnio Capitoni uel Ateio Capitoni uindicare possumus, quorum nomina etiam melius in lacunam quadrant. Eadem inter eosdem controuersia est s. u. natio p. 166, ubi in codice eaedem litterae *to* ex nomine auctoris seruatae sunt. Hic Mueller secutus Vrsinum sic suppleuit:

Sinnius autem Capi]to, omnia fe-
re genera hominum per nationes diuidi ut Picent]es Sabinos
esse gente, natione Picentes . .].

sed potest etiam hic de Catone uel de Ateio Capitone cogitari (Hertz *Sinnius Capito* p. 25 n. 26).

Totum Catonis nomen remouit Wagener (p. 27) s. u. posimerium p. 249. de eo uocabulo haec dixit Festus, si Muelleri supplementis fidem habes:

[*Posime-*
rium esse ait Antistius [*in commentario iuris pontif-*
icalis pomerium id est l[*ocum pro muro ut ait*
Cato. olim quidem omn[*em urbem conprehendebat* et q. s.

sed offendit post Antistium Catonis laudatio, quam ob rem Wagener scite coniecit: 'pomerium id est l[*ocum quem transit auspi*] cato'.

Apud Seruium ad Aen. I 273 Burmann uerba lacera: . . . . . *dicit Latinum ex Vlixe et Circe editum de nomine sororis suae mortuae Romen ciuitatem appellasse* ita sanasse sibi uisus

est, ut *Cato in originibus* anteponeret, plane inmemor ille, ex Catonis sententia inter Troiae excidium et Romam conditam interfuisse quadringentos triginta duos annos (Schwegler I p. 83).

Praeter origines autem quidam a Catone etiam *Poenorum historiam* conpositam esse somniauere, nisi loco quodam Festi mutilo s. u. meritauere p. 154:

> 'Meritauere, saepe merue
> enorum IIII suf-
> *fetes euocauerunt statim om*]nis cohortes, omnis
> *etiam qui stipendia merit*] auerunt.'

quo Catonis nomen lacuna intercidisse ex Pauli epitome discimus. sed de Poenorum historia nihil ille exhibet, neque quidquam ualet ad opinionem illam firmandam, quod Seruius quaedam lecta esse scribit (ad Aen. I 343) in historia Poenorum, quaedam testari Punicam historiam (ad Aen. I 738), quippe qui de scriptore nihil addiderit. ne illud quidem haec fundamenta tamquam in aqua posita intuens probabis, quod Krause (p. 97. 113) et Roth (p. 280) quartum originum librum peculiari Poenorum historiae inscriptione insignitum esse censuerunt.[1]) itaque recte Iordan haec somnia disiecit. minus tamen cum numerum transposuerit, mihi placet quod ipse coniecit: '*Cato originum*] IIII: [*Po*]enorum suffetes'. hic locus Oedipum suum adhuc exspectat.

Claudant hoc agmen uerba quaedam schol. Venet. Iliad. VIIII 383: *ὡς δὲ Κάτων ἱστορεῖ, ἡ Διόσπολις ἡ μεγάλη πρὸ τοῦ ὑπὸ Περσῶν ἀφανισθῆναι κώμας μὲν εἶχε τρισμυρίας* [*μυρίας* Meineke], *ἀρούρας δὲ ͵γψ΄. ἀνθρώπων δὲ μυριάδας ψ΄, ρ΄ δὲ πόλεις διεκοσμεῖτο*, quae item sub Catonis auctoritate habes apud Stephanum Byzantium s. u. *Διὸς πόλις* p. 234 Mein. sed Catonis nomen ferri non posse omnes consentiunt, dissentiunt in emendatione. atque Iacobus quidem Bernays (ap. Wagener p. 45) Manethonis nomen substituit; sed etiam propius ad librorum scripturam accedit quod Ebert *diss. Sic.* p. 94 coniecit *Βάτων*, apud quem scriptorem *τὸν πραγματευθέντα τὰ Περσικὰ* (Strab. XII p. 546) illa de urbe a Persis euersa facillime exstare poterant.

---

[1]) Quae Krause praeter fragmenta a nobis recepta hic posuit, ex oratione de bello Carthaginiensi sumpta sunt (Iord. p. 56, 1, 2), id quod uno loco diserte adiectum est, altero significatum.

L. CASSIVS HEMINA[1])

Qua actate L. Cassius Hemina fuerit, ex loco quodam Censorini (fr. 39) cognitum habemus, qui, cum quarti ludi saeculares fierent, Cn. Cornelio Lentulo L. Mummio Achaico consulibus i. e. a. 146. 608 eum uixisse memoriae prodidit. proximus igitur Censorino teste accedit aetate ad M. Catonem, qui tribus annis ante originibus uix absolutis mortuus erat, neque est cur eum auctoritate carere negemus, nam etiam Plinius, qui neminem alium historicum Romanum, hunc duobus locis uetustissimum auctorem appellauit (fr. 26. 37). Sed Niebuhr (praelect. hist. Rom. I p. 27 consentientibus Schweglero I p. 87 n. 4 et Schmittero p. 8) ex annalis quarti inscriptione, quae fuit *bellum Punicum posterior* (fr. 31)[2]), etiam ante tertii belli initium (ante a. 605. 149) quartum librum, qui postremus fuisse uidetur, editum esse conclusit. quae sententia si uera est, Cassius, si non ante Catonem at eodem certe tempore cum illo historiae scribendae operam dedit et cum Catone pater historiae Romanae habendus est. at uero si re uera Cassius primus res Romanas

---

[1]) I. E. Schmitter *Cassii Heminae annalium fragmenta emendata disposita illustrata*, dissert. phil. Monast. 1861, magis diligentiae quam acuminis documentum. — Lucii praenomen nititur Prisciano fr. 25 et schol. Veronensibus fr. 4. iniuria de eo dubitauit Weichert *de Vario et Cassio* p. 180. gens Cassiorum tum fuit plebeia (Niebuhr h. R. II p. 195 sq. Drumann II p. 111), neque tamen Heminam humili loco natum esse ex Suetonii testimonio (uid. p. LXII) constat. — Qui autem uulgo dicitur Hemina, idem a Prisciano in plerisque codicibus et aliquot locis a Nonio scribitur Emina, eodem iure, quo in hemina (= ἡμῖνα dimidia pars sextarii Paul. p. 100 M.) saepe omittitur aspiratio (ut Pers. I 130. gromat. p. 375 Lachm.). Hertz ad Prisc. I p. 294.

[2]) Hoc more separatim quosdam libros inscribendi usus est etiam Ennius (Vahlen p. 65), tum Liuius (cf. Weissenborn praef. ed. Teubner. p. XVIII).

patrio sermone usus scripsit, quaero qui fieri potuerit, ut nemo scriptor huius rei mentionem faceret, Cicero, Liuius, Dionysius cetérique scriptores illius aetatis nusquam eum conmemorarent? quid? quod etiam usque ad finem tertii belli Punici eum in annalibus progressum esse ex Censorino (fr. 39) nouimus. quam difficultatem si quis ita remoueat, ut Cassium quattuor priores libros ante huius belli initium edidisse censeat, tum uero quarti libri inscriptionem mutare non potuisse, uereor ut multos habeat adsentientes. Itaque nescio an Niebuhr illam inscriptionem nimis presserit scitiusque quam uerius concluserit. quamquam enim nec bellum prius, alterum, tertium nec prius, posterius, tertium dici posse facile concedo, tamen aut totus fallor, aut bellum primum, posterius, tertium eodem iure enumerari potest quo primum, alterum, tertium.

De uita eius nihil accepimus, neque ullus titulus lapidi marmoriue incisus aut scriptor praeter locos infra a nobis indicatos Cassii Heminae meminit. Inscriptio libri uarie tradita est et annalium et historiarum, quarum illam ea de causa praefero, quod nititur Plinii (37), Gellii (8), Seruii (22), Prisciani (25. 29. 30. 31. 32) testimoniis, cum historias uno loco citet Diomedes (fr. 11) et Nonius, qui sexies (9. 10. 16. 21. 34. 35), ipse sibi constans non fuerit. idem enim quattuor aliis locis annales laudauit (24. 28. 33. 36).

Latine eum res sui populi enarrasse, ex eis quae a conpluribus scriptoribus ad uerbum relata sunt, satis adparet, sed quo dicendi genere usus sit, propter fragmentorum paucitatem et exilitatem definiri nequit, praesertim cum pleraque ita mutata ad nos peruenerint, ut perpauca antiquitatis uestigia agnosci possint.

Libri quattuor adferuntur, quorum quartum separatim inscriptum fuisse *bellum Punicum posterior* conmemorauimus, itemque Cassium longe ultra id bellum in scribendo descendisse. exsistit igitur quaestio, utrum quarto libro etiam eas res, quae post bellum Punicum alterum annis quinquaginta gestae sunt, conplexus sit, an plures quidem libros addiderit, casu uero quodam ex his nihil ad nos peruenerit. quae quaestio quamquam certo solui nequit, equidem tamen inclino totus ad posteriorem sententiam. nam et hoc haud raro factum est, ut pauci tantum modo libri a grammaticis excerperentur, ceteri negle-

gerentur (ut Charisius Sisennae Milesiarum solum tertium decimum librum laudauit), neque persuadere mihi possum, quinquaginta minimum annorum res a Cassio ita coartatas esse, ut quasi appendix sub belli Punici posterioris inscriptione laterent, praesertim cum per annos singulos amplior ei succresceret materia. quibus de causis fr. 37. 38. 39 non ex quarto sed ex libris, qui post quartum erant, sumpta esse censeo.

Deduxit autem Cassius res a generis Italici principe, Saturno (fr. 1)[1]), eisque, quae ante Romam conditam gestae sunt, totum librum primum conpleuit. Ex eis populis, qui ante Troianos Latium obtinuissent, etiam Siculos ab eo conmemoratos esse et Ariciae Crustumeriique origines ad eos relatas ex fr. 2 et 3 discimus. neque tamen est cur cum Schmittero (p. 18) ex Graecis Siculorum nominibus conligamus, apud Cassium Siculos e Graecia oriundos fuisse — id quod a nullo scriptore traditum est — eademque eum de Siculis docuisse quae alii scriptores de Aboriginibus. immo nihil obstat quominus etiam Cassium uulgarem sententiam secutum esse censeamus, qua indigenas Siculos fuisse credebatur. nec minus temere ab Hertzbergio (*de dis Rom. patr.* p. 37) coniectum est, ut secundum Sallustium (Catil. 6, 1), ita etiam secundum Cassium Romam paulo post Troiam deletam conditam esse. ne huius quidem sententiae ullum certum uestigium adparet.[2])

Altero libro Catonis, ut uidetur, temporum rationem secutus (fr. 20) Romuli Remique res pertexuit (fr. 11) et minimum usque ad urbem a Gallis recuperatam aut, si recte de fr. 21 indicatum est, usque ad a. 280. 474 peruenit. magnum igitur annorum spatium, quod Liuius uix decem, Cassius hoc uno libro est conplexus, ut, si quidem cetera non minus adcurate per-

---

[1]) Forsitan in his rebus Euhemeri Ennianam doctrinam amplexus sit. cf. Ennii Euhem. fr. 6 p. 17, 1 Vahl. (= Lactant. diu. inst. I 14). post Cassium eadem de Saturno docuit Varro. cf. Lactant. inst. I 13. Macrob. sat. I 7, 21. Ouid. fast. I 233.

[2]) Caue tamen contra Hertzbergium fr. 8 proferas. sola enim uerba *annis plus centum atque sexaginta post bellum Troianum* Homerum et Hesiodum uixisse Cassii esse uidentur. ante Romam conditam Siluiis regnantibus eos uixisse Gellius de suo addidit, neque erit necesse propter Siluios cum Mommseno chronol. p. 152 n. 295 de alio Cassio cogitare.

scripsit quam Numae instituta (fr. 12. 13) aut Dorsonis factum (fr. 19), amplissimus eius liber fuisse uideatur.

Quae ex tertio libro seruata sunt, non possunt referri ad certam aliquam rem, sed tamen descendisse eum usque ad initium alterius belli Punici ex inscriptione quarti libri discimus, qui huic bello adtributus erat. reliquis libris (quot libris incertum) ex more historicorum illorum res usque ad suam aetatem, minimum usque ad a. 146. 608 contexuit.

Neque tamen Cassius solas res gestas memoriae mandasse contentus fuit sed etiam rerum diuinarum praecipuam rationem habuit (fr. 4. 6. 7. 20) in deorum Romanorum origines inquirens, idemque de aliis populi Romani institutis, ut de nundinis (14) et de intercalatione (18) egit et uel Homeri Hesiodique mentionem rebus Romanis inspersit (8). nec nomina deriuandi studio abstinuit. quamquam quod Ariciam ab Archia (fr. 2), Crustumerium a Clytemestra (3), fana a Fauno (4) deduxit, profecto satis infeliciter ingenio suo indulsit. uidetur uero in his Catonis uestigia secutus esse, quem etiam in uerbis quibusdam imitatus est (cf. fr. 29 et Caton. fr. 57[1]) fr. 17 et Cat. or. in Vetur. 10 p. 49 Iord.). utrum etiam in aliis rebus ducem eum elegerit an ad fontes primarios redierit discerni nequit. utique prorsus aliud atque Cato in scribendo consilium habuit.

Antequam uero qui scriptores hoc auctore usi sint, disputemus, ut omnem de fragmentis a nobis receptis dubitationem remoueamus, paucis alios Cassios qui in historia scribenda uersati sunt, recensere placet, quos, cum quam plurimis praeclaris scriptoribus patriam floruisse uellet, miscuit et perturbauit Maffei Veronensis (*Verona illustr.* II p. 25 sqq.). ex hac tamen Cassiorum multitudine multos suo loco iam reposuit Weichert l. s. s. p. 180 sqq., unum, quem Maffei effinxerat, suo iure omnino sustulit. erat is T. Cassius Seuerus Veronensis, quem historias scripsisse Maffei adfirmauerat. continetur enim quattuor locis, quos falso adlatos esse facile euincetur. primus est Plinii epist. IIII 28, 1, quo ex optimi libri auctoritate nunc *Titi Cati* nomen ab Henrico Keilio est restitutum, alter et tertius sunt Tertulliani (adu. fr. 1), qui inter alios historicos etiam Cassii

[1]) Quamquam de hac quidem re suspicionem quandam moueri posse supra p. CLII indicauimus.

Seueri mentionem facit. sed nunc post A. Eberti quaestionem (*Tertullians Verhältniss zu Minucius Felix* in *Abhandl. der sächs. Ges. d. Wissensch. phil. hist. Kl. uol. V*) Tertullianum usum esse constat Minucii Felicis Octauia, in qua, quoniam eadem res, quae a Tertulliano, ita exposita est, ut, eisdem fere auctoribus prolatis, Seueri tamen nomen non adderetur, cum Tertulliani animo Cassius Seuerus obuersaretur, Seueri nomen ab eo temere est adiectum. id quod recte iam a Vossio hist. Lat. lib. I c. 21, Weicherto p. 183, Schmittero p. 15 sqq. aliisque erat coniectum.[1] denique testis excitatus est Suetonius, qui in uita Caligulae c. 16 hunc imperatorem permisisse scribit 'Titi Labieni, Cordi Cremuti, Cassi Seueri scripta senatus consultis abolita requiri et esse in manibus lectitarique, quando maxime sua interesset ut facta quaeque posteris tradantur', idemque in uita Vitellii c. 2, cum Q. Elogius Vitelliae stirpis originem ad deos rettulisset, a Cassio Seuero auctorem generis Vitellium libertinum sutorem ueteramentarium proditum esse commemorat, 'cuius filius sectionibus et cognituris uberius compendium nanctus, ex muliere uulgari, Antiochi cuiusdam furnariam exercentis filia, equitem Romanum genuisset'. Sed nonne haec ita sapiunt Cassii Seueri oratoris lubidinem, 'qua uiros feminasque inlustres procacibus scriptis diffamauerat' (Tac. ann. I 72 cf. IIII 21), ut hunc a Suetonio dictum esse existimare necessario cogamur? neque tamen est cur propter hosce locos hic orator (qui exul mortuus est 33. 786) etiam historiae operam dedisse uideatur. facile enim illa etiam in famosis libellis, quos commemorat Tacitus, effundere potuit.[2] Etiam minus Cassium Parmensem, qui fuit in Caesaris percussoribus et probe distinguendus est a Cassio Etrusco (Horat. sat. I 10, 62. uid. Weichert. l. s. et Kirchner ad Horat. l. s.), praeter carmina etiam historias condidisse probabile est. qui enim illud opinatus erat, Vossius (in append. ad libr. III de hist. Lat.) uno loco Plinii naturalis

---

[1]) Itaque non erit opus ad G. Wolffi coniecturam confugere, qui in Philol. XVI p. 529 conparato Lactantio pro *Seuerus* proposuit *seu Varro*.

[2]) Kordesius ad Eberh. § 34 Seuerum in historicorum numerum inuehere conatus est, cum apud Ioannem Sarisb. VIII 18 pro *Sereno* Seueri nomen poneret, sed recte iam a Weicherto p. 207 refutatus est.

historiae (XXXI 11) sententiam suam firmauit: *Cydnus Ciliciae amnis podagricis medetur, sicut adparet in epistula Cassi Parmensis ad M. Antonium.* at uix cogitari potest, qua occasione hanc epistulam, qua talia continebantur, annalibus inseruerit Cassius, nedum ex hoc loco annales ab eo conscriptos esse coniigamus (cf. Weichert p. 283). Deinde ex numero historicorum eiciendus est Longinus quidam, qui conplures uiros doctos uexauit. haec enim Cicero de orat. I 60, 256 Antonium loquentem facit: *Reliqua uero etiamsi adiuuant, historiam dico et prudentiam iuris publici et antiquitatis † iter* [*notitiam* coni. Ellendt] *et exemplorum copiam, si quando opus erit, a uiro optimo et istis rebus instructissimo, familiari meo Longino mutuabor*, eundemque sine dubio in animo habet Cicero in oratione pro Plancio habita (24, 58): *In quo, Cassi, si tibi ita respondeam, nescisse id populum Romanum neque fuisse qui id nobis narraret, praesertim mortuo Longino, non, ut opinor, admirere, cum ego ipse non abhorrens a studio antiquitatis me hic id ex te primum audisse confitear,* ex quibus uerbis intellegimus, hunc Longinum, ante a. 54. 700, quo anno Cicero Plancium defendit, diem supremum obiisse, postquam Antonio familiari iam anno 87. 667 a Cinna orbatus est. sed neutro loco Longini nomen in libris manu scriptis exstat, nam in Planciana exhibent aut *Conco* aut *long.* aut *longe,* in libro de orat. *longo* plerique, duo *longe,* ex quibus scripturis ueram eruit Roth (in mus. Rhen. n. VIII p. 615)[1], cum scriberet *Congus*, quae emendatio confirmatur scholiis Bobiensibus, in quibus hisce uerbis locus ille Plancianae explicatur: . . . . . *igitur in Cassium facta M. Tullius negat, populum, id est uulgus imperitorum iudicare paenitus de familiae clarioris nobilitate potuisse, ut nonnisi peritiores uetustatis et qui antiquitatem per historias legerint, haec scire facillime possint. atque ideo mentionem Conci uidetur interposuisse, qui per illud tempus decesserat, homo curiosus et diligens eruendae uetustatis. nam historicus* . . . . . (Reliqua interciderunt). Denique cum ex Iuniorum familia originem duxisse et fuisse Lucilii aetate discimus ex uersu quodam illius poetae a Cicerone citato, tum a Plinio (nat. hist. praef. 7) seruato, quo Iunium Congum potissimum ut uersus suos legat, expetit (cf. Roth. l. s. s. p. 613 sq.). Nancti igitur sumus no-

---

[1]) Frustra contra eum disputauit Gerlach, *Geschichtschr.* p. 86 sq.

uum et antiquarium et historicum Iunium Congum, Cassium Longinum amisimus.

Denique L. Cassius Censorius quidam citatus est in scholiis Veronensibus (fr. 5), sed uel librarii neglegentia uel casu aliquo inter *Cassius* et *Censorius* Pisonis nomen intercidisse et falso datum esse L. Cassio cognomen Censorio perspexit Fr. Ritschl (*Schriftstellerei des Varro* p. 30). quam coniecturam si probaueris, etiam in eis, quae secuntur, uerbis *Idem historiarum I ait* Cassii historias non esse dictas concedes et, cum Varronis secundus historiarum liber uel rerum humanarum (cf. Seru. ad Aen. II 636) de eadem re iam laudatus sit, recepta Ritschelii emendatione *item* pro *idem* scribentis post *item* lacunam esse statuendum erit, qua auctoris nomen haustum sit. quis is fuerit, nisi nouos scholiorum libros mss. adepti erimus, uix umquam decerni poterit, nimisque audacter Tuberonis nomen proposuit Schmitter p. 20.

Restant ex Cassiis historicis duo, Cassius Dio, cuius libri maximam partem ad nos peruenerunt, et Cassius Longinus quidam, cuius notitiam debemus Eusebio (p. 198 Mai). hic enim quo loco fontes indicat quibus usus res Romanas a Romulo usque ad suam aetatem exposuerit, cum alios enumerat tum Cassii Longini octodecim libros, 'quibus olympiades CCXXVIII conplexus est'. atque Niebuhr quidem (*kleine Schriften* I p. 185) de philosopho illo cogitauit, qui quod auctor fuerat Zenobiae belli contra Romanos suscipiendi, ab Aureliano (a. 273. 1026) est occisus. sed quaeritur, cur olympiade CCXXVIII substiterit Longinus, non perduxerit res usque ad suam aetatem. est igitur probabilius, Cassium illum Longinum fuisse sub illam olympiadem, id est Hadriani aetate, eiusdemque aetatis cum Phlegonte, quem post Cassium sic commemorat Eusebius: *E Phlegontis liberti Caesaris quatuordecim libris, quibus olympiades CCXXVIIII summatim continentur.* quibus uerbis similibus si similia significare uoluit Eusebius, etiam Cassius Longinus per olympiades breuiter res a prima olympiade usque ad suam aetatem deduxisse existimandus est praecipua Olympiadum ratione habita, atque forsitan etiam de Cassii Longini libro dici possint quae de Phlegontis Ὀλυμπιονικῶν καὶ Χρονικῶν συναγωγῇ uel Ὀλυμπιάσι uel Χρονικοῖς (Mueller *fr. h. G.* III p. 602) Photius iudicauit cod. 97: Ἄλλως τε καὶ ἡ περὶ τὰς ὀλυμπιάδας καὶ τὰ ἐν αὐ-

ταῖς τῶν ἀγωνισμ 'των ὀνόματα καὶ πράξεις καὶ ἡ περὶ τοὺς χρησμοὺς ἄκαιρος φιλοπονία τε καὶ φιλοτιμία, εἰς κόρον ἀπάγουσα τὸν ἀκροατήν. (quod iudicium satis confirmatur Phlegontis relliquiis. cf. in primis fr. 12 Muell.). quamquam Cassius Longinus minus summatim res absoluisse uidetur, quoniam hanc uocem in eo omisit Eusebius. denique sermone Graeco eum usum esse inde adparet, quod ceteri scriptores quos nominauit Eusebius, omnes Graece scripserunt neque quemquam Latinum uidetur adhibuisse. Atque haec causa est, cur contra Muellerum (III p. 688) fr. 1 Longini esse negemus. diserte enim hic Cassius et a Tertulliano et a Lactantio in Latinorum scriptorum numero ponitur. de ceterorum fragmentorum solo fr. 8, quod seruauit Gellius, incertus haereo, utrum Longino an Heminae tribuam. nam cum Longinus paulo post annum 136. 889 scripserit, Gellius post mortuum Hadrianum, quem diuum dicit (III 16, 12. XI 15, 3), i. e. post annum 138. 891, tempus non obstat atque ipsa res ex Cassio inserta huic sententiae etiam fauet. contra cum annalium inscriptio Latinum scriptorem indicare uideretur (Schmitter p. 6), hanc suspicionem mouisse satis habui et in Heminae relliquiis illa Gellii uerba locum suum retinere passus sum.

Denique quoniam inter Dionem et Heminam uix de ullo fragmento lis oriatur, iure nostro quae infra secuntur fragmenta Cassio Heminae adtribuisse nobis uidemur.

Ex eis uero scriptoribus, qui nomine Cassium citauerunt, antiquissimus est C. Plinius superior. ducentis igitur fere annis omnino uidetur latuisse. sed aut totus fallor aut iam Varro in eis qui perierunt libris non solum eo usus est sed etiam diserte ad eius auctoritatem prouocauit. quae enim de dis penatibus Macrobius et Seruius (adnot. ad fr. 6)[1]) aliis locis sub Varronis nomine protulerunt, eadem singulis locis Cassium Heminam dicentem fecerunt, unde, cum ab utroque Heminam non esse inspectum paene pro certo adfirmari possit, eos cum re etiam auctoris nomen ex Varrone sumpsisse proximum uero est.

---

[1]) Falso Delrius in *syntagm. trag. lat.* III 377 Macrobii loco conparato etiam apud Arnob. III 40 pro Caesio, cuius de dis penatibus sententia ibi adfertur, Cassium reponendum esse censuit. intellegendus autem est Caesius Bassius. cf. *de uita et scr. Coel. Ant.* extr.

idemque de Censorino (fr. 39) conici potest. Dionysium Cassio usum esse recte Kiessling *de Dion. font.* p. 18 negauit, neque Liuio eum in manibus fuisse demonstrari potest. quamquam enim in conpluribus rebus (adn. ad fr. 16. 19. 20. 32. 38) concinunt, tamen hi consensus non sunt ita conparati, ut necessario ex solo Cassio Liuium hausisse statuendum sit.

Plinius autem in naturalem historiam quattuor locis (12. 13. 26. 37)[1]) quaedam ex Cassio Hemina transtulit, et quicunque fere post hunc ueterum historicorum fragmenta seruauerunt, eidem etiam Cassii meminerunt, plurimis locis Nonius (9. 10. 16. 17. 21. 23. 24. 27. 28. 33. 34. 35. 36), tum Priscianus (25. 29. 30. 31. 32. 40)[2]), Seruius (3. 4. 6. 15. 22. 38), Macrobius (adn. 6. 14. 18. 22), Solinus (2. 7), denique singulis locis Appianus (19), Minucius Felix, Tertullianus, Lactantius (1 c. adnot.), Diomedes (11), Censorinus (39), scholia Veronensia (4). ex his Diomedes, Nonius, Priscianus propter uerba quaedam prisca eum laudauerunt, ceteri propter res ab eo relatas, sed num quisquam praeter Plinium ipsos Cassii annales legerit et excerpserit, ego uehementer dubito, etsi propter superiorum scriptorum de Cassio silentium nihil certi in hac re erui potest.

Sed restat ut expromamus, quid de Cassii libris minimum duobus de censoribus scriptis, quos laudare uidetur Nonius (fr. 23) sentiamus. talem librum eum conponere potuisse[3]), propter antiquitatum studium, quod etiam in annalibus conspicitur, non est cur praefracte negemus. at et uerba ipsa talia

---

[1]) Cum index librorum XII et XIII idem sit, in libro autem XIII Cassius citetur, uix uerba quaedam Cassii in lib. XII latere cum Rothio putabimus.

[2]) Quamquam Meyer hoc fragmentum p. 551 in Cassii Seueri relliquiis posuit, tamen Weicherto rectius id Heminae tribui concedit. contra Hertzio (ad Prisc. I p. 380) inde quod Hemina plerumque Cassius Hemina, uno loco Hemina a Prisciano citatur, Cassius Seuerus orator uidetur esse dictus, quem bis simpliciter sub Cassii nomine cum librorum inscriptione adtulit (VII p. 759 P. 333 H. VIII p. 872 P. 489 H.). ego tamen propter formas *adulati* et *adhortati*, quibus passiue Cassius Seuerus uix est usus, rem non ita exploratam esse duxi, ut omnino eicienda sint haec uerba ex Heminae relliquiis.

[3]) Haec est sententia cum multorum tum Weicherti p. 181 et Hertzi in Iahn. ann. 1862 p. 47 n. 8.

sunt ut potius ex narratione originem traxisse uideantur, et annales uel historias Cassii Nonius duodecim locis citauit, librum de censoribus nusquam. quam ob rem, cum *de censoribus* non libri Cassiani inscriptionem sed ipsius Nonii uerba esse existimarem[1], Krausio Rothioque adstipulatus ea in annalium fragmentis posui. neque enim mirum uideri poterit, omissum esse a Nonio annalium uel historiarum uocabulum conlatis ex. gr. fr. 27. Coel. fr. 46. Sisenn. 6. 113. 123. 130.

---

[1]) Cf. Macrob. III 20, 5 *Postumius Albinus annali primo de Bruto: Ea causa sese stultum brutumque faciebat.* Vt Nonii fons, sic similiter Gellius XVII 21, 3 scripsisse mihi uidetur: *Vtrumque tamen ante Romam conditam uixisse, Siluiis Albae regnantibus, annis post bellum Troianum, ut Cassius in primo annalium de Homero atque Hesiodo scriptum reliquit, plus centum atque sexaginta, ante Romam autem conditam, ut Cornelius Nepos in primo chronico de Homero dicit, annis circiter centum et sexaginta.* Quae uerba fac hominem Nonio stultitia similem festinanter annalium uel chronici inscriptione omissa contraxisse et Gellio nobis negato solum eius epitomatorem ad nos peruenisse, concedes facile fieri potuisse, ut *Cassii liber de Homero atque Hesiodo* uel *Nepotis liber de Homero* nunc homines litterarum studiosos uexaret.

FABIVS PICTOR
QVI LATINOS ANNALES CONDIDIT

Quae de hoc Fabio Pictore eiusque Latinis annalibus dici poterant, supra, cum de Q. Fabii Pictoris Graecis annalibus ageremus, absoluimus p. LXXVI—LXXX, restat ut nunc Ciceronis de eo iudiciis, quae illic adposuimus, Frontonem adiungamus, qui loco saepe laudando (p. 114 Nab.) Pictorem 'incondite' historiam scripsisse dicit, huius autem Latinos annales intellegit, cum de Latinis tantum modo historicis loquatur.

Inscriptio, si Nonio (fr. 3) fidem habes, 'rerum gestarum libri' fuisse uidetur, si Gellio (fr. 6) 'annales'. Ex libris eius adfertur primus, quo initia urbis narrauerat, et quartus, quo usque ad a. 367. 387 progressus erat. Perexigua eius fragmenta praeter unum, quo duo Fabii a Cicerone coniunguntur (fr. 5 uid. p. LXXXVII), a scriptoribus, qui Quintiliano recentiores sunt, seruata sunt, singula ab ipso Quintiliano (2), a Gellio (6), a Nonio (3), duo a Seruio (1. 4). ex quibus quin huc pertineant fr. 2 et 3, dubitari non potest, cum ex Fabio Pictore ipsa Latina uerba adferantur. nec minus de fr. 4 Seruium uel quicunque eius auctor fuit, Latinos Fabii annales in manibus habuisse concedetur. quem cum altero loco, ubi Fabii mentionem facit, eundem Fabium intellexisse ueri simile esset, hoc autem loco Fabium Pictorem (qua re de Fabio Seruiliano cogitare uetamur) appellaret, utrumque fr. ad hos Fabii Pictoris Latinos annales rettulimus.[1]) Gellii locum (fr. 6) Seruiliano uindicare studuit Du Rieu p. 397 praeeunte Krausio p. 48, idque eam ob causam, quod Gellius ceteris locis, ubi Fabium Pictorem exscripsit, utro-

[1]) Fatendum tamen est inde quod fr. 1 Fabii Pictoris auctoritatem coniunxit cum pontificalium librorum mentione suspicionem nasci, ne etiam hoc ex Fabii Pictoris iuris pontificii libris manauerit.

que nomine eum laudasset, unde hic, ubi simplex nomen adscriptum esset, alium Fabium ab eo dictum esse sequeretur, denique quod ex Dionysio Seruilianum Latino usum esse sermone constaret. at ego ex ea ipsa re, quod simplex nomen Gellius posuit, concludendum esse arbitror, eundem Fabium hoc loco Gellium intellegi uelle quem ceteris, i. e. Fabium Pictorem. qui mos Gellio etiam alibi fuit, ut auctores, quos satis notos esse arbitraretur, uno nomine significasse satis esse duceret. Seruiliano autem hoc fr. tribuere omnino nulla res cogit.

Ex numero fragmentorum Krausii (p. 136) hoc, quod sumptum erat ex Gellio (V 4, 5) eiecimus: *Hic* (Fabius) *ita scripsit*: '*Mortuus est anno duo et uicesimo. rex fuit annos uiginti et unum.*' sunt enim uerba illa non Fabii, sed Varronis, ex cuius libro XVI rerum humanarum a Nonio s. u. duodeuicesimo p. 100 citantur, cuius nomen lacuna, quae est ante *hic ita scripsit* statuenda, apud Gellium intercidit. Quam ob rem recte Hertz hunc Gellii locum sic edidit: *Quid est duo et uicesimo?*[1]) [. . . . *Varro* . . . . *libro XVI humanarum duo et uicesimo*] *hic ita scripsit:* '*Mortuus est anno duo et uicesimo; rex fuit annos XXI.*'

De Fabii Pictoris iuris pontificii libris.[2])

Adtribui huic Fabio Pictori etiam ea fragmenta, quae ex iuris pontificii libris, quos iam Varro (fr. 5) ueteres appellauit, a Fabio Pictore Latine conscriptis ad nos peruenerunt, quamquam haud ita stabili fundamento hanc sententiam niti non ignoro. Nonius enim, scriptor leuissimus, s. u. picumnus p. 518 haec exhibet: *Fabius Pictor rerum gestarum lib. I*: '*Et simul uidebant picum Martium*' (fr. 3). *Idem lib. iuris pontificii III:* '*Pilumno et picum*'. uides igitur illum ab eodem Fabio Pictore, a quo annales, etiam iuris pontificii libros conpositos esse existimasse. cuius opinionis auctoritas quamuis propter Nonii stuporem et leuitatem parua sit, tamen nihil est, cur ab ea rece-

1) *alio quoque libro* quod uulgo inseritur, nulla nititur codicum auctoritate.

2) Infra adparatum criticum eis tantum fragmentis subieci, quae ex coniectura his iuris pontificii libris adsignata sunt, cum aliis ex annalibus sumpta esse uideantur.

damus. Vossius quidem (lib. I c. 3), Krause, Huschke (*iur. anteiust. q. s.* p. 2), Du Rieu ad Seruium illum Fabium Pictorem, hominem peritum iuris et litterarum et antiquitatis (Cic. Brut. 21, 81), etiam hunc librum rettulerunt, sed nusquam Seruii praenomen additum est, quam ob rem artem nesciendi profiteri tutius est atque duobus nominibus contentum esse. Vno uerbo hoc loco satis erit tetigisse Nipperdeyi (Philol. VI 1851 p. 131) et Hertzi (Iahn. annal. uol. 85. 1862 p. 47 sq.[1]) sententiam, qui item profecti a Nonio, cum Q. Fabium Pictorem annales et Graecos et Latinos condidisse existimarent, Q. Fabio, historiae Romanae parenti, etiam hosce libros adsignarunt. at supra hunc Fabium, Latinorum annalium scriptorem, ab illo antiquo secernendum atque apud Nonium huius Latinos annales intellegendos esse docuimus. unde illi sententiae omnia fundamenta subtracta sunt. hoc autem tempore tales commentarios scribi potuisse etiam Mommsen concedet, qui belli Hannibalici aetate id fieri potuisse negauit (h. R. I p. 922), cum, si non eodem tempore, certe paulo post Gracchanus aliique similis argumenti libros ediderint (cf. Hertz *Streifzug* p. 14 sqq.).

Superest ut paucis exponamus, quo iure singula fragmenta hic conlocauerimus, ex quibus sunt quae a quibusdam ad annales tracta sint[2]): fr. 5 a Macrobio, fr. 6 a Nonio ipsa inscriptio adiecta est. etiam altero loco (fr. 4) eosdem Fabii commentarios a Macrobio, quamuis aliis locis Fabii Pictoris mentionem non faciat, dictos esse et per se ueri simile est et ex imperatiui modo, quem in eo fragmento habemus (cf. fr. 2), sequitur et inde quod Macrobius haec sumpsit ex scriptis eiusdem argumenti, ex Veranii quaestionibus pontificalibus (saturn. III 5, 6). idem conicimus de fr. 7 (quo praecepta sacerdotalia exponuntur) et 9, quae seruauit Nonius, ita ut in hoc diserte ad Varronis auctoritatem relegaret. Tum Gellius ipsam inscriptionem nusquam addidit, uno tamen loco (fr. 2) significauit, cum diceret *quos in libris, qui de sacerdotibus publicis compositi sunt, item*

---

[1]) Antea *de Cinc.* p. 64 Vossii Krausiique sententiam amplexus erat.

[2]) Blum *Einleitung* p. 73 etiam omnia haec fragmenta ex Fabii annalibus decerpta esse putat, sed prorsus abhorret haec opinio ab antiquorum annalium indole.

in Fabii Pictoris librorum primo scriptos legimus. [1]) etiam altero loco quiuis propter uerba quibus introducit Fabium: *In libro primo Fabii Pictoris, quae uerba pontificem maximum dicere oporteat, cum uirginem capiat* de iure pontificio potius quam de annalibus, quos semel Gellius (fr. 6) citauit, cogitabit. Denique Seruium (fr. 3) sua hausisse ex hisce commentariis ex eis quae prodidit est ueri simile. fr. 8, quod debemus Festo, uicinitate Antistii Labeonis, cuius libri de iure pontificio uel pontificali et antea (p. 249) et postea (p. 253) laudati sunt, ad libros Fabii de iure pontificio ducimur, quae suspicio inde confirmatur, quod eandem rem quam Nonius fr. 9 eisdemque paene uerbis ex Veranio, qui Fabium uidetur in usum uocasse, rettulit Festus p. 158.

---

[1]) Gellius haec aut Masurio debere uidetur aut Varroni.

Q. FABIVS MAXIMVS SERVILIANVS[1])

Q. Fabius Q. f. Q. n. Max. Seruilianus consul fuit cum L. Caecilio Metello Caluo anno 142. 612. is ex familia Seruiliana, in qua natus erat (fortasse Cn. Seruilio Caepione consule a. 169. 585 patre), a Q. Maximo praetore a. 181. 573 (cf. de eo Du Rieu p. 577 sq.) receptus in Fabiam peruenerat et Quintio praetori, qui eius fratrem Q. Fabium Maximum Aemilianum item a Q. Maximo adoptatum secutus erat, in bello Viriati gerendo consul successit[2]) atque, cum et consul et proconsul satis feliciter pugnasset magnamque partem Lusitaniae expugnatis aliquot urbibus recepisset, postremo in angustias cum exercitu conpulsus 'rebus in Hispania prospere gestis labem imposuit pace cum Viriato aequis condicionibus facta' (Liu. perioch. LIIII).[3])

Atque haec fere sunt quae de eo conperta habemus. quos alii in eum cumulauerunt honores, ei incerti sunt. ut Krause p. 169 eum a. 146. 608 praetura functum esse scribit, idque Harlessio p. 38 ex eo conclusisse uidetur, quod Polybius XXXVI 3, 8 tum Q. Fabium Maximum quendam in Sicilia praetorem fuisse scribit. at is eodem iure Q. Fabius Maximus Aemilianus esse potuit, ut prorsus dubia res sit. Praeterea censuram eidem tribuit Valerius Maximus (VI 1, 5): *Q. uero Fabius Maximus Seruilianus honoribus, quos splendidissimos gesserat, censurae grauitate consummatis exegit poenas a filio dubiae castitatis et*

---

[1]) Vid. de eo Du Rieu *de gente Fab.* p. 390 sqq. Harless *de Fab. et Aufid.* p. 26—44.

[2]) Fallitur Orelli quod onomast. Tull. II p. 247 eum a. Q. Maximo Aemiliano adoptatum esse scribit. haec enim Appianus Hiber. 67: *Τοῦ δ' ἐπιόντος ἔτους Κοΐντῳ μὲν ὁ ἀδελφὸς Αἰμιλιανοῦ, Φάβιος Μάξιμος Σερουιλιανός, ἦλθεν ἐπὶ τὴν στρατηγίαν διάδοχος.*

[3]) Vid. plura de hac expeditione ap. Appian. Hispan. 67—69. Liu. perioch. LIII. LIIII. Oros. V 4.

punito pependit, uoluntario secessu conspectum patriae uitando. at de huius loci fide, postquam multos decepit, nunc ab omnibus optimo iure dubitatur, cum omnino non sit locus Seruiliani censurae in illorum annorum memoria. quam ob rem Quintiliano (declam. III 17) adstipulamur, qui quod Valerius ad Seruilianum, ad Eburnum eius filium rettulit Orosiumque (V 16) uidetur habere consentientem.[1] Denique Macrobius (fr. 4) Fabium Maximum Seruilianum pontificem appellat atque quaedam ex libro eius XII decerpta exhibet, quae ex libris pontificiis esse et ex eis quae adferuntur et ex uoce pontificis addita satis adparet. hisce igitur ex uerbis hunc Seruilianum et illi sacerdotio praefuisse efficitur et libros de rebus pontificiis, fortasse de iure pontificio, ut Krausio p. 171 placet, conposuisse, nisi forte confusus est a Macrobio hic Fabius Maximus Seruilianus cum Fabio Pictore, ex cuius primo libro iuris pontificii duo fragmenta (4. 5) ipse Macrobius seruauit. cui suspicioni ita indulsit Du Rieu, ut hunc locum in Fabii Pictoris fragmentis poneret (p. 208). ego, quamquam Macrobii leuitas ab hoc errore non abhorret, cum certa causa, cur haec uerba Seruiliano abiudicaremus, non esset, cautius ex diserto testimonio Macrobii, qui aliis locis unum Pictoris nomen adferret, Seruilianum sua retinere malui.

Praeterea uero hic Fabius Latine etiam annales condidit. Dionysius enim, ubi historicos Latinos enumerat (I 7), qui ab ipsis Romanis celebrentur et laudentur, etiam Fabium Maximum adfert: *τὰ δ' ἐκ τῶν ἱστοριῶν ἀναλεξάμενος, ἃς οἱ πρὸς αὐτῶν ἐπαινούμενοι Ῥωμαίων συνέγραψαν Πόρκιός τε Κάτων καὶ Φάβιος Μάξιμος καὶ Οὐαλέριος ὁ Ἀντιεὺς καὶ Λικίννιος Μάκερ Αἴλιοί τε καὶ Γέλλιοι καὶ Καλπούρνιοι καὶ ἕτεροι συχνοὶ πρὸς τούτοις ἄνδρες οὐκ ἀφανεῖς, — ἐπεχείρησα τῇ γραφῇ.* atqui a scholiasta Vergilii Veronensi (fr. 2) Seruilianus quidam historiarum scriptor citatur. ergo, quoniam unum Seruilianum nouimus, Fabii et Maximi nomina lacuna, quae est ante Seruilianum, intercidisse ueri est simillimum, eiusdemque rerum scriptoris uerba esse a scholiasta seruata, quem conmemorauit

---

[1]) Primus dubitauit de Seruiliani censura Roth p. 309. deinde pluribus de hac re egerunt Harless p. 38 sqq. Du Rieu p. 393 sqq., qui tamen p. 417 Valerii fidem tueri conatur, cum librariis culpam tribuat scribens pro *Seruilianus: Seruiliani f.*

Dionysius. etiam locus, quo eum ponit Dionysius post Catonem ante Valerium, Licinium, alios, cum hac sententia facit, cumque hominem genere non ignobilem fuisse etiam ex eius uerbis s. l. satis elucet.

Habemus igitur Q. Fabium Maximum Seruilianum cons. a. 142. 612 historicum, quem Latine 'annales' scripsisse atque res ab aduentu Aeneae in Italiam deduxisse, uerba quae ex eis deprompsit Seruius (fr. 1) testantur. praeterea paene nihil de eis addi potest, nisi illud quod ex loco Dionysiano sequitur, eum in scribendo eandem fere uiam ingressum esse quam Catonem, Antiatem, Licinium, atque ea re differre a Pictore, quod quae ille summatim perstrinxerat, hic prolixa oratione persecutus est.

Quae ex libris eius supersunt, perexigua atque ea ex dimidia parte dubia sunt. de Macrobii loco iam supra disseruimus. uerba Prisciani (fr. 3) ad Cunctatoris laudationem funebrem rettulit Meyer (orat. Rom. p. 5), Hertz (ad Prisc. l. s.) ad Q. Fabii Maximi Allobrogici laudationem P. Scipionis Africani minoris. sub iudice lis manebit. Porro uestigium eius Harless (uid. adn. ad fr. 2) apud Dionysium deprehendit, neque tamen id sufficit, ut multa ex eo hausta esse statuamus. num ab aliis scriptoribus in usum uocatus sit, dignosci nequit.[1])

---

[1]) Consilio hic negleximus Cic. de diu. I 26, 55, ubi ad *Fabios* prouocatum est. solum enim Q. Fabium Pictorem et Fabium Pictorem nouit Cicero. De alio fragmento Pictoris (fr. 6), quod falso huc rettulit Du Rieu p. 397, uid. supra p. CLXXVIII sq.

C. SEMPRONIVS GRACCHVS

C. Sempronium Gracchum[1]) in libello aliquo (*ἔν τινι βιβλίῳ*), qua causa adductus Tiberius frater inopiae plebis leuandae consilium cepisset, exposuisse, auctor nobis est Plutarchus (fr. 2), eundemque de patris morte quaedam ad M. Pomponium scripsisse Cicero memoriae prodidit (fr. 1 c. adn.). quas res propter argumentorum similitudinem ex eodem libro sumptas esse uideri cum Nipperdey *spicil. crit. in Cornel. Nep.* p. 88 animaduertisset, pauci fuerunt, quibus hoc non probaretur, neque magni momenti sunt, quae Klapp (*de uit. Plut. auct. Rom.* p. 31 sq.), ut a Cicerone epistulam[2]), orationem a Plutarcho dictam esse ostenderet, disputauit. immo Cicero scribens *ut C. Gracchus scriptum reliquit* nullo pacto epistulam in animo habere potuit, atque quod alio loco, quo Cicero eiusdem rei mentionem fecit, uerba *C. Gracchus ad M. Pomponium scripsit* intellegi posse negauit Klapp nisi de epistula, inmemor fuit usus illius quo Latini *librum ad aliquem scribere* dicebant pro *librum dedicare*. cf. Cicero Brut. 29, 112 (Scauri) *tres ad L. Fufidium libri scripti de uita ipsius.* Lael. 1, 5.[3]) Plutarchus autem, quamquam *βιβλίον* omne genus scriptorum significare potest, tamen, si orationem laudare uoluisset, sine dubio aliud uocabulum praetulisset. sed illa Nipperdeyi sententia conmendatur etiam ea re, quod quae Cicero ex Gracchi libro protulit, eadem etiam apud Plutarchum in uit. Tib. 1 exstant (adn. ad fr. 1). ne multa, quin et quae Plutarchus et quae Cicero secundum C. Gracchum narrauerint, ex eodem eius libro repetenda sint, uix poterit du-

---

[1]) Natus est a. fere 154. 600. quaestor fuit in Sardinia 126. 628. trib. pl. 123. 631 et 122—632. occisus 121. 633.

[2]) Sic etiam Meyer *orat. Rom.* p. 249.

[3]) Cf. *de Plut. font.* p. 95 sq.

bitari[1]), neque nunc quisquam argumenti eum historici fuisse et Tiberii fratris res ita eo esse enarratas uideri, ut a fratre pientissimo omnibus criminibus liberatae celebrarentur, non concedet Mercklinio (*de Corn. Gracch. matris uita* etc. p. 36).

Pomponius uero, ad quem C. Gracchus hunc libellum, qui haud ita amplus uidetur fuisse, misit, erat eques ille Romanus (Vell. II 6, 6) amicusque spectatae et exploratae fidei, qui usque ad mortem Gaium artissima amplexus est amicitia. nam cum eum manus sibi adferentem ab hoc consilio reuocasset et, ut fuga salutem peteret, persuasisset, corpore suo fugam protegens et inruentem hostium manum arcens ad portam trigeminam occisus est.[2])

Ceterum casu accidit, ut Valerius Maximus (IIII 4) ex Pomponii cuiusdam Rufi collectorum libris narratiunculam illam insereret, qua Cornelia matronae illi Campanae liberos ut sua ornamenta producit. itaque fieri non potest, quin suspicio moueatur, hunc Rufum amicum illum fuisse C. Gracchi (Haackh in *Pauly Realencykl.* V p. 1876), aliasque coniecturas adnectere in promptu est, sed uereor ne hoc ludibrio fortunae in errores pelliciamur.

Iam uero quaeritur, num etiam aliis uitae Tiberii locis hunc libellum in usum suum uerterit Plutarchus. uerum tamen in tanta testimoniorum inopia haec quaestio uix umquam ad liquidum perducetur, quamquam ego quidem totus inclino ad Nitzschii sententiam (*Die Gracchen* p. 455[3]), eum a Plutarcho non esse

---

[1]) Nimiam uim tribuit P. Boehme (*zur Geschichte der Gracchen* p. 4 sq.) discrepantiae cuidam, quae inter Ciceronis et Plutarchi narrationes intercedit. Vtinam Plutarchi leuitas et neglegentia se tam leuibus rebus continuisset!

[2]) Haec enim recte Valer. Max. IIII 7, 2 et Aurel. Vict. de uir. ill. 65, 5 prodiderunt. Velleius II 6, 6 falso confudit Pomponii et Laetorii mortes, quorum uterque in simili conatu uitam amisit. apud Plutarchum aut ipsius aut librariorum errore (propter Liciniae, Gai uxoris, nomen saepe conmemoratum, ut opinor) pro Laetorio Licinius substitutus est (Gai. Gracch. 16). tum minus adcurate πρὸ τῆς γεφύρας utrumque pugnantem trucidatum esse scripsit (c. 17), portam enim trigeminam proxime pontem sublicium fuisse constat, in quo Laetorius Valerio Maximo et Aurelio Victore testibus periit.

[3]) Argumenta tamen eius non probo. uid. Boehme l. s. p. 5.

inspectum censentis. uidetur potius ut Gaii orationum sic etiam huius libri notitia per Fannii annales in Plutarchi uitas transisse, a quo scriptore, Gracchorum amico, cum non neglectum esse per se est ueri simile.[1])

---

[1]) Vid. infra *de u. et scr. Fann.* — An etiam Cicero ex eodem Fannio Gaii Gracchi libellum cognouit?

L. CALPVRNIVS PISO CENSORIVS FRVGI[1])

Cicero in Bruto 27, 106 cum de C. Papirio Carbone ageret, haec de L. Pisone adnexuit: *L. enim Piso tribunus plebis legem primus de pecuniis repetundis Censorino et Manilio consulibus tulit — ipse etiam Piso et causas egit et multarum legum aut auctor aut dissuasor fuit; isque et orationes reliquit, quae iam euanuerunt, et annales sane exiliter scriptos.* ex quo certissimo testimonio, quo quae de Pisone legis repetundarum latore memoriae prodita sunt ad annalium scriptorem referre cogimur, exorsi eius uitam adumbrabimus. Quinque igitur eius fuerunt nomina Lucii Calpurnii Pisonis Censorii Frugi, quae etsi non uno loco, diuersis tamen omnia a Dionysio Halicarnasensi adlata sunt, cum ceteri scriptores eum citantes aut uno Pisonis nomine (ut semper Liuius, Varro, Macrobius, Seruius, deinde Plutarchus, Tertullianus, Macrobius) aut tum uno tum duobus eum appellasse satis habeant (ut Priscianus et Censorinus) aut summum tria nouisse uideantur (ut Cicero, Plinius, Gellius). gens, unde ortus est, fuit plebeia sed ex qua iam conplures ad summum honoris gradum enisi essent, quamquam non floruerunt insigni belli gloria. patre natus est Lucio[2]), qui quis fuerit, non licet definire. Iam de magistratibus, quos gesserit, nolumus recoquere quae Pighius excogitauit aliique post eum quasi pro certo adfirmarunt, nihil enim accepimus nec de quaestura eius prouinciali a. 154. 600 (Pigh. II p. 430) nec de aedilitate plebeia a. 145. 609 (Pigh. II p. 463) nec de praetura a. 140. 614 (Pigh. II p. 483). neque

---

[1]) *De L. Pisone annalium scriptore scr. H. Liebaldt*, progr. gymn. Numburg. 1836.

[2]) Huius nomen filii nomini additum exstat in glande quadam Hennensi in C. I. L. I p. 189 et in lege repet. u. LXXIIII p. 62 Momms. itaque corrigendus est Drumann (hist. R. II p. 81), qui de patre quidquam constare negauerat.

minus futile et fictum est quod idem Pighius (II p. 430) rem monetariam ab eo admodum prudenter et frugaliter administratam ideoque ei Frugi cognomen inditum esse suspicatus est, mirumque quod Lachmanno (de f. L. I p. 32) Krausioque (p. 139) id probauit. sed ne quid ex Pighii argumentis praetermisisse uidear, ipsum faciam suae opinionis causam disserentem. haec enim ille l. s.: *Plurimi namque reperiuntur nummi cum eius nomine tali 'L. Piso Frugi' ex aere, argento et auro uariis notis insigniti.* quae hercle ita sunt conparata, ut refellere operae pretium esse non uideatur. simillima est alia Pighii coniectura, qua ex Ciceronis uerbis quibusdam Verrin. III 84, 195 Pisonem post praeturam Siciliam prouinciam obtinuisse conlegit. at Cicero nihil aliud quam laudat illo loco Pisonis in frumento publice emendo frugalitatem et abstinentiam et ut ea usum esse eum concedamus, cum magistratum aliquem in Sicilia gereret, quid opus est hoc factum esse arbitrari post praeturam, de qua nihil memoriae est proditum, cum consulem eum Siciliam prouinciam obtinuisse conpertum habeamus (Drumann II p. 82)?

Remotis igitur hisce commentis ad ea pergimus quae certa et explorata sunt. maxime enim eius nomen inclaruit lege, qua primus de repetundis tribunus plebis a. 149. 605[1]) quaestionem constituit[2]) et, ut loquar cum Cicerone (diuin. in Caecil. 5, 18), ius exterarum nationum arcemque firmauit (uid. C. Peter h. R. I p. 520. Mommsen h. R. II p. 71). tum sedecim annis post, quo anno Tib. Gracchus occisus est, cum P. Mucio Scaeuola consul creatus in Siciliam missus est, ut bellum grauissimum aduersus fugitiuos, quos qui antecesserat C. Fuluius Flaccus consul debellare nondum potuerat, ad finem perduceret. contigitque ei, ut Mamertium oppidum expugnaret ibique octo milia fugitiuorum interficeret (Oros. V 9); Hennam tamen, in quam urbem munitissimam (Strab. VI 2, 6) fugitiui ab omnibus locis pulsi sese receperant (Flor. II 7 [19], 8), quam ab eo oppugnatam esse testantur glandes ibi repertae (Mommsen C. I. L. I n. 640. 643.

---

[1]) Natus igitur esse uidetur ante a. 179. 575, si quidem plerosque tribunos plebis plus triginta annorum fuisse constat.

[2]) Quibus locis huius legis mentio facta est, eos adcurate conlectos habes apud Orell. in indice leg. p. 146 sq. et Mommsen. C. I. L. I p. 54 sq.

p. 189), non potuit capere. itaque bello 'uario euentu' gesto (Liu. per. LVIII) prouincia decessit laudemque belli prospere confecti reliquit P. Rupilio consuli, qui ei successit et fugitiuos Hennenses 'fame quasi pestilentia consumptos' ad deditionem coegit (Oros. et Flor. l. s. Cic. in Verr. IIII 50, 112).[1])

Hoc igitur anno cum Roma abesset, non potuit optimatium causam, cui se addixerat, tueri a Tib. Gracchi legibus, tum uero posteaquam Gaius fratris quasi hereditate suscepta idem iter ingressus est, omni uirium contentione eum repellere conatus est atque orationibus suis (Meyer or. rel. p. 219) aduersario ita stomachum mouit, ut hic in orationibus, quas contra Pisonem habuit (Meyer p. 243), ne maledictis quidem parceret (Schol. Bob. in Cicer. orat. pro Flacc. p. 233 Orell.) multaque turpia ac flagitiosa in hominem frugi effunderet (Cic. pr. Font. 17, 39 [13, 29]). Etiam praeterea eum multum et in iudiciis et in foro uersatum esse ex Cicerone (Brut. l. s. a.) discimus, qui eum et causas egisse et multarum legum aut auctorem aut dissuasorem fuisse scripsit. Sed praeter tribunatum et consulatum Piso etiam censura functus est, id quod, etsi nusquam diserte scriptum exstat, ex Censorii cognomine, quo et a Dionysio (fr. 5. 25) et a Plinio (11) et a Censorino (38) ornatus est, uidemus. quaestio est quo anno. atqui cum habeant omnia lustra, quibus per temporum rationem Piso esse potuerit, censores suos certis scriptorum testimoniis firmatos praeter unum a. 120. 634, in hac quidem re cum Liebaldtio (p. 4 sq.) accedo Pighii (III p. 74) coniecturae, hunc Pisonem illo anno (tertio decimo post consulatum) lustrum condidisse ratiocinantis.

Atque haec quidem de uita. summa autem morum integritate et antiqua seueritate eum fuisse Frugi cognomine satis indicatur. atque, quamquam frugalitate reliquas uirtutes contineri uix Ciceroni (Tusc. III 8, 16) concedimus, quippe qui illo loco ut Graecorum *σωφροσύνην* in sermonem Latinum uerteret, frugalitatis uim nimis auxerit, multas tamen in Pisone uirtutes

---

[1]) Dubium est utrum quod ait Florus l. s. s. de hoc bello *illud quoque ultimum dedecus belli, capta sunt praetorum castra, nec nominare ipsos pudebit, castra Manlii, Lentuli, Pisonis, Hypsaei*, cum minus adcurate loqueretur, hunc Pisonem consulem in animo habuerit an alius Piso praetor illis annis contra fugitiuos bellum infeliciter gesserit.

fuisse admodumque eum dignum, qui primus illo cognomine decoraretur (schol. Bob. l. s. s.), etiam rebus ab eo gestis, quae nobis traditae sunt, satis cernimus. nam non solum ipse summa cum abstinentia et innocentia in re publica administranda uersatus est (uid. Cic. Verr. l. s. s.) sed etiam, etsi ab optimatibus stetit acriterque oratione sua pro eis contra C. Gracchum pugnauit, ita non caecus erat ad eorum uitia, ut primus prouinciarum incolas lege a magistratuum Romanorum auaritia tueretur ac muniret neque in annalibus adulescentium nobilium superbiae inludere dubitaret (fr. 27) aut senatum necis Maelianae inuidia liberaret (fr. 24). idem antiqua seueritate usus est et in bello, cum praefectum equitum C. Titium, qui hostium multitudine circumuentus arma eis tradidisset, exquisitis ignominiae generibus adficeret (Valer. Max. II 7, 9, ex eo Pseudo-Front. str. IIII 1, 16), et domi cum censor esset. quae enim alia fuerit causa Censorii cognominis, quo Catoni illi conlega additus est?

Hic igitur Censorius Frugi, ut cum rem p. administraret, id potissimum egit, ut ciues mores maiorum retinerent, ita etiam historia conscribenda antiquae morum probitatis et disciplinae, quam labi uideret, memoriam renouare et repetere aequaliumque mores iam conruptos emendare conatus princeps moralem quae dicitur historiam condidit (Liebaldt p. 12 sq. van den Bergh *de antiq. ann. script. Rom.* p. 56). quam ob rem copiose exposuit Romuli uitae et uictus simplicitatem — hoc quidem satis pueriliter — (fr. 8), Furii Chresimi in agro colendo industriam et adsiduitatem (fr. 33), in summa lectisterniorum licentia nemini iniuriam aut furtum factum esse praedicat (fr. 25); at uero sua aetate adulescentes peni deditos esse queritur (fr. 40), pudicitiamque subuersam a M. Messallae C. Cassii censorum lustro (fr. 39), et Cn. Manlium Asia deuicta primum inuexisse triumpho triclinia aerata abacosque et monopodia, 'semina futurae luxuriae' (fr. 34 c. adn.).

Inscriptio librorum, quos Latine conposuerat (fr. 8. 19. 27. 17. 18), ab omnibus fere scriptoribus adlata est annalium, a solo Prisciano (fr. 17) uno loco historiarum, commentariorum a Plinio (fr. 11). utrumque tamen, cum aliis locis (18. 10. 13) annales Pisonis libros adpellauerit, illis minus adcurate titulum citasse existimandum est, neque adsentior Hertzio (*Streifzug* p. 19) aut Merkelio (Ouid. fast. p. LXXX), quibus haec diuersitas

apud Plinium tanti momenti esse uisa est, ut ille praeter annales a Pisone Censorio etiam commentarios de rebus ad mythologiam et ad antiquitates pertinentibus conpositos esse censeret, hic pro Censorio frequens Calpurniorum nomen Caesonini substitueret. optime enim res a Plinio secundum Pisonem narrata in Pisonis Censorii primum annalem refertur et ita concinit cum Liuio (uid. adn.), qui in hac annalium suorum parte haud raro Censorium inspexit, ut utrique et Liuio et Plinio eundem scriptorem in manibus fuisse consentaneum sit. denique facile post Caesaris commentarios annalium uel historiarum et commentariorum inscriptiones inter se permutari poterant (Iahn l. postea l. p. 430 not.).

Genus autem eius scribendi a Cicerone eo, unde exorsi sumus, Bruti loco exile dicitur, idemque iudicium cum de ceteris rerum scriptoribus eiusdem aetatis tum de Pisone etiam aliis locis (de legg. I 2, 6. de orat. II 12, 51) tulit, neque, quamquam Cicero pro ea quam habebat de historia sententiam, de his historicis in uniuersum falso sentire uidetur, de Pisone ei non possum adsentiri. faciunt enim cum eo et hominis natura et ipsa fragmenta quae ad uerbum nobis seruata sunt (cf. 8. 27). quid? quod etiam Gellius simplicitatem in eius oratione esse concedit (fr. 8), quam si alio loco (fr. 27) uenustam esse scripsit, uix opus erit peruersi illius aetatis iudicii memoriam reuocare, ut flocci facias.

Quem ad modum qui ante eum scripsere, etiam hic Piso exorsus ab Aenea (fr. 2) usque ad suam aetatem res deduxit, minimum usque ad a. 146. 608 (fr. 39). Libri uero annalium erant septem, nam cum septimo libro M.' Lepidi C. Popilii (a. 158. 596) res tractauerit, qui annos superiores sex libris conplexus esset, ei ad id quod restabat temporis spatium unum librum satis fuisse probabile est. Atque primus quidem liber regum res continebat (fr. 9. 10. 11. 13. 14), alter, si recte Lachmann de fr. 18 iudicauit, cum regum exactione initium fecit, in tertio Flauii aedilitas curulis a. 305. 449 narrata erat, in septimo res anni 146. 608. aliis fragmentis libri numerus non est adscriptus, ut cum fragmenta suis quaeque libris adsignare uellemus, interdum prorsus incerti haeserimus.

In ipsis autem rebus exponendis praecipuam curam posuit in temporum ratione. itaque primus sibi eruisse uisus est, natura

rerum prohiberi quominus, ut fama ferebat, Arruns et Lucius Superbus Tarquinii Prisci filii essent (fr. 15), Romam conditam esse a. 757 solus ex omnibus scriptoribus, quod sciamus, existimauit (f. 36[1])), consulum nomina diligenter etiam patrum praenominibus additis unius cuiusque anni rebus praeponebat, id quod sequitur ex Liuii uerbis fr. 26 conl. 36, denique magistratuum fastos annalibus inseruisse uidetur, ut uberrimi fontes essent Liuio, unde non solum consulum sed etiam aedilium uel tribunorum nomina (fr. 23. 28) hauriret. Tum uero non solas res gestas tradidit sed etiam pluribus exposuit, qua ratione populus Romanus a Seruio rege census esset (14), qualis mos fuisset lectisterniorum (25), qui honores habiti Tarpeiae mortuae (5), quis primus myrto coronatus ludos circenses spectare solitus esset (31), qui fuissent di Nouensiles (45); denique etymologiae operam dedit, cum Italiae uocem a uitulis duceret (1), Pilumnum a pellendo (44), uitulam idem esse demonstraret quod uictoriam (43).

At O. Iahn (*Ueber Lykoreus* in *Berichte üb. d. Verhandl. d. sächs. Acad.* 1848 p. 429 sq.) et hoc studium et quod Vediouem deum in Lycorem (fr. 4) Piso uertisset, ita doctrinam Alexandrinam sapere arbitratus, ut negaret talia a Censorio illo scribi potuisse, ab alio Pisone inferioris aetatis, scriptore grammatico et antiquario, illa excogitata esse coniecit et postea relata ad Censorium, quippe qui notior esset. quae coniectura sane multa habet quibus commendetur et a plerisque uiris doctis, qui post Iahnium hanc rem adtigerunt, ut a Schweglero I p. 89 et Pluessio de Cinc. p. 29, probata est. nihilo tamen minus quae ab Hertzio (*Streifzug* p. 15—19) contra eam prolata sunt, tam grauia mihi esse uisa sunt, ut ad uulgarem sententiam redierim, qua uni Pisoni hae relliquiae tribuuntur. Primum enim, cum Iahn, etiamsi duos Seruii locos (de Lycore et de Pilumno fr. 4. 44), ex Macrobianis totidem (de Maiesta Vulcani uxore 42 et de uitulae uocis ui 43), unum Arnobii (de Nouensilibus 44), a Censorio, uetere rerum scriptore, seiunxit[2]), tamen

[1]) Qui numeri sunt in fr. 34 et 39, a Plinio et Censorino ad aeram Varronianam quam sequebantur redacti sunt. Liebaldtium, quod p. 12 unius uel duorum annorum spatio de urbis natali Pisonem et Catonem inter se discrepare dicit, ratio fefellit.

[2]) His locis fr. 24, quod seruauit Dionysius in libro XII, subiunxit

idem conplures (1. 9) ei reliquerit, qui idem studium proderent, ipse non poterit hunc Pisonem ab ista eruditione omnino alienum esse contendere. nec mirum hoc cuiquam esse potest, qui similia non solum apud scriptores eiusdem aetatis sed etiam apud eos, qui ante Pisonem fuerunt, inueniri considerauerit. ut iam Cato Grauiscas nomen accepisse proposuerat, quod grauem aerem sustinerent (fr. 46), Praeneste, quod is locus montibus praestaret (60), Caeculum, quod oculos exiguos haberet, idemque studium nominum origines scrutandi secuti sunt Cassius Hemina (uid. p. CLXXI), deinde M. Fuluius Nobilior, qui plus quinquaginta annis ante Pisonem consul fuit et in fastis suis mensium nomen etiam deriuare conatus est, ita ut in Aprili explicando ad Aphroditen confugeret (Krause p. 126), denique M. Iunius Gracchanus, amicus C. Gracchi, qui totus in talibus studiis, qualia a Pisone Censorio Gracchi 'capitali inimico' (schol. Bob. l. s. s.) culta esse Iahn negauit, uersatus est. atque etiam Graecae doctrinae uestigia illa aetate facile explicantur, nam Crates Mallotes, quem primum studium grammaticum in urbem intulisse opinatur Suetonius (de gram. 2 p. 100 Rf.), iam uiginti sex annis ante Pisonis consulatum iuuenibus Romanis adsidue audientibus plurimas acroasis fecerat, Aeliique Stilonis, qui fuit unus ex grammaticae Latinae parentibus, annum natalem initio saeculi septimi adscripsit Ritschl (*parerg.* I p. 239). accedit quod Pisonem, cum aetate iam prouectus esset, post censuram a. 120. 634 historiae scribendae operam dedisse probabile est. unde enim Dionysius, Plinius, Censorinus Censorii cognominis notitiam habuissent, nisi aut in inscriptione additum aut in ipsis annalibus eius mentio facta esset?

His igitur de causis non erit opus cum Merkelio de Gaio Pisone quodam historico cogitare, quem Plutarchus in uit. Mar. 45 ut scriptorem satis ignotum (*Γάϊος δέ τις Πείσων, ἀνὴρ ἱστορικός*) de Marii morte citat, ex quo illas res sumpserint Seruius, Arnobius, Macrobius, praesertim cum prorsus nihil de eo praeter illum locum nobis notum sit.[1])

Pluess de Cinc. p. 28 sq. sed iam supra cum de Cinciis ageremus p. CXVI sq., non opus esse monuimus de alio Cincio aut Calpurnio cogitari quam de eis, qui ceteris locis a Dionysio laudarentur.

[1]) Is L. Calpurnius Piso, quem sub Traiano de continentia poeta-

Sed ut unde digressi sumus redeamus, maxime proprium Pisonis uidetur fuisse colorem mythicum fabulis detergere et quae cum ratione pugnare uiderentur, ita inmutare ut credibilia essent.[1]) caue tamen inde consilio eum res Romanas corrupisse censeas. nimirum erat homo ieiunus et siccus (cf. in primis fr. 8), qui careret poetico sensu et soli rationi pareret. itaque praesertim cum per Ennium Euhemerus eiusque de dis doctrina Romanis iam innotuisset[2]), et Piso quadam mentis acie praeditus esset, fieri non poterat, quin in antiquis fabulis offenderet et multa, quae in illis ferrentur, naturae legibus contraria esse intellegeret. quamquam hoc non potuit perspicere, quam infirmis fundamentis tota rerum sub regibus gestarum memoria niteretur. itaque satis habuit ex aliquot fabulis miracula remouisse et res ad uitae cottidianae similitudinem reuocasse, neque enim est cur mirere, uirum illum frugi a se inpetrare non potuisse, ut quae ipse non crederet, aliis credenda traderet.

Vt enim nunc ea sola respiciam quae sub Pisonis nomine ad nos peruenerunt, omittam quae cum magna ueri specie ad eum referri possunt, tria potissimum eius fragmenta perlustrantibus nobis occurrunt, quibus haec eius indoles animi intellegatur. primum eum artem criticam in Tarpeiae fabula exercuisse uidemus. nam cum loco sanctissimo sepulta esset et quotannis ei libaretur[3]), uulgarem famam ferri nequire animaduertit, qua patriae arcem hostibus Sabinis prodidisse dicebatur, itaque hoc nouauit, ut Tarpeiam arma Sabinorum concupiuisse et hostibus armis priuatis insidias parasse scriberet, sed 'fraude uisam agere sua ipsam peremptam mercede' (Schwegler I p. 486 sqq.). ex simili dubitatione explanandum est, quod lacum Curtium a Sabino quodam nomen inuenisse memoriae mandauit (fr. 6), qui

---

rum scripsisse dicit Merula in Enn. p. 15 sq., ab hoc effictus est. uid. Bernhardy hist. litt. Rom. p. 371.

[1]) Cf. Niebuhr h. R. I p. 240 sq. 384. II p. 10 sqq. praelect. I 29 sq. Liebaldt p. 9 sq. iniuria enim Schwegler I p. 89 hunc rationalismum, ut ita dicam, a Pisonis simplicitate abhorrere arbitratur.

[2]) cf. Vahlen quaestt. Enn. p. XCII sq.

[3]) His enim potius causis adductum Pisonem fabulam illam inmutasse censeo neque probo quod Niebuhr h. R. I p. 243 coniecit, eum noluisse unam ex popularibus ita se Romanam esse oblitam esse, ut patriam prodere animum induceret.

eodem bello, cum inter Romulum Tatiumque in foro pugnaretur, in paludem illam pulsus esset, spreuit igitur fabulam illam scite excogitatam, M. Curtium iuuenem bello egregium, cum forum specu uasto in inmensam altitudinem conlapsum esset, et quo plurimum populus Romanus posset, id illi loco dicandum esse uates cecinissent, in uoraginem illam equo insidentem se inmisisse. denique Dionysio teste (fr. 15) solus ex omnibus scriptoribus, qui ante eum fuerunt, per naturae leges non licere conputauit, ut Arruns et Lucius Tarquinii Prisci filii essent (15) et nepotes eos fuisse posuit.

Nunc ut ad fontes quibus usus sit Piso, pergamus, Dionysius (fr. 3) eum in Romuli Remique rebus Fabium Pictorem secutum esse rettulit. quibus uerbis etsi eam uim tribuendam esse uix censeam, ut necessario Piso ex Fabio haec sumpserit, tamen, nisi prorsus mentitus est Dionysius, in illis rebus consensum quendam fuisse inter Fabium et Pisonem neque in illis quidem a Pisone uulgarem famam reiectam esse sequitur. itaque quae postea adnexuit Dionysius de Romulo narrationi Fabianae (c. 84) ex eis, qui *οὐδὲν τῶν μυθωδεστέρων ἱστορικῇ γραφῇ προσήκειν* putent, non Pisonis sed alius cuiusdam scriptoris, qui etiam magis in rebus transformandis ingenii acumini indulserit, ducenda sunt. quem eundem etiam aliis locis ante oculos habuit, ut III 35, ubi de Tulli morte (fr. 13) primo Pisonem exscripsisse uidetur, tum uero eorum famam recenset, secundum quos ille non fulmine sit ictus sed cum liberis interfectus ab Anco Martio domoque incensa rumor dispersus, de coelo eum esse tactum. utut est, hic illic tantum proprio Marte Piso famam nouauit, lineamenta ueteris narrationis seruauit nec eum a more illo alios auctores transscribendi recessisse probabile est. illud unum nescio an ipse fastos monumentaque publica adierit, si quidem Liuius identidem (p. CLXXXXIII) magistratuum quorundam nomina ex illius potissimum penu deprompsit. quid? quod ne Graecorum quidem lectionis indicia apud Pisonem desse uidentur. nam Italiae nomen iam Timaeus (uid. adn. ad fr. 1), apud quem idem uocabula ab origine repetendi studium inuenimus, a uoce *ἰταλοὶ* deriuauerat.

Sed ut erat Piso uir uere Romanus, ita etiam eius annales a ciuibus multum uidentur lectitati esse. Cicero certe (de orat. II 12, 51) eum cum Pictore et Catone ut exemplar histo-

riae Romanae ponit (cf. de legg. I 2, 6) unoque loco (fr. 40) etiam sententiam quandam eius epistulis suis inseruit. etiam Varro identidem eum consuluit (fr. 1. 6. 9. 41. uid. adn. ad fr. 38). ad quem forsitan redeant etiam quae ex Pisone seruauerunt Censorinus (36. 39), Macrobius (42. 43), Arnobius (45), Tertullianus (7, in cuius librum de spectac. Varroniana per Suetonium fluxerunt cf. Sueton. Reifferscl. p. 334). Secuntur Dionysius et Liuius, quorum senis uterque locis (ille 3. 5. 14. 15. 24. 25, hic 16. 22. 23. 26. 28. 32) addito nomine Pisonem exscripsere, etiam pluribus tacite. quamquam enim Dionysius fontes suos recensens (I 7) eum post Catonem, Fabium Maximum, Valerium Antiatem, Licinium Macrum secundario loco in grege Aeliorum et Gelliorum conlocat, tamen ei in primis criticae artis initia placuisse uidentur, quam Piso in regum potissimum rebus exercuerat, ut quae ille de Tarpeia (fr. 5) et Mettio Curtio (adn. ad fr. 6) disputauerat, totus probauit et quod de Arruntis et Lucii Tarquiniorum genere excogitauerat, cupidissimo animo amplexus, ubicunque eius mentionem fecit, spreta uulgari fama eorum auum fuisse Priscum scripsit (IIII 8. 28. 31. 33. 34), eidemque debere uidetur, Collatinum non filium Egerii sed nepotem fuisse (IIII 64), Octauium Mamilium non generum Tarquinii Superbi sed generi filium (VI, 4), in proelio Regillensi non Tarquinium patrem, quippe qui tum nonagesimum annum ageret, sed Titum filium eius ex equo pugnantem uulneratum esse (VI 11 cf. Gell. fr. 19). certe eadem ratio subest. praeterea Pisonis uestigia in Dionysii archaeologia exstare in adnotatione monuimus ad fr. 12. 13. 16. 20; pluribus locis ubi ad eos Dionysius prouocat οἳ τὰ μυθώδη πάντα περιαιροῦσιν ἐκ τῆς ἱστορίας uel ἐπὶ τὸ τῇ ἀληθείᾳ μᾶλλον ἐοικὸς ἀποφαίνουσι, res ambigua est, utrum Pisonem ante se habuerit an illum alium scriptorem qui etiam plura nouauit quam quae modo commemorauimus (cf. p. CLXXXXVI). Inueniuntur autem illi loci maximam partem in quinque prioribus libris, in eis qui sequebantur minus saepe Pisonem Dionysius fontem uidetur adiisse.[1]) quod

---

[1]) Hoc enim dicere malim quam cum Kiesslingio de Dion. font. p. 36 sq. omnino neglectam esse a quinto libro Pisonis auctoritatem. pugnant non solum ei qui supra significati sunt loci libri sexti sed etiam duo fragmenta duodecimo libro a Dionysio inserta (24. 25).

idem de Liuio dici potest. nam etiam apud hunc in primis potissimum libris annalium Pisonis uestigia adparent. sed cum Dionysii animus propensus esset ad tales quales Piso mouit dubitationes, Liuio quae 'poeticis magis decora fabulis quam incorruptis rerum gestarum monumentis traderentur, ea nec adfirmare nec refellere in animo erat'.[1]) itaque quamquam propter magnam auctoritatem, qua tum florebant Pisonis annales, eos lectitauerat fidemque eorum magni aestimabat (fr. 26. 28), tamen, cum indoles annalium nimis ieiuna et exilis esset, alios duces primarios esse maluit et plerumque satis habuit ea quae apud Pisonem diuersa ab aliis scriptoribus inuenerat, breuiter adnotasse. ut fr. 16 Pisonis sententiam quasi in parenthesi adnexuit, cum antea in tenore narrationis (c. 53, 3) Fabium (fr. 13) secutus esset. fr. 23 ex Pisonis sententia primo duos tribunos plebis creatos esse rettulit, tum a. 471. 283 tres additos, antea uero, cum secessionem in montem sacrum factam exponeret (II 33, 2), statim in monte sacro quinque factos esse scripserat. I 46, 4 hoc quidem commemorauit Liuius, fuisse quibus L. Tarquinius nepos Prisci fuisse uideretur (fr. 15), postea tamen semper uulgarem sententiam amplexus non solum filium Prisci eum adpellat sed etiam Tarquinium Superbum in pugna Regillensi ipsum equum infestum in Postumium dictatorem admisisse et ab latere ictum esse narrat (II 19, 6) totusque pendet a uulgari fabulae chronologia. similiter omnibus primae decadis locis, quibus nominatim Pisonem adfert, ita loquitur, ut quasi in appendice uel in parenthesi eius uerba adnexa esse uideamus, et quae apud Liuium Pisoniana esse aliis locis conparatis scimus, eadem partim aut inserta sunt ut refellantur (uid. adn. ad fr. 15 et Liu. I 18, 2 conl. fr. 11) aut per uerba *sunt qui* extremae narrationi breuiter adspersa (adn. ad fr. 5 et 23). Quae cum ita sint, incertus haereo, num, ubi in orationis tenore Liuius consentiat cum Pisone, eum consensum ex ipso Pisone adhibito ortum dicam.[2]) horum locorum plurimos iam in adnotatione (ad fr. 6. 13. 19. 22. 25. 27)

---

[1]) Quamquam Liuius in praef. 6 hoc consilium suum fuisse de eis tantum modo rebus profitetur, quae 'ante conditam condendamue' urbem factae esse dicerentur, idem tamen cadit in maiorem librorum partem. perraro enim acri iudicio in rebus diiudicandis usus est.

[2]) Etiam Nitzsch in mus. Rhen. n. XXIII et XXIIII, ubi de Liuio

tetigimus, de uno nunc agam. in libro enim X c. 9, 9 haec habet Liuius: *itaque eam infectam rem M. Fuluius Paetus T. Manlius Torquatus noui consules* (a. 299. 455) *acceperunt. in eum annum cum Q. Fabium consulem non petentem omnes dicerent centuriae, ipsum auctorem fuisse Macer Licinius ac Tubero tradunt differendi sibi consulatus in bellicosiorem annum; eo anno maiori se usui rei publicae fore urbano gesto magistratu. ita nec dissimulantem quid mallet nec petentem tamen aedilem curulem cum L. Papirio Cursore factum.* ipse tamen continuo hos scriptores erroris redarguit, cum Piso, 'uetustior auctor', Fabium non enumerauerit in eius anni aedilibus (fr. 28). iam per se mirum est, eandem honoris repudiationem Fabio a Liuio etiam insequenti anno (c. 13, 5) tributam esse, augeturque suspicio, quod tertio quodam loco (c. 15, 9), cum iterum Fabius ab omnibus centuriis consul dictus esset nec cum Appio Claudio conlega eo munere fungi uellet, 'de se eadem fere quae priore anno dicendo abnuentem' fecit, non scripsit *prioribus annis.* sed absoluitur res c. 13, 8, quo loco, quominus quartum consul anni 297. 457 fieret inpediturus 'legem recitari iussit, qua intra decem annos eundem consulem refici non liceret'. nam, si Liuium (VIIII 40) sequeris, anno 308. 446 Fabius tertium consul fuit, undecimque anni intercessissent inter tertium quartumque consulatum (Lachmann d. f. L. I p. 73). uerum tamen ipse Liuius significauit, qua ratione hunc nodum soluamus. adnotauit enim VIIII 44, 3 (fr. 26), Pisonem consules annorum 307. 447 et 306. 448 omisisse, unde secundum Pisonem a tertio usque ad quartum Fabii consulatum nouem annos interiectos esse sequitur Liuiumque ducibus, quibus X 9 se addixerat, desertis c. 13 in rebus enarrandis ad Pisonem uel ad aliquem, qui hunc exscripserat, se conuertisse. atque haec quidem de prima decade. In tertia uno loco libri XXV (fr. 32) Piso cum Valerio Antiate citatur, praeterea nusquam eius uestigia cernuntur, neque de nostra sententia in hac decade ei est locus. idem cadit in quartam, in qua quae Polybianae narrationi inspersit Claudio Quadrigario et Valerio Antiati debet. nihilo minus in libro XXXX c. 29 (uid.

II 1—IIII 8 agit, Pisonem a Liuio adhibitum esse negat atque, ubi consentiunt, Fabium Pictorem et a Liuio et a Pisone descriptum esse opinatur.

adn. ad fr. 11) certum annalium Pisonianorum indicium exstare arbitror, quamquam sub Valerii Antiatis nomine. narrat enim ibi Liuius in narrationis tenore, cum a. 181. 573 in agro L. Petillii scribae duae arcae inuentae essent, in altera fuisse duos fasces septenos continentes libros atque eorum septem Latinos de iure pontificio, septem Graecos de disciplina sapientiae, quae illius aetatis esse potuisset. tum Antiatem Valerium adiecisse scripsit, *libros Pythagoricos fuisse, uulgatae opinioni, qua creditur Pythagorae auditorem fuisse Numam, mendacio probabili accommodata fide.* at hanc ipsam famam, quam hic ut Valerianam edidit Liuius, Pisonis fuisse ex certo Plinii testimonio compertum habemus (fr. 11), Valerium contra Plutarchus et Plinius (fr. 7. 8) rettulisse consentiunt, duodecim libros pontificales fuisse totidemque Graecos praecepta philosophiae continentes. unde, si quid uideo, necessario sequitur, Liuium hoc loco Pisone et Valerio Antiate inter se confusis Valerii Antiatis nomen scripsisse pro Pisone et antea aut Valerium secutum numerum septem librorum, qui erat Pisonis, pro duodecim posuisse aut, cum Valeriana se transscribere arbitraretur, Pisonis narrationem reddidisse.[1] sed etiam causa huius perturbationis explicari potest. nimirum Plinio teste et Piso et Valerius hanc rem, cum Numae res exponerent, ille in I, hic in II libro, rettulerant. quam ob rem, cum Liuium hos ipsos libros iterum inspicere taederet, aut eis quae excerpserat aut sola memoria temere fisus facile talem errorem committere potuit. simul uero hoc demonstrasse nobis uidemur, non esse ueri simile, Liuium hosce libros conponentem Pisonis annales ad manus habuisse, consensumque eius lib. XXXVIIII 6, 7 (uid. adn. ad fr. 34) cum Pisone sic ortum, ut Liuius exscriberet auctorem aliquem, qui Pisonem secutus erat. optio datur inter Claudium et Valerium, quibuscum etiam in libro XXV (fr. 32) Piso a Liuio consociatus est.

Nunc praetermissis Diodoro et Valerio Maximo, apud quos pertenuia Pisonis uestigia (adn. ad fr. 23. 31) sunt, pergo ad Plinium. is tredecim locis (10. 11. 13. 20. 21. 29. 30. 31. 33. 34. 35. 37. 38) sub Pisonis nomine, quem grauem auctorem dicit (fr. 38), quaedam inseruit, praeterea in libris XXVIIII et

---

[1]) Nissen *Untersuch.* p. 236 falsa Plinii scriptura deceptus rem non potuit ad liquidum perducere.

XXXVI Pisoniana delitescere uoluit.[1]) in horum enim librorum indicibus est eius nomen, cum in ipsis libris desideretur. denique Kiessling (mus. Rhen. n. XV (1860) p. 608), quod Piso in indice libri XXXIII tertius auctor sit, paragrapho uero 38. demum citetur, iam ante eam Pisonem excerptum esse ratus § 17—19 ad eum rettulit, quae prorsus consentiunt cum Pisonis uerbis a Gellio seruatis (fr. 27). Post Plinium Plutarchus semel in uita Numae (fr. 5)[2]) Pisonem nominatim adtulit et aliquot locis cum eo consentit in uitis Romuli (adnot. ad fr. 6) et Poplicolae (adn. ad 15. 16. 19). dubito tamen, num Plutarchus ipse eum inspexerit, quae est sententia Klappi (*de Plut. auct. lat.* p. 19 sq.), atque nescio an Pisonis notitiam in uita Numae et rem in uita Romuli expositam debeat Varroni (uid. *Quellen des Plutarch.* p. 156. 170). quae in Poplicolae uita cum Pisone congruunt, facile per Valerium Antiatem eo transire potuerunt, secundum quem haec uita a Plutarcho pertexta est (*Quellen d. Plut.* p. 45 sqq.).

Tum, si eius uerbis fidem habes, Pisonis annales in manibus habuit Gellius, qui unus praeter Priscianum Pisonis ipsa uerba (ex libris I. II. III) seruauit (fr. 8. 19. 27). post eum euanuere, et ne Hadriani quidem Antoninorumque aetate in eis libris fuerunt, quos illi grammatici propter uetustum dicendi genus praecipue admirarentur et amarent, nam perrara sunt exempla inde petita apud posteriores scriptores, quorum exemplorum copia tota ab Hadriani aetatis grammaticorum industria pendet. solus Priscianus in libro decimo duo fragmenta Pisonis (17. 18) ex lib. I et II proposuit. denique quae Seruius (fr. 4. 44) et scholiasta Veronensis (2) ex Pisone adtulerunt, uix quisquam ex ipso sumpta esse contendet, fortasse etiam haec redeunt ad Varronem.

---

[1]) Roth adiecit libros XII et XIIII, sed cum libri XII et XIII atque XIIII et XV (uid. Brunn *de ind. Plin.* p. 23) eundem habeant auctorum indicem et in libris XIII et XV Pisonis nomen adlatum sit (fr. 11 et 13), frustra nos in XII et XIIII Pisonis uerba quaerere consentaneum est.

[2]) Qui in uita Marii c. 45 Piso testis citatur, ei Gaio praenomen est.

C. FANNIVS[1])

Cicero in Bruto (26, 99) de duobus C. Fanniis haec protulit: *Horum aetatibus adiuncti duo C. Fannii, C. et M. filii, fuerunt; quorum Gai filius, qui consul cum Domitio fuit* (a. 122. 632), *unam orationem de sociis et nomine Latino contra C. Gracchum reliquit sane et bonam et nobilem. — praesertim cum Fannius numquam sit habitus elinguis. nam et causas defensitauit et tribunatus eius arbitrio et auctoritate P. Africani gestus non obscurus fuit. Alter autem C. Fannius, M. filius, C. Laelii gener et moribus et ipso genere dicendi durior. is soceri instituto, quem, quia cooptatus in augurum collegium non erat, non admodum diligebat, praesertim cum ille Q. Scaeuolam sibi minorem natu socerum praetulisset, — is tamen instituto Laelii Panaetium audiuit. eius omnis in dicendo facultas ex historia ipsius non ineleganter scripta perspici potest, quae neque nimis est infans neque perfecte diserta.*

In his tamen uerbis esse quae maximo opere offendant, iam dudum animaduersum est. ipse enim Cicero in epistula quadam, quam duobus annis posteaquam Brutum edidit, cum Laelium conponeret, anno 44. 710 scripsit ad Atticum (XVI 13 c), ex amico rerum Romanarum peritissimo quaerit, 'quibus consulibus C. Fannius, M a r c i f i l i u s, tribunus pl. fuerit'. uideri sibi audisse P. Africano L. Mummio censoribus. ab his autem censoribus lustrum anno 142. 612 conditum est (uid. Fischer *Zeittafeln* ad h. a.). ergo, quoniam sine dubio eundem Fannium Cicero in animo habet[2]), alterutro loco eum in patris nomine errasse se-

---

[1]) Moller, *de C. Fannio.* Altdorf 1693. qua conmentatione uti non potui.

[2]) Vix enim credet quisquam Pighio (ann. II p. 477), propter hunc locum necessario tres Fannios distinguendos esse et duos C. Fannios,

quitur. sed in Bruti uerbis errorem subesse, quem forsitan postea correxerit Cicero Attici monitu (non in epistulae uerbis, quae fuit sententia Haackhii in *Pauly Realencyklop.* III p. 421), Mommsen inscriptione quadam conparata perspexit. ita enim illa (Mommsen C. I. L. I n. 560 p. 158. Ritschl tab. LVI c): *C. Fanni M. f. cos. de sena. sen. dedit.* nam cum duo tantum modo consules C. Fannii exstarent a. 161. 593 et 122. 632, prior uero in fastis Capitolinis diceretur *C. f. C. n.*, in hoc titulo cogitari non posse ille uir doctissimus conclusit nisi de eo, qui cum Cn. Domitio Ahenobarbo anno 122. 632 consul fuisset, Ciceronem autem falso in Bruto hunc Gaio patre natum dixisse. quae suspicio inde confirmatur, quod, cum operam daret Bruto, eum propter auctorum dissensum de his Fanniis ambiguum fuisse et, priusquam res ab Attico amico expedita esset, illa scripsisse, ex ipsius litteris ad Att. XII 15, 3 (fr. 9) conperimus.

Iam haec sunt de C. Fanniis, qui illa aetate fuerint, memoriae tradita (Mommsen l. s. p. 158):

a. 146. 608[1]) C. Fannius historicus, cum Tiberius Gracchus primus Carthaginis urbis muros ascenderet, subsecutus est participsque illius laudis fuit (fr. 4).

a. 142. 612 Fannius Laelii gener in Hispania ulteriore sub Fabio Maximo Seruiliano egregie pugnauit contra Viriatum (App. Hiber. 67).

eodem anno P. Africanus L. Mummius censuram inierunt, quibus censoribus C. Fannius, M. f., tribunus plebis fuit (Cic. ad Att. XVI 13[c]). inter annos fere 129. 625 et 125. 629 Fannius, M. f., praetor[2]), ut Hyrcani legatis responsum daretur, senatum conuocauit (Ioseph. antiq. XIII 9, 2).

a. 122. 632 C. Fannius, M. f., Gaii Gracchi auctoritate consul factus (Plut. C. Gr. 11, 2) postea ab amico desciuit et contra Gracchum de sociis et nomine Latino dixit (Meyer orat. p. 200 sq.).

---

unum Marci, quem Fanniis Ciceronianis addidit, alterum Gaii filium diuersis temporibus tribunos pl. fuisse. cf. Orelli onomast. Tull. p. 250.

[1]) Qui a Polybio conmemoratus est C. Fannius legatus in oriente uersatus (XXXII 18 sq. XXXIII 6. XXXVIII 4), is uidetur consul a. 161. 593 fuisse, certe antiquior fuit hisce, de quibus nunc sermo est.

[2]) Corrigendus igitur est Bernhardy, qui (hist. litt. Rom. p. 646) Pighium secutus a. 137. 617 praetorem eum fuisse scribit.

Atque haec quidem de uita publica, de priuata C. Fannium, M. f., Laelii minorem filiam uxorem habuisse, minus tamen socero placuisse accepimus (Cic. Brut. l. s. s. et Lael. 1, 3).

Has uero res, quibuscum Krause p. 172 et Closset *essai* p. 470 commenta Pighiana miscuerunt, cum plerique ita diuisissent, ut Ciceronis Brutum secuti uni. C. filio, tribunatum et consulatum tribuerent, cetera Marci filio, Mommsen l. s. omnia, cum eidem homini optime conuenirent, ad unum C. Fannium, Marci filium, Laelii generum, referenda et Gaii filium ut subditum omnino expellendum esse probare studuit. contra quam sententiam sane perpauca sunt quae recte proferri possint. nam quod fuerunt qui negarent, eundem eodem anno (142. 612) et in Africa contra Viriatum pugnare et Romae tribunatum plebis gerere potuisse, hoc facillime ita expedietur, ut a. 142. 612 Fannium in Hispania fuisse censeamus, insequenti Romam reuersum tribunum plebis creatum esse. neque enim quidquam Cicero scribit nisi hoc uideri sibi audiuisse, Fannium P. Africano L. Mummio censoribus tribunum fuisse, quibus consulibus, ex Attico quaerit. quam ob rem cum a. 142. 612 illi uiri censuram susceperint et per dimidium annum insequentem continuauerint, etiam a. 141. 613 Fannius tribunatu pl. fungi potuit, neque opus erit ad Orellium (onom. p. 251) refugere, qui a Cicerone falso tribunatum pleb. pro militari positum esse suspicatus erat. Grauioris uero momenti uidetur esse locus quidam Ciceronis, qui est de re p. I 12, 18, ubi cum Laelio socero C. Fannius et Q. Scaeuola generi inducuntur 'docti adulescentes, aetate iam quaestorii'. illum enim sermonem de re publica Cicero habitum fingit a. 129. 625, ut, quoniam Mommsen a. fere 174. 580 Fannium suum M. f. natum esse posuit, hic uix recte dici posse uideatur adulescens et aetate quaestorius, utpote iam quadraginta quinque fere annos natus. qui tamen error non est tantus quantum a Cicerone commissum esse negemus, praesertim cum libros illos scripserit a. fere 54. 700 neque tum adcuratius eum in Fannii uel Fanniorum res inquisiuisse ex dubitatione, quae decem annis post ei mota est, intellegimus. etiam Q. Scaeuola tum iam tricesimum unum annum agebat.

Quae cum ita sint, et cum eos ipsos magistratus, quos Cicero loco Bruti s. l. Gaio Fannio Gaii filio tribuit, a Marci filio administratos esse certissimis testimoniis conuincatur, Ciceronis

uerborum illorum auctoritatem pro nihilo ducendam esse Mommseno facile concedemus neque quidquam obstare, quominus quae res optime ab uno homine geri poterant ad unum referantur.[1]) fuit igitur C. Fannius Marci filius et consularis et gener Laelii et historicus.

Apud Ciceronem autem multum cum uersantem uidemus cum Africano eiusque amicis partesque quasdam obtinentem in libris quos de re publica et de amicitia conposuit, neque dissimilis fuisse uidetur eruditione et doctrina illorum hominum, si quidem Laelii soceri instituto et philosophiae operam dedit Panaetiumque audiuit et causas defensitauit. Facultates uero Fanniorum oratorias ita distinguere Cicero conatus est, ut priorem etsi in mediocribus oratoribus, numquam tamen elinguem habitum esse diceret, unamque orationem bonam et nobilem ab eo relictam esse; alterum genere dicendi duriorem (§ 101) fuisse neque multa e philosophiae studio ad dicendum adtulisse exiguaque eloquentia floruisse (§ 118). atque haec iudicia non ita inter se discrepant, ut non facile ex eiusdem hominis orationibus deducta esse possint, praesertim cum Ciceronis aetate fuerint qui orationem illam, qua nitebatur eius de priore Fannio iudicium, quippe quae melior esset quam quae a Fannio scripta esse uideretur, ab aliis conpositam esse censerent (Brut. 26, 99 sq.).

In historia, quam latine scripsit, medium quendam Fannio locum adsignauit Cicero in Bruto (l. s. l.) satisque honorificis laudibus eum persecutus est, contra de legg. I 2, 6, ut ceteros illius aetatis rerum scriptores, ita etiam hunc idem summae exi-

---

[1]) Originem perturbationis Ciceronianae ita explicauit Mommsen: *Putarim Atticum, cum legisset apud Ciceronem de duobus Fanniis, certis argumentis allatis amici errorem conuicisse, scilicet C. Fannium Laelii generum non fuisse diuersum a C. Fannio cons. a.* 632. *iam siue ipse Atticus ita scripserat siue tacente eo de praenominibus paternis ita sibi animo informarat Cicero, non duos C. Fannios fuisse C. et M. f. Cicero sibi persuasit sed unum solum Gaium Fannium C. f. At redarguerunt id postea inuenti Fanniani libri a Bruto in compendium redacti rerumque scriptorem fuisse ostendunt non C. sed M. f. Quare denuo cum consuleret Cicero doctiorem amicum, hic uel respondit uel respondere debuit, C. Fannium fuisse cum unicum tum M., non C. f. itaque sublato ficticio illo C. Fannio C. f. rem facile expediri.* Gaii autem nomen facilius in annales irrepere potuit, nam C. Fannius cons. a. 161. 693 satis fuit notus, rerum a Marco gestarum nusquam fit mentio.

litatis insimulauit, ut, cum aliunde nihil de genere scribendi constet, incerti haereamus utrum iudicium sequamur. Grauioris momenti est quod Sallustius, iudex acerrimus, in Fannio ueritatem fuisse scripsit (Victor. I p. 57 Orell. Kritz fr. p. 4).

Inscriptionem qui ipsam adtulerunt, scripserunt annalium (fr. 1. 2. 3. 5. adn. 7), neque enim Cicero cum de Fannii 'historia' loqueretur (fr. 9 adn. 7. Brut. l. s. l.), ipsum titulum laudare uoluisse uidetur. liber annalium citatus est octauus, ita tamen ut, quid eo expositum sit, nesciamus, et ne coniecturam quidem facere liceat de librorum numero. quid? quod ne hoc quidem exploratum est, unde exorsus sit Fannius, nam quae fragmenta ad certam aliquam rem referri possunt (fr. 4. 9), omnia ad solam pertinent Gracchorum aetatem, contra annalium inscriptione res ab urbis origine repetitas esse indicari uidetur.

Denique eius mentio fit a paucis scriptoribus, primum a Cicerone (fr. 5. 6. 7. c. adn. 9). qui tamen, etsi ei Fannii annales notos fuisse non abnuerim, uereor, ne ipsi Fannio epitomen, quam confecerat M. Brutus amicus (fr. 9), praetulerit, quam multum eum in Bruto scribendo uoluisse et lectitasse ex epistulis uidemus.[1]) tum singulis locis a Charisio (fr. 2) et in scholiis Veronensibus (fr. 3), duobus a Prisciano (fr. 1. 8[2]) laudatus quidem est, sed ipse in manibus eis uix fuit. restat Plutarchus, cuius uitas Tiberii et Gaii Grachorum magnam partem redire ad Fannii auctoritatem *de Plut. font.* p. 95 sqq. suspicati sumus. quamquam unum fundamentum quo l. l. coniecturam nostram stabiliuimus, nunc subtrahendum est. tum enim Ciceronis auctoritate confisi duos Fannios distinximus, unum consulem contra Gracchum orationem habentem, alterum Laelii generum et rerum scriptorem Gaii Gracchi consiliis fauentem,

[1]) cf. ad Att. XII 5, 3 (fr. 9) *sed tu me γεωμετρικῶς refelleras, te autem nunc Brutus et Fannius*, ubi nos nunc miramur, quod epitomatorem eodem loco ponit quo eum ipsum, cuius liber in conpendium redactus est. similia autem etiam ab aliis scriptoribus antiquis facta esse uidemus.

[2]) Quamquam hoc fr. tantum sub Fannii nomine est traditum, tamen in annalium relliquiis recensere non dubitauimus. solos enim annales nouisse uidetur Priscianus, nusquam orationem eius conmemorauit, ex qua soli Cicero, Iulius Victor, Charisius quaedam seruauerunt.

atque hoc quod etiam Plutarchus in plerisque rebus totus a Gracchis stat, haud leuis momenti esse ad sententiam nostram firmandam duximus. nunc eundem Fannium et contra Gracchi legem, quam de sociis et de nomine Latino tulit, dixisse et historiam scripsisse Mommseni disputatione docti scimus. neque tamen ideo recessimus a sententia nostra. quid enim? etiamsi C. Fannius, M. f., illam legem inpugnauit, tamen cum consul esset, eum quidquam hostile contra Gaium Gracchum suscepisse nusquam scriptum inuenimus, neque, si fuit uir probus et innocens, a Graccho ad consulatum se esse promotum[1], ita non fuisse memorem eum existimabimus, ut totus in optimatium partes transiret. itaque initio quidem Gaii Gracchi amici consilia eum probasse censendum est, tum uero, cum ille nimium rerum nouarum studiosus esset, ab optimatibus inductum Gracchi partes deseruisse[2] et contra eius leges dixisse. quid? quod animo eum amico fauere non desiisse hac re mihi significari uidetur, quod illa aetate et ferebatur et credebatur, Fannii orationem non ab ipso conscriptam esse sed multos nobiles quod quisque potuisset, in illam orationem contulisse (Cic. Brut. 26, 99). quoquo tamen modo haec res se habet, in Tiberii et Gaii Gracchorum uitis loquentem nobis audire uidemur hominem, qui eorum mores et uirtutem maximo opere admiretur summoque amore amplectatur, idem etiam quam initio ingressi sunt uiam, laudet atque conprobet (Tib. 9), tum uero a recta uia deerrasse cum dolore quodam animi sentiat sed culpam auertat in socios, qui malis consiliis eos pellexerint (uid. Tib. 8, 3—4), in primis in Fuluium Flaccum, quem acerbissimo insectatur odio (Gai. 14, 3 cf. *de Plut. font.* p. 98.[3]) atqui, cum eadem mens per omnes

---

[1]) Plut. Gai. Gr. 8, 1: *Ἐνστάντων δὲ τῶν ὑπατικῶν ἀρχαιρεσίων καὶ μετεώρων ὄντων ἁπάντων ὤφθη (Γράγχος) Γάϊον Φάννιον κατάγων εἰς τὸ πεδίον καὶ συναρχαιρεσιάζων ἐκείνῳ μετὰ τῶν φίλων. τοῦτο ῥοπὴν ἤνεγκε τῷ Φαννίῳ μεγάλην.* cf. 11, 2.

[2]) Imitatus igitur est Laelium socerum, qui ipse quondam plebis inopiae opitulari in animo habuerat, *ἀντικρουσάντων δὲ τῶν δυνατῶν* hoc incepto destiterat (Plut. Tib. Gr. 8, 3), et Mucium Scaeuolam, alterum Laelii generum et consulem a. 133. 621, quem etiam inter auctores legum Tiberio fuisse Plutarchus (Tib. Gr. 9) et Cicero (acad. II 5, 13) tradunt.

[3]) Hinc cum consul esset, raro potestate sua, quamuis infestus esset

harum uitarum partes spiraret, unum potissimum ducem Plutarchum secutum esse uideri neque tamen quemquam ex ceterorum auctorum numero, quos per eas laudauit, ad primarii ducis partes obtinendas satis aptum esse ostendimus. itaque cum C. Fannius animo minime inimicus in Gracchos et ex Sallustii testimonio, qui idem fere iudicium quod Plutarchus de Gracchorum consiliis habuit (Iugurth. 31, 7. 42, 1), in annalibus suis ueritatis studiosus fuerit, narratio autem Plutarchea ex testis oculati narratione originem ducere uideatur, quidni Fannium, qui nominatim citatus est in uita Tib. c. 4, apud Plutarchum loqui dicamus? accedit quod in hisce potissimum uitis multas orationes insertas inuenimus, idem uero etiam Fannium fecisse ex Cicerone (fr. 5) conperimus. neque enim adsentior P. Boehmio (*Beiträge zur Geschichte der Gracchen*, progr. Putb. 1868 p. 5), qui praeter Fannium etiam ipsas Tiberii et Gaii Gracchorum orationes Plutarchum ante oculos habuisse opinatus est. nimirum illae etiam in Fannii annales receptae erant, et, si recte Plutarchum noui, prorsus abhorrebat ab eius consuetudine, ut ultra auctorem, quem describeret, ad eius fontes descenderet. quamquam non nego, eum etiam in hisce libris ducis primarii narrationi quaedam (ut Tib. 8, 3—5. Gai. 13) ex excerptorum larga penu inspersisse. cf. supra p. CLXXXV.

---

animo senatus in Gaium Gracchum, in illum usus est, atque cum edicto socios ex urbe pelleret, diserte addidit Plutarchus (c. 12, 1) inpulsum eum esse a senatu: *ὄχλον δὲ πανταχόθεν αὐτῷ συνιόντος ἔπεισεν ἡ βουλὴ τὸν ὕπατον Φάννιον ἐκβαλεῖν τοὺς ἄλλους πλὴν Ῥωμαίων ἅπαντας.* — Addo etiam hoc, in his potissimum Plutarchi uitis multa esse quae ex sermone Latino uersa esse uideantur.

VENNONIVS

Cicero ubi Atticum historicos Latinos recensentem facit (de legg. I 2, 6) post Catonem, Pisonem, Fannium ante Antipatrum et Asellionem adfert Vennonium quendam: *Nam post annales pontificum maximorum, quibus nihil potest esse iniucundius, si aut ad Fabium, aut ad eum qui tibi semper in ore est, Catonem aut ad Pisonem aut ad Fannium aut ad Vennonium uenias, quamquam ex his alius alio plus habet uirium, tamen quid tam exile quam isti omnes?* eiusdemque historiam se desiderare a. 46. 708 in epistulis ad Atticum datis (XII 3, 1) conqueritur. Solus tamen ex eo aliquid seruauit Dionysius, ex quo regum res ab eo enarratas esse discimus.[1]) praeterea nihil omnino de eo accepimus.

---

[1]) Hoc loco uulgo Vennonio fides quae maior esset Fabiana et Catoniana tribuebatur, nunc secundum optimorum librorum scripturam haec laus ad Catonem translata est.

C. SEMPRONIVS TVDITANVS

'C. Sempronius C. f. C. n. Tuditanus a. DCXXIV [129. 625 aer. Varron.] cos. de Iapudibus k. Oct.' secundum acta triumphalia Capitolina (p. 459 Momms.) triumphauit. Gaius pater (gente oriundus quae tum erat plebeia) in decem legatis fuit, qui Corintho euersa ut Achaiam in prouinciae formam redigerent, ad Mummium consulem missi sunt, et a Cicerone diu cum filio confusus est, donec Atticus identidem de ea re consultus, quod nimis adulescens ad legati munus esse uideretur (ad Att. XIII 30, 3. 31, 3. 33, 3), ei dubitationem exemit (ad Att. XIII 6, 4). de hoc uero Tuditano cum quaereret Cicero, conplures fontes adiisse uidetur, in quibus quae inuenerat, per epistulas suas exprompsit, ut inde a. 145. 609 quaesturam (l. s. 4, 1), P. Popillio P. Rupilio cos. a. 132. 622 praeturam eum administrasse egitimisque annis curules magistratus perfacile cepisse cognoscamus (l. s. 32, 3) atque natum eum esse anno fere 176. 578 conligamus. sed quae in quaestura aut in tribunatu gesserit, nobis non est traditum. Tum a. 129. 625 cum M.' Aquilio consulatum est adeptus (Fischer *Zeittafeln* a. h. a.) et, cum conlega ad Aristonici belli relliquias conficiendas in Asiam abiret, ipse in urbe remansit. neque tamen illa aetate, cum partium certamen Tiberii Gracchi nece uix sedatum denuo oriretur, utram partem ipse sequeretur, certus uidetur fuisse. quam ob rem, posteaquam socii de tribus uiris, qui agros ex Ti. Gracchi lege diuiderent, Romae conquesti sunt et P. Scipionis auctoritate, qui eorum causam susceperat, id effecerunt, ut ex senatus consulto Tuditanus consul, qui controuersias dirimeret, mitteretur, ipse, quem laboris difficillimi et molestissimi taederet, Roma relicta in Illyriam profectus est (App. b. c. I 19). ibi domuit Histros[1])

---

[1]) Plinius n. h. III 129 *Tuditanus, qui domuit Histros, in statua sua ibi*

atque etsi 'aduersus Iapudas primo male rem gessit, mox uictoria cladem acceptam emendauit uirtute D. Iunii Bruti, eius qui Lusitaniam subegerat' (Liu. perioch. LVIIII) et, quamquam Iapudes postea iterum defecerunt (App. Illyr. 19), triumphi honore dignatus est. de relicua eius uita nihil accepimus. sed 'cum omni uita atque uictu excultum atque expolitum, tum eius elegantem esse habitum etiam orationis genus' scribit Cicero in Bruto (25, 95). Vnde quoniam litterarum eum studiosum fuisse constat, nihil obstat, quominus ad eum eas historiarum relliquias referamus, quae sub C. Sempronii aut sub Tuditani nomine ad nos propagatae sunt.

Sed nec quo modo libros inscripserit nec quot libris res enarrauerit, nouimus. quamquam apud Krausium quidem tertium decimum librum laudatum inuenies (fr. 3). at libri mss. Pliniani locum illum sic exhibent: *Tuditanus XIII* aut *Tuditanus tertio decimo*. quam scripturam si sequaris, quotnam libri Numae ex Tuditani sententia fuerint, requires, cum ex ceteris annalibus eorum librorum numerum addiderit Plinius. proinde ne Tuditani annalium librum illo numero significatum esse censeas, sed Numae librorum numerum atque sic scribas: *Hoc idem tradit Piso Censorius primo conmentariorum, sed libros septem iuris pontificii totidemque Pythagoricos fuisse, Tuditanus quattuordecim Numae decretorum fuisse*. qua re omnis tollitur dubitatio.

Initium autem Tuditanus fecit a rebus Italiae antiquissimis, si quidem fr. 1 de Aboriginibus eorumque origine Graeca agitur, minimumque usque ad triumphum Quinctii Flaminini de Philippo a. 194. 560 habitum descendit, ut ex more historicorum illorum omnes res a populo Romano gestas annalibus suis conplecti uoluisse uideatur. quae ex eis relliquiae ad nos peruenerunt, perexiguae sunt, neque ullum fragmentum ad uerbum descriptum est. patrio tamen eum sermone usum esse ueri simile est.

Praeter annales autem idem Tuditanus Macrobio teste (fr. 7) de magistratibus libros minimum tres conposuit[1]), atque nescio an etiam M. Messalla augur, cum de auspiciis ageret, eun-

---

inscripsit: '*Ab Aquileia ad Tityum flumen stad. M.*' nisi forte minus adcurate Plinius Histros pro Iapudibus posuit.

[1]) Ad isagogas hunc librum pertinere suspicatur Mercklin *die isagogischen Schriften der Römer* in Philol. IIII p. 425.

dem librum ante oculos habuerit (fr. 8). certe quae ex Tuditani commentario tertio decimo apud Gellium protulit, facilius in tali libro quam in historiis exstare poterant, atque inscriptio commentariorum in utriusque argumenti librum quadrat.[1]) magna igitur cum diligentia in res Romanas inquisiuisse uidetur neque sane fieri potuit, quin ex hoc studio aliquid ad historiam redundaret. a Dionysio quidem una cum Catone in eorum numero ponitur, qui *οἱ λογιώτατοι τῶν Ῥωμαίων συγγραφέων* ab eo adpellantur (fr. 1). Eo magis mirum est, quod perraro laudatus est, singulis tantum modo locis a Dionysio (fr. 1), qui forsitan etiam alio loco eundem transscripserit (adnot. ad fr. 2), Plinio (3)[2]), Asconio (4), Plutarcho (6), ubi eius nomen coniectura nititur[3]), Gellio (fr. 5), Macrobio (2), nisi etiam hic locus libris, qui sunt de magistratibus, adsignandus est. quae alii scriptores ita exposuerunt, ut cum Tuditano consentiant (cf. adnot. ad fr. 4. 5. 6. 8), non sunt ita conparata, ut necessario eum transscriptum esse existimandum sit.

---

[1]) Inter hunc Sempronium Tuditanum et Sempronium Asellionem uix controuersia erit de fragmentis, quae est sententia Krausii (p. 178), quoniam, ut alias dubitationes taceam, uno loco Dionysii excepto, quo Sempronium adfert auctorem rei modo secundum Gaium Sempronium (Tuditanum) narratae, hic semper aut C. Sempronius aut Tuditanus adpellatur, Asellionis relliquiae omnes sub Asellionis nomine seruatae sunt.

[2]) Roth etiam in libro XII eius uerba latere adfirmauit, at libris XII et XIII, in quo Tuditanus nominatim citatus est, eundem indicem auctorum habere non uidit.

[3]) Non habebit tamen me refragantem, si quis, cum Tuditanus nusquam a Plutarcho laudatus, Liuius autem multum in Flaminini uita adhibitus sit (*de font. Plut.* p. 82) atque easdem fere pecuniae summas indicauerit quas Plutarchus, librorum scripturam *οἱ περὶ τὸν ἰτανὸν* uel *οἱ περὶ τουιτανὸν* mutauerit sic: *οἱ περὶ τὸν Τίτον*, intellegens Titum Liuium, qui etiam Sull. 6 sic citatus est a Plutarcho.

L. COELIUS ANTIPATER[1])

Prorsus nouam uiam in historia scribenda, cum res non modo narraret sed etiam exornaret, ingressum esse L. Coelium Antipatrum identidem Cicero praedicauit, qui, ubicunque sermo in eum incidit, eius historiam laudauit atque conprobauit. illos, qui ante eum in annalibus conficiendis uersati essent, solam rem tenuisse, uerba minus curasse, hunc arte quadam et ratione uerba et elegisse et conlocasse primumque se erexisse et historiae maiorem uocis sonum addidisse. sed quae fuerint ex Ciceronis opinione uirtutes eius, qui, ut breui dicam, primus apud Romanos rhetorice historiam scripsit, infra explicabimus. antea quae de eius aetate memoriae prodita sunt conligemus. quamquam sunt perpauca. atque Cicero quidem duobus locis (de legg. I 2, 6 et

---

1) B. A. Nauta et G. Groen van Prinsterer a. 1821 ex quaestione litteraria, quae a facultate Lugd. Bat. proposita erat *de L. Coelio Antipatro historico belli Punici secundi,* tam diligenter et adcurate egerunt, ut utriusque conmentarius annalibus acad. Lugd. Bat. a. 1821 insertus praemio dignus esse iudicaretur. a quibus libris, quamquam Nauta in fragmentis ad res gestas referendis nimis ingenio suo indulsit, ut aliquot eius coniecturas repetere inutile uisum sit, tamen in plerisque rebus etiam nunc proficiscendum est. Tum hanc de Coelio quaestionem retractauit O. Meltzer *de L. Coelio Antipatro belli Punici secundi scriptore* Lipsiae 1867, qui quaedam correxit, quaedam addidit, in fragmentis tamen disponendis in uniuersum Krausio se addixit.

In nomine Coelii scribendo, cum in talibus rebus libri mss. uix magnum momentum habeant, secutus sum titulorum lapidibus uel aeri incisorum auctoritatem. ex decem enim locis, in quibus hoc nomen in Mommseni C. I. L. uol. I exstat, unus incertae aetatis exhibet *Caelius* (n. 845), alter (n. 844) *Kailius,* ceteri (n. 270. 382. 479. 571. 641. 858. 1125) *Coelius* uel *Coilius*, in quibus numus (382) est cusus a. 109. 645, inscriptiones lapidi incisae a. 94. 660 (n. 571) et a. fere 54. 700 (n. 479. 641). unde Antipatri historici aetate Caelii formam iam Coelio cessisse sequitur.

de orat. II 12, 52), quibus de historicis Latinis loquitur, eum post Pisonem (trib. pl. 149. 605. cons. 133. 621) recenset, uno (Bruti 26, 102) ante eum. in quo loco uiri docti cum offenderent, neglexerunt, Pisonem non in ipso oratorum ordine a Cicerone adlatum esse, sed, cum iam usque ad Carbonem descendisset et, ut cur Carbone forum tenente plura iudicia fieri coepissent explicaretur, quaestiones perpetuas (quae illo adulescente a Pisone institutae essent) conmemorasset, quasi in parenthesi etiam orationis Pisonis et annalium mentionem adiectam esse (27, 106). sed cum reliquis Ciceronis locis egregie conuenit, quod in ipso Bruto Coelius Fannium (cos. a. 122. 632) excipit idemque de legg. l. l. aetate Fannii, quem modo una cum Catone, Pisone, Vennonio nominauerat, coniunctus fuisse dicitur. fac igitur eum natum esse eodem fere quo Fannium anno, 174. 580[1]), uel paucis annis post: nihil cum hac sententia pugnabit, immo optime consentient uerba quaecunque omnino de Coelio prodita sunt. ita enim, quod Cicero in Brut. l. s. scripsit, et magister et familiaris L. Crassi esse potuit, qui anno fere 140. 614 natus est (Drumann V p. 62), et consuetudine uti Gaii Gracchi (fr. 50), qui anno 153. 601 natus est, illo tamen minor natu fuit, si quidem Coelius in eorum numero in Bruto positus est, de quibus ut de senioribus se ante Carbonem et Gracchos dicturum esse Cicero professus erat (25, 96[2]). utique historias edidit post C. Gracchi mortem, cum aperte de eo ut de mortuo locutus sit (fr. 50), et ante Asellionem, quem ei successisse Cicero scripsit (de legg. l. s.).

De ipso autem Coelio perpauca comperta habemus. fuit igitur oriundus gente plebeia illa quidem sed nobili.[3]) nam quod fuerunt qui eum propter Antipatri cognomen ad libertinos de-

---

[1]) Ad eundem annum etiam Meltzer p. 6 peruenit aliunde in ratiocinando profectus.

[2]) Mitto locos leuioris momenti, ut Vell. II 9, 4, ubi Coelius 'Sisenna uetustior' dicitur, uel Pompon. de orig. iur. I 2, 40 p. 4 Momms., ubi in eis qui profecti sint a P. Mucio et Bruto et Manilio, propter iuris scientiam positus est.

[3]) In magistratibus illius aetatis L. Coelii Antipatri nomen nusquam inuenitur. quod Closset p. 475 eum uergente saeculo urbis sexto natum esse et a. 137. 617 quaesturam administrasse adfirmauit, temere credidit Pighii coniecturae.

truderent, inmemores loci illius Suetoniani fuerunt, quo primum omnium libertinorum L. Voltacilium Plotum Cn. Pompeii Magni magistrum historiam scribere orsum esse ex Nepote discimus 'non nisi ab honestissimo scribi solitam ad id tempus' (cf. p. LII). aut quis illa aetate libertinum in foro uersatum esse credat? nam Coelius in Bruto propter eloquentiam et artem oratoriam locum aliquem obtinet. denique idem docuit iuris scientiam et cum alios tum L. Crassum discipulos habuit (Brut. l. s. l.[1]): at quis ob eam rem, ut unum adferam, P. Mucium Scaeuolam augurem ex hominum ingenuorum ordine eiciat? Ita uero simul tetigimus, quibus studiis Coelius animum excoluerit. quod si ex frequenti Sileni, scriptoris Graeci, usu Graecae linguae eum non ignarum fuisse intellexeris iurisque ita peritum, ut Cicero quidem orator magnas ei in Bruto adtribueret laudes, Pomponius tamen ut homo iuris consultus, plus eum eloquentiae quam iuris scientiae operam dedisse iudicaret (Meltzer p. 9): habebis qua doctrina instructus ad historiam scribendam se conuerterit.

Quaeritur autem, quamnam rerum Romanarum partem historia sua inlustrandam susceperit. qua in quaestione iterum proficiscendum est a Cicerone. is enim orat. 69, 229 (fr. 1) scripsit Antipatrum in prooemio belli Punici negasse nisi necessario uerba se aperte traiecturum esse, quo melius aut caderet aut uolueretur oratio. unde quoniam, antequam ad ipsam rem adgrederetur, Coelium illud de genere scribendi professum esse manifestum est (Prinsterer p. 13), relicta eum ceterorum historicorum uia, qui res Romanas ab urbis origine repetere solerent, solum bellum Punicum persecutum esse sequitur. quod tamen Cicero, cum tunc Coelii historiae in multorum manibus essent, adcuratius exprimere opus non esse duxit, hoc ex ipsis relliquiis ita supplere licet, ut solum bellum Punicum secundum tractatum esse dicamus. hoc enim, ut certissima tantum argumenta adferam, iam primo libro continebatur, quo et Sagunti urbis mentionem fecerat (fr. 10) et a Sempronio consule a. 218. 536 ce-

[1]) Caue tamen Coelium Crasso fuisse existimes studii iuris ciuilis domi eum et hortatorem et magistrum, qui significatur a Cicerone de orat. I 55, 234. is fuit C. Aculeo, id quod recte monuit Meltzer p. 8. cf. de orat. I 43, 191. II 1, 2.

locem in Africam missam esse narrauerat, ut uiseret locum, ubi exercitum exponeret (fr. 12). quis igitur, cum ceteri alterius belli anni septem libros explerent, et totum primum bellum Punicum et secundi primos annos uno libro absoluta esse credat? accedit quod fragmenta pleraque ad alterius belli certas quasdam res pertinent, nullum ad primum. quae si concessa erunt, tertii belli uix quisquam patronus existet, praesertim cum ne huius quidem ullum uestigium in relliquiis Coelianis cernatur.

Verum tamen exstant fragmenta quaedam (49. 50. 52. 53. 56[1]), quae ad res non solum extra belli Punici alterius sed etiam omnium trium fines positas pertineant. haec uero causa fuit Lachmanno (II p. 20) et Krausio p. 184, ut usque ad suam aetatem eum res deduxisse censerent, Pluessio (de Cinc. p. 48), ut eum praeter belli Punici historiam prouectiorem aetate rerum Romanarum annales scripsisse suspicaretur. at neutros uerum uidisse dico. neque enim quidquam obstat, quominus quae modo conmemorauimus fragmenta, locum habuerint in belli Hannibalici enarratione. ut quae Coelius exposuit de Capuae urbis origine (fr. 52) aut de Petiliae urbis natura (fr. 53), quidni haec adiecerit in rebus, quae ad illas urbes pertinentes bello Hannibalico gestae sunt, persequendis? uid. adnot. ad 53. similiter enim etiam libro V belli Hannibalici de loco quodam Tarenti, unde nomen inuenisset, egit (fr. 35). et se uidisse qui Africam circumnauigasset (fr. 56), id poterat in Africae natura describenda addere. denique restant duo somnia, unum T. Latinii ex anno 490. 264 (fr. 49), alterum C. Gracchi (fr. 50). quae, ut fuit Coelius perstudiosus somnia, portenta, alia miracula inserendi (uid. infr. p. CCXXII), facile per digressionem, ut quae bello Hannibalico somnia uisa essent, confirmaret, proferre potuit (Meltzer p. 12). his autem argumentis simul cadit Pluessii coniectura, quae etiam minus placet: nam fragmenta illa, de quibus ambigi possit, unde decerpta sint, a Cicerone, Plinio, Seruio seruata, cum eidem scriptores alia quaedam ex Coelio de bello Punicto radiderint, uix credibile est sine distinctione aliunde sumpta esse, neque Dionysius huius scriptoris satis clari, quem

[1]) Quae fragmenta praeter ea, quae supra indicauimus, apud alios huc relata inuenies, ea non sunt Coelii.

si antiquitatem Romanam perscripsisset uix silentio praeterire potuit, usquam mentionem iniecit.

Inscriptio libri incerta est, nam nec quae a Gellio, Charisio, Seruio, Prisciano, Pomponio citata est historiarum, nec quae a Nonio annalium, ad hoc argumentum satis apta esse existimabitur, nisi ex Cicerone (fr. 1) *belli Punici alterius* adieceris. etiam illud facile in titulo conmemorari potuit, historias — huc enim maior testium et numerus et grauitas trahit — ad C. Laelium[1]) missas esse, de qua quidem re a Cicerone (fr. 1) certiores facti sumus. unde haec forsitan inscriptio euadat *L. Coelii Antipatri belli Punici alterius historiae ad C. Laelium.*

Libri septem laudati sunt neque plures fuisse uidentur, quoniam libro septimo iam ad proelium quoddam a. 203. 551 conmissum Coelius descenderat, quod etiam Liuius in eodem libro, quo toti bello finem inposuit, narrauit (fr. 44)[2]). Vt uero singulorum librorum, quoad fieri poterit, breuiter argumenta distribuamus, primum prooemio de sermonis genere, quo usurus esset, rhetorum more exposuit et fortasse, si recte Roth de fr. 2 iudicauit, de fontibus a se adhibitis. num deinde quaedam, quem ad modum Polybius, de primo bello et de rebus ante bellum Hannibalicum gestis praefatus sit, discerni non potest. sed finem libro inposuit cum clade ipsa Cannensi (fr. 22). quae post eam in castris Punicis facta sunt, iam pertinebant ad alterum (25). libro tertio forsitan iam peruenerit oratio usque ad pugnam Senensem (30), sexto usque ad Scipionis aduentum in Africam (41), denique septimo ad belli exitum.

Magno opere tamen dolendum est, quod, quamquam de multis rebus quid Coelius tradiderit, accepimus, ipsa uerba Coeliana

---

1) Popma et post eum Vossius, Nauta, Krause, Orelli onom. p. 112, alii pro *Laelio* apud Ciceronem substituerunt L. Aelii nomen. sed primum in Laelii nomine omnino nihil offensionis inest, immo habet quo conmendetur, cum Laelius eius uiri, qui bellum confecit, intima familiaritate usus sit, quare Coelius certam causam habuit ad hunc potissimum librum suum mittendi. tum siue L. Aelius Stilo Praeconinus Varronis Ciceronisque magister a. 134. 620 (van Heusde, *de Ael. Stil.* p. 35) natus est, siue quindecim fere annis ante (Ritschl, *parerg.* p. 239), utique parum probabile est Coelium ad eum, qui uiginti fere annis minor esset, historias misisse.

2) Ne incerta cum certis miscerem, consilio fr. 46 Carthaginem significatam uideri omisi.

perpauca breuesque sententiae exstant, ut de genere dicendi acquiescendum fere sit eis quae Cicero proposuit. qui scriptor uereor ne, ut de prioribus iniquius existimauit, ita huius nimius laudator fuerit. hac enim opinione ducebatur Cicero, ut oratoris munus esse historiam censeret ab oratoribus secundum rhetorum praecepta scribendam. quam ob rem facile accidere ei potuit, ut hunc, in quo eius, quam animo informauerat, historiae primordia inuenisse sibi uisus erat, inmerito laudaret. sed ipsa Ciceronis iudicia, quibus addas fr. 1, adscribamus. sunt haec de legg. I 2, 6: *Fannii aetate coniunctus Antipater paulo inflauit uehementius habuitque uires agrestis ille quidem atque horridas, sine nitore ac palaestra, sed tamen admonere reliquos potuit, ut adcuratius scriberent.* de orat. II 12, 54: *Paullulum se erexit et addidit historiae maiorem sonum uocis uir optimus, Crassi familiaris, Antipater. ceteri non exornatores rerum sed tantum modo narratores fuerunt. Est, inquit Catulus, ut dicis, sed iste ipse Coelius neque distinxit historiam uarietate locorum neque uerborum collocatione et tractu orationis leni et aequabili perpoliuit illud opus; sed ut homo neque doctus neque maxime aptus ad dicendum, sicut potuit, dolauit; uicit tamen, ut dicis, superiores.* Brut. 26, 102: *L. Coelius Antipater scriptor, quem ad modum uidetis, fuit ut illis temporibus luculentus.* Accedant ad haece Ciceronis duo Frontonis iudicia, quorum uno (ad Ver. I 1 p. 114 uid. p. CLXXXXVIIII) Catonem multiiugis, Coelium singulis uerbis historiam scripsisse ait, altero (ad M. Caes. IIII 3 p. 63) in eo ueterum scriptorum numero, qui uerba 'industriosius quaesiuissent' etiam L. Coelium [1]) posuit eumque quod studiose Ennium aemulatus esset laudauit.

Atque haec quidem hactenus de eius genere scribendi, nam in tanta uerborum Coelianorum paucitate [2]) ipsum de ea re iudicium facere temerarii est. illud unum adicere possumus, a Coelio primum, ut uidetur [3]), orationes fictas de historicorum

---

[1]) Hunc L. Coelium Naber in indice p. 269 poetam uix recte dixerit.

[2]) Vix enim apud Ciceronem ipsum Coelium in paucis uerbis inmutatum legimus, quod sibi persuasit Meltzer p. 43.

[3]) Qua ratione Fannius quas inseruit annalibus orationes tractauerit, parum constat. utique Cicero eius historias multo postposuit Coelio.

Graecorum more rerum narrationi interpositas esse. id quod a Cicerone silentio praetermissum esse, eo magis miramur, quod ei illud sine dubio uehementer placuit. quamquam dixerit quispiam, iam in Catonis originibus multas orationes exstitisse eiusque exemplum imitatum esse Coelium. at res longe diuersa est. Cato enim eas tantum modo quas ipse dixerat orationes, ut rerum quasi monumenta essent, in origines suas receperat, Coelius uero in annalibus suis etiam Poenos loquentes et Romanos uel Poenos inter se in senatu uerbis certantes induxerat (fr. 5. 9. 16. 26. 47), quas orationes, cum ornamentis et luminibus historiam inlustrare uellet, ipsum conmentum esse uix quisquam negabit. quid? quod nescio an earum orationum summae quae apud Liuium libri XXI initio leguntur neque ex Polybio originem ducunt, ad ipsius Coelii artem reuocandae sint. neque enim Liuius quas inseruit orationes omnes totas suo ingenio suaeque inuentioni debebat. cf. e. c. Scipionis Hannibalisque orationes ante pugnam Zamensem habitas apud Liuium XXX 29—31 et Polybium XV 5 sqq. Scipionis post seditionem militum in Hispania motam apud Liu. XXVIII 27—29, 8 et Polyb. XI 28—29. Eumenis Rhodiorumque apud Liu. XXXVII 53—54 et Polyb. XXII 2—6. Lachmann d. f. Liu. II p. 115. Nissen, *Untersuchungen* p. 27. 92. uidetur autem Coelius adiutus esse in hoc suo consilio ea re quod Silenus, quem primarium auctorem ei fuisse mox ostendemus, minime parcus in orationibus inserendis fuit. uide quae Polybius III 20 Chaereae et Sosilo exprobrat, quae etiam in Silenum dicta esse uideantur[1]): *Οἱ δὲ Ῥωμαῖοι προσπεπτωκυίας αὐτοῖς ἤδη τῆς τῶν Ζακανθαίων ἁλώσεως, οὐ μὰ Δία περὶ τοῦ πολέμου τότε διαβούλιον ἦγον, καθάπερ ἔνιοι τῶν συγγραφέων φασί, προςκατατάττοντες ἔτι καὶ τοὺς εἰς ἑκάτερα ῥηθέντας λόγους, πάντων ἀτοπώτατον πρᾶγμα ποιοῦντες. — πρὸς μὲν οὖν τὰ τοιαῦτα τῶν συγγραμμάτων οἷα γράφει Χαιρέας καὶ Σωσύλος οὐδὲν ἂν δέοι πλέον λέγειν. οὐ γὰρ ἱστορίας ἀλλὰ κουρεακῆς καὶ πανδήμου λαλιᾶς ἔμοιγε δοκοῦσι τάξιν ἔχειν καὶ δύναμιν.*

Quoniam hisce uerbis Coelii scribendi uirtutes exposuimus, nunc pergimus ad fidem eius historicam examinandam et aesti-

---

1) G. Bujack, *de Sileno scriptore Hannibalis.* Regim. 1859. p. 5. 14. 18.

mandam. quae quaestio in illis rerum scriptoribus tota pendet ab auctoribus, qui ab eis in usum uocati esse uideantur. Coelius uero pollicitus erat se 'ex scriptis eorum qui ueri arbitrantur' (fr. 2) hausturum esse, neque eum in uno fonte exscribendo acquieuisse ex Liuio (fr. 29) discimus, qui de Marcelli morte triplicem gestae rei ordinem ab eo editam certiores nos fecit, unam traditam fama, alteram scriptam laudatione filii, qui rei gestae interfuisset, tertiam quam ipse pro inquisita ac sibi comperta adtulisset. quibus uerbis hercle haud exigua ut illis temporibus ei tribuitur diligentia et industria, ut per se credibile sit, clarissimos scriptores, qui antea bellum Hannibalicum scripsere, ei haud ignotos fuisse. ac de Catone quidem id constat. etenim quod post uictoriam Cannensem Maharbal Hannibali dedit consilium Gellio teste paene ad uerbum secundum Catonem narrauerat (fr. 25 c. adn.)[1]. etiam Fabius (fr. 49) ita a Cicerone cum Coelio consociatur, ut si non ipsum nomen Fabii apud Coelium at consensum tamen quendam inter eos Cicero inuenisse uideatur. quid? quod, quoniam in ea libr. XXI et XXII parte, quae non uersa est ex Polybio, Liuio Coelium potissimum ducem fuisse infra uidebimus, hac autem Fabiana belli gerendi ratio summis laudibus ultra ueritatem celebratur, aduersariorum consiliis obtrectatur, certe ueri simile est, Fabiana lectione eum ad hanc de rebus illius aetatis Romanis sententiam perductum esse.[2] Primarium tamen inter eius fontes locum obtinet etiam S i l e n u s Siculus (cf. Bujack p. 2). is enim res ab Hannibale gestas Graece memoriae prodiderat, quibus ipse interfuerat. nam et illum et Sosilum Lacedaemonium in Hannibalis castris uixisse, quamdiu fortuna passa esset, conperimus ex Cornelio Nepote (uit. Hann. 13, 3). atque Sosilo quidem Hannibalem litterarum Graecarum doctore usum esse idem adiecit, ut Silenum secum haberet ea una causa uidetur adductus esse, quod res gestas ab eo describi uolebat, imitatus Alexandrum Magnum, qui non so-

---

[1]) Vis tamen uerborum Catonianorum inminuta est a Coelio.

[2]) Falso Nauta p. 16 et Krause p. 186 M. Fuluii Nobilioris fastos in fontibus a Coelio adhibitis enumerauerunt, nisi loco quodam Charisii (I p. 112 P. 138 H.). qui quamquam nondum sanatus est, tamen hoc constat, Coelii nomen nulla auctoritate a Fabricio intrusum esse. uid. Keilii adnot. a. h. l.

lum ipse res gerere sed etiam gestas a uirtutis suae praeconibus inlustrari cupiuerat. ex his uero satis adparet, ita ab eo Hannibalis uel uitam uel bellum enarratum esse, ut totus ab Hannibale staret. quin etiam usque eo uestigia eorum, qui Alexandri res scriptis ornauerant, pressisse uidentur Sosilus et Silenus, quibus tertium adiungere licet Polybio auctore (uid. l. s. l.) Chaeream, ut, quemadmodum illi, ita ipsi quoque, cum quasi heroem ducem suum in praecipua deorum tutela uideri fuisse uellent, somnia, portenta, prodigia fingerent, quibus illius aut res adiutae essent aut magnitudo significata. haec enim causa fuit Chareti, Alexandri rerum scriptori, ut ab Hercule, Apolline, Satyro identidem somniis Alexandro Tyri expugnationem praedictam esse ementiretur (Plut. Alex. 24. Geier *de Alex. M. rer. script.* p. 294 sq.)[1], eadem Sileno, ut Hannibalem, cum Saguntum cepisset, in somnis a Ioue in deorum concilium uocari uisum esse scriberet; quo cum uenisset, Iouem imperauisse, ut Italiae bellum inferret, ducemque ei dedisse unum e concilio, iuuenem diuina specie, quem sequeretur (uid. Coel. fr. 11 c. adn.). quibus expositis nemo, opinor, dubitabit, quin ad Silenum eiusque similes scriptores referenda sint quae dicit Polybius III 47, 6: *Ἔνιοι δὲ τῶν γεγραφότων περὶ τῆς ὑπερβολῆς* (Alpium) *ταύτης, βουλόμενοι τοὺς ἀναγιγνώσκοντας ἐκπλήττειν τῇ περὶ τῶν προειρημένων τόπων παραδοξολογίᾳ, λανθάνουσιν ἐκπίπτοντες εἰς δύο τὰ πάσης ἱστορίας ἀλλοτριώτατα. καὶ γὰρ ψευδολογεῖν καὶ μαχόμενα γράφειν αὐτοῖς ἀναγκάζονται. ἅμα μὲν γὰρ τὸν Ἀννίβαν ἀμίμητόν τινα παρεισάγοντες στρατηγὸν καὶ τόλμῃ καὶ προνοίᾳ τοῦτον ὁμολογουμένως ἀποδεικνύουσιν ἡμῖν ἀλογιστότατον, ἅμα δὲ καταστροφὴν οὐ δυνάμενοι λαμβάνειν οὐδ᾽ ἔξοδον τοῦ ψεύδους θεοὺς καὶ θεῶν παῖδας εἰς πραγματικὴν ἱστορίαν παρεισάγουσιν.* et c. 48, 7 — *ἥρωά τινά φασιν ἐπιφανέντα συνυποδεῖξαι τὰς ὁδοὺς αὐτοῖς.* neque minus acerbe de Sileno iudicauit Dionysius Halicarnasensis (archaeol. I 6), cum neque diligenter et ex fortuitis sermonibus res eum scripsisse diceret. quod iudicium quamquam ex nimio, quo Hannibalem amplexus est, studio facile explicari et conprobari potest, tamen etiam hoc

---

[1]) Infra similem uiam Sullam in commentariis ingressum esse uidebis.

addendum est, idem eodem loco a Dionysio crimini uersum esse Polybio (ὧν ἕκαστος — Antigonus, Polybius, Silenus — *ὀλίγα καὶ οὐδὲ αὐτὰ διεσπουδασμένως οὐδὲ ἀκριβῶς ἀλλ' ἐκ τῶν ἐπιτυχόντων ἀκουσμάτων συνθεὶς συνέγραψεν*). sed quod Cicero diligentissime Silenum persecutum esse res Hannibalis scripsit, caue cum Dionysio eum pugnare existimes. recte enim Nipperdey (praef. ad Corn. Nep. ed. mai. p. XXVII) nihil aliud ea uoce nisi *maxime copiose et fuse* dictum esse monuit.

Quae autem modo propria fuisse Sileni disputauimus, magnam partem ea redeunt apud Coelium Antipatrum. At concedi posse negabis, hunc hominem Romanum secutum esse scriptorem, quem in hostis patrii laudem scripsisse uix quemquam fugere posset. recte id quidem. sed etiam maius in Coelio fuisse uidetur studium res ab eis Romanis, qui ante scripserant, satis ieiune et exiliter memoriae proditas fabulis quibusdam mirabilibus exornandi, maior etiam superstitio (cf. etiam fr. 19 et 20), qua talia somnia et ostenta cupide adriperet. sed quodcunque fuit in causa, secutum eum esse Coelium ex luculento Ciceronis testimonio (fr. 11) constat. quod nescio an inde etiam magis confirmetur, quod ex ipsius Coelii historiis Sileni narrationem a Cicerone sumptam esse ueri simile est. quis enim eum ita Coelium et Silenum, quem hoc uno loco nominat, inter se conparasse credat, ut certum illud iudicium proferre posset? etiam apud Liuium (XXVI 49, 3) unum locum quo Silenum citat, cum Sileni nomine ex Coelio haustum esse coniecerim.[1]

Hinc igitur mira illa apud Coelium somnia Hannibalis fluxerunt (fr. 11. 34), hinc incredibilis ille militum numerus, quibuscum Scipionem ad Africae oras adpellentem fecit (fr. 40): uolucres enim ad terras delapsas clamore militum ait atque tantam multitudinem conscendisse naues, ut nemo mortalium aut in Italia aut in Sicilia relinqui uideretur.[2] hunc imitatus et ex antiquis annalibus similia somnia excerpta conlegit (49) et ex eorum qui tum uiuebant sermone (50) in librum suum transtu-

---

[1]) Eadem est sententia G. Michaelis, *de ratione* et q. s. p. 63.

[2]) Etiam ex hac re studium quoddam Hannibalis adparet. cf. Bujack p. 13. contra Silenus numerum scorpionum, quae Carthagine noua expugnata a Romanis captae essent, ita imminuerat, ut auxerat Valerius Antias. sexaginta enim apud Silenum inuenit Liuius, undeuiginti milia apud Antiatem.

lit. denique quod scriptores Hannibalici miras quasdam et inauditas difficultates ab Hannibale in Alpium transitu superatas esse fabulati erant neque a quoquam ante eum cum exercitu praeter Herculem Graium eas traiectas esse finxerant (Corn. Nep. Hann. 3. Bujack p. 8. 14 sq.), similiter Coelius, cum ceteri prosperam Scipionis in Africam traiectionem sine terrore ac tumultu fuisse scripsissent, ut similia de Scipione suo narraret, omnes caelestes maritimosque terrores eius naues perpessas esse exposuerat, ita tamen ut nulla nauis mergeretur (fr. 40)[1].

Itaque Coelius et totum narrationis colorem debere uidetur Sileno[2] et singulas quasdam res, quas exornandi causa ex eo inseruit. quamquam illud caue me existimare putes, Coelium, qui Laelii consuetudine uteretur, originis suae Romanae inmemorem in historia totum quasi ad Poenos transiisse. lineamenta narrationis, ut ita dicam, prorsus Romana erant et ex annalibus Romanis expressa. C. Peter *Livius u. Polybius* p. 75.[3])

Etiam uerbum addam de Polybio. is enim, etsi de ipso anno minus constat, sine dubio ante C. Gracchum, post cuius mortem Coelius historiam scribere coepit, diem supremum obierat, et, quoniam utrique cum C. Laelio conmercium erat, alter alterum ignorare uix poterant.[4]) nihilo tamen minus Polybii

---

[1]) Descriptionem tamen illam, quam legerat apud Coelium, Liuius non omnino uidetur abiecisse sed transtulisse ad Octauium. XXX 24, 6.

[2]) Quoniam iter Hannibalis ab Hispania in Italiam factum multo pluribus exornatum est regionum, fluminum, urbium nominibus a Liuio quam a Polybio, iure tuo etiam hanc Polybii uituperationem in Silenum dictam esse conicias eandemque cadere in Coelium. uid. Polyb. III 36: *Ἵνα δὲ μὴ τῶν τόπων ἀγνοουμένων παντάπασιν ἀσαφῆ γίγνεσθαι συμβαίνῃ τὴν διήγησιν, ῥητέον ἂν εἴη, πόθεν ὁρμήσας Ἀννίβας καὶ τίνας καὶ πόσους διελθὼν τόπους εἰς ποῖα μέρη κατῆρε τῆς Ἰταλίας. καὶ ῥητέον οὐκ αὐτὰς τὰς ὀνομασίας τῶν τόπων καὶ ποταμῶν καὶ πόλεων, ὅπερ ἔνιοι ποιοῦσι τῶν συγγραφέων, ὑπολαμβάνοντες ἐν παντὶ πρὸς γνῶσιν καὶ σαφήνειαν αὐτοτελὲς εἶναι τοῦτο τὸ μέρος.*

[3]) Nescio unde conpererit Nitzsch mus. Rhen. n. XXIII p. 605 poetas a Coelio procedente opere in usum esse uocatos. haec enim ille: *Und wir wissen bestimmt, dass Coelius in den letzten Partieen seiner Arbeit zu poetischen Quellen griff.* At etsi saepe poetice uel rhetorice res ab eo exornatas esse concedo, tamen poetarum usus nullum uestigium apud eum repperi.

[4]) Hinc corrigenda sunt quae *de Plut. font.* p. 56 falso scripsi. cf. Buchholz *de Plut. Fab. et Marc. font.* p. 12.

historias a Coelio lectas esse, mihi non est probabile. qui enim, si legisset, fieri potuit, ut unum ex illo scriptorum Hannibalicorum grege, quem Polybius multa cum acerbitate sed haud inique exagitauerat, et in eis ipsis quidem rebus, quae reprehensae erant, sequeretur et imitaretur? quam ob rem consensus Coelii Polybiique ex communi eiusdem fontis usu repetendus esse uideatur. [1])

Es his autem quae modo disputauimus, exiguam fidem eis fabulis[2]), quas in rhetorum Graecorum morem interposuit, habendam esse sua sponte adparet. in ceteris rebus propter eam quam supra uidimus in fontibus adhibendis et examinandis diligentiam eius auctoritas maior fuisse uidetur, neque est cur laudem a Valerio Maximo (I 7, 6) ei tributam 'certum eum historiae Romanae auctorem' fuisse detrahamus. in una quidem re etiam nunc eum a suo non a communi omnium iudicio pependisse cernimus. cum enim uulgaris fama obtineret, P. Scipionem consulem a filio in proelio Ticinensi seruatum esse, eiusque rei etiam C. Laelius auctor esset (apud Polyb. X 3), Coelius seruati consulis decus ad seruum natione Ligurem delegauit (fr. 17). Sed etsi hinc quaedam in Scipiones malignitas elucere uidetur, plerumque tamen nobilitati in historia fauit maximeque in C. Flamininum, de quo etiam a Polybio inique iudicatur, earum partium iram et inuidiam euomuisse uidetur. cum enim in consulatu suo patrum uoluntatem et auspicia, quae penes patres essent, minus curaret, illi eum non cum senatu modo sed etiam cum dis inmortalibus bellum gerere criminati sunt, eamque ob causam, quod religionem et signa rerum futurarum neglexisset (fr. 19. 20), ad Trasimennum cecidisse cum magno rei

---

[1]) Praeter locos a nobis in adnot. indicatos etiam de alia re haud leuis momenti idem ab eis traditum esset, si Cremonis iugum, per quod Coelius Alpes Hannibalem transiisse scripserat (fr. 15), re uera is mons esset qui nunc dicitur *Cramont* uel *Gramont* et prope id iugum quod nunc adpellatur *der kleine St. Bernhard* situs est. eadem enim uia etiam secundum Polybium Hannibal Alpes transierat. sed quamquam in hac sententia omnes fere uiri docti concinunt, tamen in sola nititur nominum similitudine, quae nescio an solo casu orta sit, cum hodiernum nomen probabilius ex *grand mont* originem ducat.

[2]) Similia tamen plus quinquaginta annis post etiam Tubero qui legerent, credere uoluit. uid. fr. 9.

publicae uulnere etiam Coelius narrauerat.[1]) quod nihilo minus cum Gracchis familiaritate coniunctus fuit (fr. 50)[2]), non mirabimur, nam etiam Fannium Laelii generum ab eorum consiliis primo non fuisse alienum atque ipsum Laelium quondam ad inopiam plebis leuandam animum intendisse iam supra monuimus.

Magna uero apud ueteres Coelii historiae floruisse uidentur auctoritate, qua commotus M. Brutus earum etiam epitomen confecerat.[3]) quamquam Cicero quidem, qui hunc saepius quam ceteros horum temporum scriptores citauit (fr. 1. 11. 19. 20. 34. 49. 50), magis propter uirtutes oratorias quam historicas eas lectitasse uidetur. In primis autem Liuius in tertia decade multum Coelium exscripsit[4]) et, cum Polybius eius desideria non

---

[1]) Quod iudicium huic simile etiam de Terentio Varrone fertur, fortasse item Coelii fuit. cum hac Flaminii Terentiique obtrectatione arte cohaerere Fabii Cunctatoris laudes uix erit cur moneam. cf. supra p. CXXXIIII. CXXXXVIIII.

[2]) Nescio an a Gracchis etiam ad eius familiae tablinum aditus ei patefactus sit. certe Weissenborn ad Liu. XXIII 35, 19, quaecunque ad Ti. Sempronii Gracchi (cons. 215. 539) res gestas pertinerent, copiosissime a Liuio exposita esse recte animaduertit. Liuius autem in his partibus Coelio usus est.

[3]) Anno enim 45. 709 petit Cicero ab Attico, ut 'epitomen Bruti Coelianorum' sibi mittat. ep. XIII 8. idem in Brut. 26, 102 Coelii historias in Bruti Atticique manibus esse fingit. Ab eodem M. Bruto epitomas Fannianorum (uid. p. CCVI) et Polybii (Plut. Brut. 4) conscriptas esse constat.

[4]) Nitzsch mus. Rhen. n. XXIII p. 604 sq., cum nimis descriptionibus poeticis indulgeret Coelius, Liuium sub tertiae decadis finem ab eo discessisse suspicatus est, sed qui adferuntur Liuii loci (fr. 39. 40) etsi hoc probant ultra ueri speciem egressum esse in fingendo Coelium, tamen inde non sequitur necessario in libris XXVIIII et XXX Coelium a Liuio sepositum esse. Neque hoc mihi ille persuasit (l. s. et ap. Sybel. *Zeitschrift* XI p. 20 sq.) Liuium in tertia decade Polybio non esse usum, sed eorum consensum inde esse natum, quod Silenus et a Polybio et a Coelio esset exscriptus, hic autem (exceptis ultimis libris) primarius Liuio dux fuisset. A Nitzschio profectus Boettcher (*Kritische Untersuchungen über die Quellen des Livius im XXI und XXII Buch*) copiosa commentatione a Liuio, cum tertium Polybii librum ignoraret, in libro XXI et XXII unius Coelii historias translatas esse demonstrare studet. quae autem intercedit inter Polybium et Liuium cognatio, ita ab eo explicatur, ut Nitzschium secutus et Coelium et Polybium Sileno usos esse dicat. at fundamenta, in quibus haec opinio exstructa est, mihi fluxa et infirma uideri iam supra indicaui p. LXXXXI.

omni ex parte expleret, narrationem Polybianam suppleuit ex Coelio, cui quae de rebus urbanis inseruit pleraque et fabulas quasdam debet.[1]) auctoritatem uero eius tanti aestimauit Liuius, ut rem quandam, quam Coelius et alii scriptores 'haud sine causa' praetermisissent, pro certo ponere uereretur (XXIII 6, 8), de morte Marcelli, de qua uariarent auctores, aliis spretis solam Coelii famam protulisse satis haberet (fr. 29) cumque ceteros scriptores cum fastidio quodam refellere soleret, de hoc, ubi ab eo recedit, leniter et honorifice loqueretur. id quod post Nautam p. 17 recte animaduertit Meltzer p. 46 sq. nominatim uero laudauit eum undecim locis (14. 17. 18. 19. 21. 28. 29. 33. 39. 40. 42), plerumque ita ut eum aut reiceret aut rem a Polybio praetermissam inde extremae narrationi adnecteret. multo saepius in ipso orationis Liuianae tenore Coelii uestigia plus minusue expressa agnoscimus. cuius rei aliquot exempla lubet proponere.

Velut pugnam ad Trasumennum commissam explicans Liuius in plurimis rebus ita consentit cum Polybio, ut, quoniam mihi quidem eum a Liuio in usum uocatum esse abunde constat, etiam hic quaedam ex hoc hausta esse censeam.[2]) cf. Liu. XXII 1, 3. 2. 3, 1—3; 5—10. 4, 1; 3—4; 6—7. 5, 3. 6; 5—12. 7, 1; 5— iussisset; 6—7 cum Polyb. III 77—85. sed alia inspersa a Liuio sunt, quae aut apud Polybium omnino non reperiuntur aut etiam cum eo aperte pugnant. apud hunc enim Hannibal, posteaquam ita iter fecit, ut a sinistra haberet urbem Cortonam eiusque montes, a dextra lacum Trasumennum, omnia uastans et urens peruenit ad locum natum insidiis, qui ab utroque latere altis collibus inclusus est, a fronte monte praerupto et arduo, a tergo lacu angustum aditum relinquente *ὡς εἰς τὸν αὐλῶνα παρὰ τὴν παρώρειαν* (III 82, 9—83, 1). cumque campum ita circumdat militibus, ut, cum altero die Flaminius accederet, nusquam insidiae ab eo cernerentur (uid. c. 84, 2 *παραδόξου γενομένης αὐτοῖς — Ῥωμαίοις — τῆς ἐπιφανείας*). itaque securi Romani in illum campum sese immergunt, sed, simul atque maior exercitus pars eum ingressa est, tum

[1]) Ita haud raro factum esse, ut ipse Liuius secum pugnaret, post alios a C. Petero *Liv. u. Pol.* p. 7 sqq. 45 pluribus expositum est.

[2]) Vid. C. Peter, *Liv. u. Polyb.* p. 29—33.

Poenus signum dat inuadendi in Romanos undique inclusos et in ipso campo quindecim milia Romanorum trucidat (84, 7); eos, qui nondum in hanc uallem peruenerant sed in eius faucibus, inter lacum et colles haerebant, in lacum detrudit ibique per equites aut uiuos cepit aut interfecit (§ 8 sqq.). Aliter Liuius haec narrauit. quod miror nondum a quoquam esse animaduersum atque uel a Nissenio, qui nuper de hac pugna in mus. Rhen. n. XXII 1867 p. 565—584 egit, utriusque scriptoris narrationes esse confusas. Liuius enim in ea ripae parte, quae uergit ad septentriones, acceptam cladem esse animo sibi effinxerat, in qua prope uicum cui nunc nomen est *Tuoro* angustiae quaedam ita conparatae sunt, ut Liuii uerba optime in eas quadrent. eas adcurate descriptas habes apud Nissenium p. 580 sq., sed caue huic uiro docto credas, etiam secundum Polybium in illo loco pugnatum esse quasi pro certo adfirmanti, quoniam nullo pacto in illa loca uerba Polybiana cadunt. illic enim montes Cortonenses ita recedunt a lacu, ut campus per quinque milia passuum per arcus speciem (Nissen p. 581) pateat, qui campus ab occidente monte *Gualandro* omnino clauditur, ab oriente prope uicum *Passignano* montibus ad ipsum paene lacum pertinentibus angusta uia relinquitur. per hunc campum iter fert a Cortona Perusiam ad orientem uersus. itaque Flaminius per eum iter faciens a sinistra parte, a tergo, a fronte montes ab hostibus obsessos habebat, a dextra lacum per quinque fere milia p. campum adluentem. quae quam non concinant cum Polybio uides. at omnia egregie quadrant in Liuium. hic enim locum illum natum insidiis fuisse dicit, 'ubi maxime montes Cortonenses Trasumennus subiret' (c. 4, 2), unamque eam lacus ripam his uerbis significare potuit, quae ad septentriones spectat. deinde posteaquam Flaminius pridie solis occasu ad lacum peruenit, postero die uixdum satis certa luce angustiis superatis in patentiorem illum campum pandi agmen coepit (§ 4). quod item ita demum fieri potuit, si breuissimum uiae spatium ab eo loco quo pridie lacum tetigerat, usque ad angustias eum confecisse statueris, optime autem cum eis quae modo descripsimus locis conuenit, nam montis ipsius Gualandri radices ab altero latere in campum illum, ab altero (in occidentem) in eam planitiem excurrunt, in qua qui Cortona meridiem uersus proficiscuntur, primum lacum uident. denique Liuius diserte (c. 5, 6) Romanos 'ab lateribus montibus

ac lacu, a fronte et a tergo hostium acie' clausos esse scripsit, id quod ut pugnat cum Polybio, ita in campo illo ad uicum *Tuoro* patente fieri potuit. sed etiam in ipsius pugnae descriptione discrepantias quasdam Liuii Polybiique offendimus. nam secundum Liuium Hannibal cum Afris Hispanisque in aperto castra locauit (§ 3), ita ut Flaminius quod hostium ex aduerso erat, cerneret, ab tergo modo ac super caput deciperent insidiae (§ 4)[1], atque tum demum, cum (omnes) Romanos clausos lacu ac montibus et circumfusos suis copiis haberet, signum inuadendi dedit (§ 5).

Pluribus autem de hac re disputauimus, ut simul adpareret, Liuium non temere a Polybio discessisse sed certum aliquem auctorem, qui bene locos illos nosset[2]), secutum esse uideri.[3]) Atqui ex eis ipsis rebus, quas Liuius Polybio inseruit, casu quodam contigit, ut quasdam ex Coelio sumptas esse conpertum habeamus (fr. 19. 20 c. adnot.). haud dubitanter igitur quae Liuiana non ex Polybio originem ducunt, in primis septem libri XXII capitibus, ad Antipatrum referemus. sunt autem haec: c. 1 (except. § 3 dimid.). 3, 11—14 (cf. adnot. ad fr. 19). ex cap. 4 quae iam conmemorauimus, 5, 1—2; 6; 8. 6, 1—4. 7, 5 (de Flaminii corpore); 8 nomen praetoris; 9—14.

Similiter res se habet in cladis Cannensis narratione (Liu. XXII 44—49. Polyb. III 112—116. cf. C. Peter *L. u. P.* p. 46—48). nam etiam hic pleraque Liuius sumpsit ex Polybio, sed dilucidam expositionem neglegenter excerpendo aliasque res addendo rem peruertit et obscurauit. iam Liuii enim aetate etiam alia de clade illa fama increbuerat, qua fide historica posthabita id agebatur, ut Fabii laus eiusque qui eum secutus est, Aemilii Pauli, praedicaretur, omnis culpa in Varronem neglectamque ab eo religionem auerteretur, uictoria autem Hannibalis non ingenio aut uirtuti sed solis strategematis (quae et inepte excogitata sunt et partim illis locis inutilia sunt, cf. C. Peter p. 68) tri-

---

[1]) In hac re facit cum Liuio Zonaras VIII 25 p. 188 *ἐπὶ μετεώρου σὺν ὀλίγοις αὐτὸν ἰδών* (Flaminius Hannibalem).

[2]) Ceterum eo loco quo Liuius describit, pugnam conmissam esse, etiam mihi quondam, cum in illis locis uersarer, ab adcolis magna cum fiducia narratum est.

[3]) Similem rem notatam inuenies apud C. Peter *Liv. u. Pol.* p. 37 sqq.

bueretur.[1]) hanc famam totam receperunt Appianus et Dio[2]), quaedam ex ea inspersit Liuius: c. 44, 5—7 (de consulum discordia), c. 46, 9 (Volturnus uentus aduersus Romanis coortus), 48, 2—4 (Numidarum strategema), 49, 1—12 (Pauli mors); 16—18 (Romanorum occisorum quaedam nomina et ordines). 50. 51 (quae post pugnam in castris Romanis Punicisque gesta sint). etiam discrepantiae inter Liuium Polybiumque inueniuntur. C. Peter p. 46. uelut M. Atilius proconsul Polybio teste pugnae interfuit, Liuio (c. 40, 6) morbum excusans ex castris Romam rediit; dextro Poenorum cornu apud Polybium (c. 114) praefuit Hanno, apud Liuium (c. 46, 7) Maharbal, denique numerus Romanorum occisorum Liuianus multo maior est quam Polybianus. cum uero etiam in hac narrationis Liuianae parte, quae non redeat ad Polybium, quaedam cum fragmentis Coelianis (fr. 22. 25 cf. adnot.) concinant, Coelium nos habere apud Liuium contaminatum cum Polybio consentaneum est.

Denique certa quaedam Coelii uestigia in narrationis Liuianae tenore adparere adnotauimus ad fr. 11 et 21, ubi quam postea reiecit de Fabii dictatura Coelii sententiam, eam antea sine ulla dubitatione eum amplexum esse uidimus.[3]) Sed multo maior eorum euadat numerus, si Zonarae et Appiano Silenum primarium ducem fuisse cum Bujackio et Meltzero p. 49 arbitrati, in quibuscunque Liuius cum eis consentit, illos Sileno, hunc Coelio — a quo Silenum in usum uocatum esse supra exposuimus — usum esse statuerimus. at etsi multa sunt quae huic opinioni faueant, atque certa quaedam ratio intercedit inter eam Liuii partem, quae non fluxerit ex Polybio, et inter Zonaram Appianumque[4]), tamen hoc mihi constare uidetur, ipsum Silenum ab eis non esse ex-

---

[1]) cf. Appian. Hannib. 26 *νίκην ἀρίστην τε καὶ σπάνιον ἐξενεγκάμενος ἡμέρας μιᾶς στρατηγήμασι τέσσαρσι.*

[2]) Noli enim existimare Dioni Liuium primarium fontem fuisse. hoc ea re refutatur, quod eae ipsae res, quas Liuius respuit uel breuiter conmemorat apud Zonaram uel Dionem tamquam unice uerae scriptae exstant. cf. C. Peter *L. u. P.* p. 67. 69. — de Plutarcho cf. *Quellen d. Pl.* p. 51—57. 74—80 et supra p. LXXXXVIII sq.

[3]) Etiam Sileni nomen Liu. XXVI 49 cum re ex Coelio desumptum uideri supra monuimus.

[4]) uid. adnot. ad fr. 11. 18. 19. 33. 42 et quae exposita habes apud C. Peterum *L. u. P.* p. 65 sqq.

scriptum. plurima enim in eorum libris inueniuntur, quae, cum minus decerent Hannibalem, a Sileno eius amico omnino non potuerint memoriae prodi, multaque prodigia aliaeque res, quas nisi Romanus uix quisquam memoria dignas esse putauerit, quae tamen pleraque ita ab utroque exposita sunt, ut non ipsos sed eorum auctorem et Sileni et Romani alicuius scriptoris famam contexuisse manufestum sit. quis autem ille auctor fuerit, ne coniectura quidem adsequi poterimus, illud iure meo adfirmare posse mihi uideor, fabulas et narratiunculas ab eo etiam magis quam a Coelio factum erat, auctas, fidem autem historicam minutam esse.

Sed ut ad rem redeamus, Liuius praeter Polybium et Coelium in libris XXI—XXX etiam alios fontes consuluit et ipse citauit Cincium XXI 38, Fabium XXII 7, Pisonem XXV 39, Claudium Acilii interpretem XXV 39, Valerium Antiatem XXV 39. XXVI 49. XXVIIII 35, Ennium XXX 26 et, ut eos locos mittam, ubi (ut XXI 47) tres diuersas eiusdem rei expositiones inscite miscuit et confudit, XXIII 6, XXVI 49, XXX 16 quae tres auctores de eadem re memoriae prodidissent, aperte distinxit. Ergo, quoniam de eis Liuii partibus, quae non sint ex Polybio uersae, nisi aliis testimoniis ad Coelium reuocamur, quaestio ambigua est, num recte ad eius auctoritatem referantur, ne coniecturas coniecturis cumularemus, eas hoc loco enumerare noluimus, praesertim cum de libris XXI et XXII hoc iam absoluerit pater meus, de ceteris susceperit G. Michael, tantum stemma quoddam depingam, ut quae sit nostra de Liuio sententia, dilucide explanetur:



Insequenti aetate post Liuium Coelium citauerunt **Valerius Maximus**, qui tamen sua sumpsit aut ex Liuio (fr. 11. 19) aut ex Cicerone (fr. 50) [1]), tum **Plinius** tribus (13. 51. 56 cf. adnot.

[1]) Longam Prinsterer p. 82 sq. deduxit seriem scriptorum, qui Coelio usi essent, multa tamen quae uana sunt, pro certo adfirmauit.

ad fr. 19)[1]) et Festus duobus (47. 64). Denuo autem Hadriani aetate eius memoria resuscitata est, qui imperator, ut erat uetusti generis dicendi cupidus, Ciceroni Catonem, Vergilio Ennium, Sallustio Coelium praetulit (Spart. Hadr. 16, 6) aliosque ut eum legerent adduxit. itaque factum est, ut Pomponius eum nosset, Fronto (uid. supra p. CXVIII)[2]) identidem eius mentionem faceret atque quaedam ex eo etiam Gellius (fr. 25. 29) noctibus suis insereret.[3]) denique forsitan illa aetate uixerit etiam Paulus. nam quem ad modum Statilius Maximus de singularibus apud Ciceronem et apud Catonem libros conscripsit, ita grammaticus quidam, Paulus nomine, quae in Coelii historiarum libro primo[4]) uocabula singularia notauerat, explicasse uidetur (Krause p. 186). sic enim ipsum loquentem induxit Charisius II 193 P. p. 217 K. (fr. 24): *Coelius hist. I: 'Commodum est, satis uidetur.' 'Nec enim pro sufficienti' inquit Paulus 'accipi debet sed pro pari et aequo.'* praeterea Charisius eodem se usum esse dicit I p. 115 P. 143 K. (fr. 10): *Saguntinorum Coelius, Saguntium Sallustius, ut Paulus in Coelii hist. lib. I notat*[5]) et p. 101 P. 126 K. (qui locus corruptus falso a Rothio in Coelii fragmentorum numero positus est): *Dii pro die seu diei F lucan. Paulus enim: 'Libra*

---

neque enim hic agitur, qui scriptores Coelium adhibere potuerint, sed a quibus eum adhibitum esse certa uestigia exstent.

[1]) Praeter indd. lib. II. III. XXX, in quibus Coelius citatus est, eius nomen etiam in indice libri XXXVI exstat. ibi tamen pro *Coelio*, *Galba* ex cod. B Brunn de indic. Plin. p. 44 scripsit *C. Galba.* Certa usus Coeliani uestigia apud Plinium praeter l. s. indicatos nusquam deprehendimus. — Cornelium Nepotem supra omisimus, cum Silenum descripsisse uideatur. cf. Bujack p. 8. 14. C. Peter p. 72.

[2]) *Coelianum excerptum*, cuius meminit Anton. ad Fronton. ep. gr. 6 p. 253 est Coelii Rufi oratoris, id quod ex sententiarum conexu adparet: *Materiam cruentam misisti mihi. necdum legi Coelianum excerptum, quod misisti, nec legam priusquam sensus ipse uenatus fuero. sed me Caesaris oratio uncis unguibus adtinet.*

[3]) Plutarchus Coelium non uidetur adhibuisse.

[4]) Hunc enim solum librum addito libri numero laudauit Charisius. similiter ex Sisennae Milesiis solum laudauit librum tertium decimum.

[5]) cf. similem dictionem Gell. VI (VII) 9, 11: *Aelium quoque Tuberonem libro ad C. Oppium scripto 'occecurrit' dixisse, Probus adnotauit et haec eius uerba posuit: — Idem Probus Valerium Antiatem libro historiarum XXII 'speponderant' scripsisse annotauit uerbaque eius haec posuit.*

dic somnique pares ubi fecerit horas' (= Vergil. georg. I 203) *c . . . . . nte iis arguit diique ut sis p̄ legendum esse definit, idque in Coeli hist. lib. I . . . . ere deprehendes.* neque dubito, quin etiam ceteri Coelii loci, quos citauit Charisius (12. 15. 27. 60), non ex ipso excerpti sint sed cum interpretatione ex Pauli libro. Hunc uero Paulum, qui etiam in Afranio similem curam posuisse uidetur (Charis. II p. 214 P. 241 K. '*Spattaro' Afranius in Aequalibus, quam uocem frequenter apud eum positam ait Paulus ἐξουθενισμοῦ uim sensumque sufferre*) H. Meyer (in diurn. antiq. 1836 p. 378) eundem esse censet cum Iulio Paulo, Gellii amico, quem Gellius poetam et uirum memoria sua doctissimum et rerum litterarumque ueterum inpense peritum dicit (I 22, 9. V 4, 1. XVI 10, 9. XVIIII 7, 1) et duobus locis eum a se consultum de uocum quarundam ui 'exquisite et comperte' disserentem facit. atque profecto haec coniectura studiorum similitudine maxime commendatur.[1])

Num uero praeter hunc Paulum etiam alii ex Coelio uerba singularia conlecta explicauerint, nunc discerni nequit. illud uix quisquam dubitabit, quin Nonius, qui duodecim locis Coelium laudauit (5. 7. 9. 23. 30. 38. 41. 43. 44. 45. 46. 57), aut Priscianus, qui tredecim (2. 3. 4. 6. 8. 22. 26. 32. 36. 37. c. adn.), non ipsum Coelium excerpserint sed aliorum thesauros Hadriani aetate conpletos, in quibus exempla, qualia requirebant, iam congesta inuenirent, expilauerint. idemque cadit in eos, qui excerpta Bobiensia de uerbo (fr. 16) et scholia Vergilii Bernensia conscripserunt (adn. fr. 35), et in Philargyrium (48), qui singulis locis Coelii meminerunt, denique in Seruium, qui septies (31. 35. 52. 53. 54. 55. 58) aut uerborum aut rerum causa Coeliana protulit. Martianum Capellam Coelii notitiam debere Plinio (adn. fr. 56) et Macrobium Gellio (adn. fr. 25)[2]) in adnotatione monuimus.

Superest ut de fragmentis quo iure ea receperimus disputemus. atque de eis quidem quae num. 1—60 insigniuimus,

---

[1]) Suidas IIII p. 147 Bhdy in septem scriptorum numero qui Pauli nomen gesserunt, etiam Paulum quendam Tyrium rhetorem adfert, qui Hadriani aetate *Τέχνην ῥητορικήν, Προγυμνάσματα, Μελέτας* conposuit, sed in neminem melius ille de Coelio liber quadrare uidetur quam in Gellii litteratum amicum.

[2]) Vnde famam Coelianam fr. 17 nouerit, non liquet.

uix lis exoriatur. nam quamquam fr. 2 et 26 Meyer orat. p. 469 in Coelii Rufi orationum relliquiis posuit, tamen illud quiuis rectius Coelio historico tribui concedit, atque etiam alterum (26) eam ob causam eiusdem esse sine dubitatione censeo, quia nusquam[1]) Priscianus, apud quem utrumque exstat, Coelium Rufum laudauit, saepe Coelium Antipatrum, eumque (ut hic) semper uno Coelii nomine, cui aliis quidem locis etiam libri, unde quodque fragmentum originem duceret, numerum adscripsit. Ne ex eis quidem fragmentis (5. 57), quae sub Caecilii nomine in quibusdam Nonii libris manu scriptis propagata sunt, cum argumento ex historiis aut orationibus ea sumpta esse indicetur, timeo, ne aliquod O. Ribbeck Caecilio uindicet.[2]) de Coelio autem Rufo etiam hic cogitari ideo nequit, quod apud Nonium alia eius uestigia non reperiuntur, cum ex orationibus, quas Antipater finxit, idem etiam alia fr. seruauerit (23. 45). At dubia res est, num fr. 61—65 ad Antipatrum recte pertineant. etenim fr. 61 etiam ex Coelii Rufi orationibus decerptum esse potest, qui, cum de aquis orationem habuerit, haud inprobabiliter Meyer p. 473 in illa eum hoc uocabulo *perpetuum salientem* usum esse suspicatur. magis mireris, quod fr. 62 in incertis exstare uolui. semper tamen Priscianus, cui hoc fr. debemus, uno Coelii nomine Antipatrum, etiam p. 792 P. 383 H., qui locus proxime antecedit, significauit: quae igitur causa fuerit, ut hoc solo loco *Lucium Coelium* eum adpellaret?[3]) quam ob rem cum VI p. 791 P. 380 H. Priscianus de eadem re agens *Lucium Caesarem* citauerit, tantum abest, ut cum Krausio p. 200 haec uerba Antipatro adsignem, ut etiam illa ex Lucio Caesare idque ex eius auguralibus, quam inscriptionem Priscianus VI p. 719 P. 287 H. adiecit, fluxisse arbitrer. cf. Nipperdey in edit. Caes. mai. p. 785. — fr. 63 et 64 lacunis ita sunt deprauata, ut cer-

---

[1]) In codd. Prisciani XIII p. 960 P. 8 K. oratio quaedam M. Coelii de uestitu et uehiculis laudatur, sed ex altero loco, ubi eadem uerba inserta sunt VI p. 694 P. 216 H., nunc recte M. Catonis nomen restitutum est. cf. Hertz adn. a. h. l.

[2]) Contra quae alia fr. Caecilii comoediae inscriptione omissa a Nonio proferuntur, aperte numeros et originem comicam prae se ferunt.

[3]) In omnibus libris mss. et hoc loco et altero, ubi Lucius Caesar laudatur, Lucii praenomen omnibus litteris exaratum est.

tum iudicium ferre non sim ausus. fr. 64 ne Coelii quidem nomen integrum mansit. solis enim litteris *lius* libri Festi incendium pepercit. etsi Mercklin (in *obseru. ad Fest.* p. 14 ind. lect. Dorpat. 1860) uerum uidisse uix concedam Gellii nomine lacunam explentem. Coelius enim etiam alio loco (fr. 47) a Festo laudatus est, Gellii historiae numquam. — at fr. 65 libenter Gellio tribuam, quoniam eandem caluariae formam Charisius duobus locis et Priscianus (uid. Cn. Gell. fr. 26 c. adn.) ex Gellio notauerunt, ex his autem scriptoribus Flauium Caprum uel quisquis illa de orthographia conscripsit, sua hausisse ueri simile est.

Haec igitur, cum de eis dubitationi locus sit, infra in fragmentis deesse noluimus. contra exclusimus haec quae uulgo Coelio Antipatro tribuebantur:

1. Charis. I p. 112 P. 138 K. (Krause p. 194. Roth fr. 3[b]): *Coelius tamen ait per i locutos quippe fastos omnes et libros a Fuluio Nobiliore scriptum rettulisse.* sed hic locus ita in codice Neapolitano scriptus est: *Nobiliore comparatiua Plinius e putat ablā finiri stn̄ ait per i locutos quippe fastos omnes et libros a Fuluio Nobiliori scripta retulis.* nusquam igitur Coelii nominis uestigia uides, et ne locus quidem, ubi historici alicuius fragmentum latere uideatur, ibi indagari potest. de emendatione horum uerborum adeas H. Keilii adnotationem.

2. Quae fragmenta Gellius ex Claudii Quadrigarii primo annali laudauit (fr. Claud. 13. 22. 23. 24), eadem Nonius ut ex Coelii annali primo sumpta esse inseruit (Krause p. 119). hanc rem C. Peter (*das Verhältniss des Liv. u. Dion. zu einander* etc. p. 5) ita expedire studuit, ut ex more, quo illorum temporum historici aliorum uerba non mutata in suos libros transferre solebant, etiam haec Claudium ex Coelio mutuatum esse coniceret. sed primo quas res Claudius primo libro tractauit (ab anno 390. 364 usque ad a. 311. 443 uel ad finem belli Samnitici), Coelius aut omnino non attigit aut, si attigit, breuissime, ut Claudius in hac narrationis suae parte uix Coelio fonte uti potuerit, deinde certa quaedam uestigia exstant, quibus Nonium ut multa ita etiam haec ex Gellio neglegenter exscripsisse indicatur. unum enim ex fr. illis (22) ita exhibuit Nonius *Arma plerique abiciunt atque inermis in latebras se inlatebrant.* ubi quod Kretzschmer (*de Gell. font.* p. 33) comparatis Gellii uerbis *Arma plerique abiciunt atque inermi inlatebrant*

sese. inlatebrant uerbum poeticum uisum est Nonii illud *in latebras sese inlatebrant* nisi ex Claudii uerbis Gelliique interpretatione temere confusis explicari non posse censuit, idem etiam hic Nonium ex Gellio pendere neque quidquam ualere Nonii in historici nomine discrepantiam docuit. cf. Hertz in Iahni annal. uol. 85 (1862) p. 761 et adnot. nostras ad Claud. fr. s. s.

3. Quintil. I 5, 61: *Ne in 'a' quidem atque 's' litteras exire temere masculina Graeca nomina recto casu patiebantur, ideoque et apud Caelium legimus 'Pelia cincinnatus' et apud Messalam 'Bene fecit Euthia' et apud Ciceronem 'Hermagora', ne miremur, quod ab antiquorum plerisque 'Aenea' et 'Anchisa' sit dictus.* et I 6, 42: *Neque enim 'tuburchinabundum' et 'lurchinabundum' iam in nobis quisquam ferat, licet Cato sit auctor, nec 'hos lodices', quamquam id Pollioni placet, nec 'gladiola', atqui Messala dicit, nec 'parricidatum', quod in Caelio uix tolerabile uidetur, nec 'collos' mihi Caluus persuaserit; quae nec ipsi iam dicerent* (Krause p. 194. 195). Haec uerba recte rettulit Prinsterer p. 74 sq. ad Coelium Rufum, cuius saepe meminit Quintilianus. suadet hoc et Messallae, Ciceronis, Calui uicinitas et Taciti iudicium (dial. 21), quo antiquitatem sectatum esse Rufum confirmatur. Coelium autem Antipatrum nusquam nominauit Quintilianus. [1])

4. Cicer. de orat. III 38, 153 *Inusitata sunt prisca fere ac uetustate ab usu quotidiani sermonis iam diu intermissa, quae sunt poetarum licentiae liberiora quam nostrae. sed tamen raro habet etiam in oratione nostra poeticum aliquod uerbum dignitatem. neque enim illud fugerim dicere, ut Caelius 'Qua tempestate Poenus in Italiam uenit,' nec 'prolem' aut 'subolem' aut 'effari' aut 'nuncupari', aut, ut tu soles, Catule 'non rebar' aut 'opinabar', et alia multa, quibus loco positis grandior atque antiquior oratio saepe uideri solet.* Haec uerba propter Poeni conmemorationem ab omnibus sine dubitatione Antipatro adsignabantur, donec Meltzer p. 36 potius C. Coelium Caldum oratorem (cf. Westermann, *Geschichte der Beredts.* II p. 125) significatum

---

[1]) Quod Nauta p. 51 huius Coelii fr. 41 posuit: Quintil. VIII 3, 35 *Coelius ac Sisenna 'Albenti coelo'*, euanuit codicibus diligenter excussis. nunc enim locus ille sic scribitur: *Idem putat a Terentio primum dictum esse obsequium, Caecilius a Sisenna 'Albenti caelo'.*

esse perspexit. cum enim aperte loqueretur Crassus de eis tantum modo legibus, quae oratoribus essent seruandae, ex historiis exemplum petere omnino non potuit. at C. Coelius Caldus, qui tribunus a. 107. 647, consul 94. 660 fuit et tum maxime (habitum enim de oratore dialogum Cicero a. 97. 663 fingit) eloquentia florebat. quem etiam I 25, 117 Crassus aequalem suum dicit, optime hic locum suum habet.

5. Duos Solini locos, quos etiam Krause p. 201 dubitanter in Coelianorum fr. numero posuit, unum ex librorum auctoritate, alterum de coniectura nos Cn. Gellio reddidimus (fr. 7 et 9). uide infra.

6. Plin. VIII 5, 11 *Antipater auctor est, duos (elephantos) Antiocho regi in bellicis usibus, celebris etiam nominibus, fuisse. etiam nouere ea.* (Krause p. 200.) Sed hic Antipater, quod iam Vossius monuit de hist. graec. III p. 391 Westerm., non fuit Coelius sed scriptor quidam Graecus, qui librum conscripsit περὶ ζῴων (schol. Apoll. II 89). nomen eius in externis eius libri auctoribus a Plinio adlatum est, idque propter hunc locum; ita enim respondent auctores indicis ipsis laudationibus: Herodotus § 7. Antipater § 11. Aristoteles § 28. Demetrius physicus § 59. Democritus § 61. Coelii nomen in huius libri indice non exstat.

7. In Strabonis loco quodam (V 3, 3 p. 230), quo de Romae origine agitur, Cramer et Meineke de coniectura — libri enim exhibent ὁ κεκύλιος uel ὅ γε κύλιος — Coelii nomen substituerant. sed Schwegleri coniecturam, qua ὅ γ' Ἀκύλιος emendauit, multo praeferendam esse docuimus supra p. CXXI. itaque apud nos est fr. C. Acilii primum.

Denique ne quid desideretur, non persuasit mihi Nipperdey (Philol. VI p. 133) apud Festum s. u. Mamertini p. 158, ubi, postquam pluribus, unde Mamertini nomen inuenissent, exposuit, haec adiecit *Cuius historiae auctor est Alfius libro primo belli Carthaginiensis*, pro *Alfio* reponendum esse *Coelium*. nulla enim est causa cur de Alfii nomine, ex qua familia etiam alii scriptorum laude inclaruerunt, dubitemus. accedit quod ne ueri simile quidem est, Coelium tam copiose in belli alterius Punici historia de Mamertinorum nomine egisse. Etiam apud Arnobium III 40, qui Caesium quendam de dis penatibus disserentem inducit, iniuria Caesii nomen Canterus in Caelium mutauit. intellegendus est Caesius Bassus et poeta et grammaticus, de quo uid. O. Iahnium

in conm. ad Pers. p. 211—214. proleg. p. XXVIII. Agmen claudat hic locus a Prisciano laudatus (VIII p. 792 P. 382 H.): *Inpubes libripens esse non potest neque antestari.* quem altera codicis Halberstadiensis manus Coelio adsignauerat, nunc uero Hertz meliores libros, qui tantum non omnes *melius* praebent, secutus detraxit et aut ad C. Aelium aut ad M. Liuium Drusum, quorum uterque iuri operam dedit, rettulit (uid. eius adnot. ad Prisc. l. s. et *de Liuii fr. conment. part. II* p. 17 sq.).

CN. ET A. GELLII

Gellii conplures historiae scribendae operam nauasse uidentur, si quidem et Cicero de diuin. I 26, 55 (fr. 21) et Dionysius (I 79) *Gellios* in fontibus suis posuerunt. nihilo tamen setius Niebuhr (h. R. II p. 10. n. 11) et post eum alii, in primis Nipperdey (Philolog. VI p. 131 sqq.), relliquiis, quae sub Gelliorum nomine ad nos peruenere, ad unum Cn. Gellium relatis etiam locos illos ita interpretati sunt, ut unum Gellium Ciceronem et Dionysium in animo habuisse dicerent. quae res feliciter eis cessit in Dionysii loco. ibi enim fontes suos recensens cum primo nominat Porcium Catonem, Fabium Maximum, Valerium Antiatem, Licinium Macrum, deinde Aelios, Gellios, Calpurnios, postremo subiungit alios homines haud obscuros (οὐκ ἀφανεῖς), quorum nomina adscribere superuacaneum ducit, nonne eum hac laudandi ratione non id egisse uides, ut conplures Aelios, Gellios, Calpurnios significaret, sed, posteaquam primarios auctores cum binis nominibus enumerauit, ne nimis longa series euaderet, secundarios breuiter ex more loquendi et apud Romanos et apud Graecos usitato pluralem numerum ponentem pro singulari addidisse? accedit quod unius Aelii Tuberonis, unius Gnaei Gellii, unius Calpurnii Pisonis apud Dionysium nobis uestigia occurrunt. Sed alia res est de Cicerone, cuius l. s. s. haec uerba sunt: *Omnes hoc historici, Fabii, Gellii, sed proxime Coelius.* huic enim duos Fabios historicos notos fuisse supra ostendimus, ergo eundem etiam conplures Gellios dicere uoluisse ueri simile est. fateor tamen me hoc loco non ita moueri, ut propter eum solum plus quam unum Gellium in historicorum Latinorum numero conlocandum esse censerem, nisi etiam aliud alterius Gellii indicium exstaret. Nonius enim s. u. bubo p. 194 hoc exemplum prompsit: *A. Gellius historiarum libro I: Et quod bubo in columna aedis Iouis sedens conspectus est.* possis suspicari, Nonium, qui

A. Gellii noctes Atticas bene nosset — nam quamquam eum nusquam nominauit, tamen saepissime exscripsit — Auli praenomen aut de suo adiecisse aut pro Gnaeo substituisse, sed, cum Gnaei annalium liber primus res, quae ante Romam conditam gestae sunt, contineret, quo modo fieri potuit, ut in illo Iouis templi mentio iniceretur? neque enim quisquam dubitabit, quin scriptor Romanus sic loquens templum Iouis Capitolini a Tarquiniis aedificatum intellexerit. quominus autem scribas *Caelius* pro *Gellius*, quod nomen tum haud raro simplicem *l* habuit (C. I. L. I n. 347. 877), Auli praenomen obstat. ne plura, uix duos Gellios, Aulum et Gnaeum — tertius enim Sextus sola auctoritate libri de origine gentis Romani ficti nititur — historias conposuisse negare poterimus. [1]) haec uero si concesseris, etiam alio Ciceronis (de legg. I 2, 6) loco Gelliorum nomen Guilelmi coniectura recte restitutum esse censebis. cum enim tot ibi Cicero historicos Romanos enumeret, quot nusquam alibi, Fabium, Catonem, Pisonem, Vennonium, Antipatrum, Clodium, Asellionem, Macrum, Sisennam, aegre Gellium uel Gellios desiderabis, quippe quibus illo quem supra commemorauimus loco praecipuum locum tribuerit. atqui Cicero postquam Antipatri dicendi genus laudibus extulit, sic pergit: *Ecce autem successere huic belli* (sic enim omnes Halmii libri, unus a secunda manu exhibet *bello*) *Clodius, Asellio, nihil ad Caelium, sed potius ad antiquorum languorem et inscitiam.* quam ob rem cum neque explicari possit uox *belli* neque causa reperiri, cur cum Lambino et Nipperdeyo (Phil. l. s. p. 133) eiciatur, lenissima medela Guilelmus *belli* mutans in *Gellii* et ipsum locum sanasse uidetur et desiderium illud expleuisse.

Iam quaeritur, qua aetate hi Gellii uixerint, qua de re omnino nihil memoriae proditum est. sed cum Cicero uno loco (de diu. l. s. s.) eos scripsisse diserte dicat ante Coelium, qui historias suas post C. Gracchi tribunatum condidit (annis fere 120. 634—110. 644), altero (de legg. l. s.) eidem succes-

---

[1]) Vossius p. 34 remoto, ut credebat, Aulo Sextum et Gnaeum Gellios historias scripsisse arbitratus est. eum secuti sunt Closset *essai* p. 485 et Gerlach *Geschichtschr.* p. 63. Krause p. 202 sqq. tres Gellios distinxit, Gnaeum, Aulum, Sextum. — Quae ratio intercesserit inter hosce Gellios et L. Gellium, Crassi, Antonii, L. Philippi aequalem, oratorem, quem Cicero in Bruto 47, 174 Romanarum rerum non inmemorem fuisse dicit, non potest dignosci.

sisse, eodem fere tempore eos floruisse sequitur. quo cum iudicio hoc consentit, quod Censorinus (fr. 28) uel potius is quem ille exscripsit, Pisonem Censorium, Cn. Gellium, Cassium Heminam a. 146. 608 uixisse adfirmare uidetur (Nipperdey p. 134), et Macrobius (fr. 25), ubi utrumque adfert, Gellium ante Cassium Heminam ponit.[1] itaque nil inpedit, quominus idem Gnaeus Gellius, contra quem M. Porcius Cato pro Turio — incertum quo anno — dixit (Gell. XIIII 2, 21. Iordan. Cat. p. 62), annales scripsisse uideatur[2], dummodo a Gellio iuuene Turium accusatum, historias iam prouecta aetate editas esse censeamus. De Aulo autem Gellio nil accepimus, sed tamen A. illum historicum si minus fratrem, certe aequalem Gnaei fuisse ex Cicerone conligitur. Adtribuimus uero ei id unum fragmentum quod sub eius nomine ad nos peruenit, cetera, quae incerta sint, ex utrius Gellii libro deprompta sint, ne perturbationem augeremus, simul quia Gnaeus notior fuit, infra posuimus in relliquiis Gnaei annalium, ad quos, quoad fieri poterit, adumbrandos nunc accedimus.

Inscripsit autem Cn. Gellius libros suos annales, in qua inscriptione omnes scriptores consentiunt, initiumque fecit scribendi ab antiquissimis temporibus, quibus enarratis totum librum primum conpleuit. altero libro originem urbis exposuisse uidetur usque ad id tempus, quo Sabinis raptis spes prolis et urbis diuturnitatis firmata esset, nam ipsam reconciliationem maritorum patrumque tertio libro persecutus est (fr. 14. 15). tum ceteros libros quibus finibus circumscripserit, prorsus incertum est, illud constat, res eius anni qui cladem Gallicam sequebatur, fuisse in libro quinto decimo (fr. 25) et annum 216. 538 in libro tricesimo tertio (26). eum res Romanas usque ad suam aetatem pertexuisse et per se credibile est et fr. 28 confirmatur. libri fuerunt minimum nonaginta septem (fr. 29), qui numerus falso in dubium est uocatus; ad quae enim Liuius in sexto, hic in quinto decimo, ad quae ille in uicesimo tertio, hic in tricesimo

---

[1]) Dionysius tribus locis eum cum Licinio Macro coniunctum citauit, tum ante Macrum (fr. 18), tum post eum (19. 20). nil igitur ex eo de hac re conligi potest.

[2]) Haec est sententia Vossii p. 34, Funccii *de adul.* VI § 13., Closseti p. 485, Nipperdeyi p. 134. — Haackh in *Pauly Realencyklop.* III p. 661 filium eius historicum fuisse putat.

tertio libro peruenerat: quid igitur dubitabis, quin quae Liuius quinquaginta fere, hic, qui ex more historicorum illorum suae aetatis res prolixius describeret, nonaginta septem libris conplexus sit?

Sermo fuit latinus (fr. 15. 30. 12. 13. 14. 22. 23. 26. 29. 31. 32). sed quo genere scribendi usus sit, cum uno fr. (15) excepto perpauca frustula ad uerbum seruata sint, non potest definiri neque decerni, quo iure Cicero l. s. maxime inique de Gelliis iudicauerit. certe ab eruditione quadam eum non abhorruisse discimus ex fragmentis, quibus de litteratura (2. 3) et de inuentoribus lutei aedificii (4), medicinae (5), mensurarum et ponderum (6) egit, idem Catonem, ut uidetur, imitatus in origines urbium gentiumque inquisiuit (8. 10). In enarrandis autem rebus admodum prolixus et fusus fuit (Niebuhr praelect. I p. 28) et, si Dionysii uerbis (fr. 19. 20) fidem habes, uulgares fabulas retractauit, ita ut temere omnia crederet et nec temporis nec naturae legum ratione habita litteris mandaret. quo tamen cum iudicio quae ipse Dionysius secundum Gellium de Sabinarum raptu exposuit, prorsus discrepant (fr. 11 sqq. cum adn.). in hac enim re Pisonum se similem praebuit, cum quae in uulgi ore ferebantur, ad naturae et mentis leges redigeret et mutaret. Denique indicia quaedam in fragmentis exstant, Gellium uere annales condidisse atque etiam regum res per singulos annos digessisse (fr. 11. 18), secutumque eum esse aeram Catonianam, si numerus fr. 25 Gellii est, non Macrobii.[1]) Cum eodem Catone consociatus profertur in fr. 1 et 10, ut Catonem a Gellio transscriptum esse forsitan quis coniciat. de ceteris eius fontibus nihil constat, nam quod Kiessling *de Dionysii font.* p. 31 Licinium Macrum ab eo adhibitum esse scripsit, falsa ille de Gellii aetate opinione mihi esse ductus uidetur. immo si unum altero usum esse statuendum sit, Gellium Licinio in fontibus fuisse ueri similius est.

Antequam tamen ad scriptores, qui nominatim Gellii uel Gelliorum mentionem iniecerint, transeamus, quaedam fragmenta quo iure sub Gelliorum auctoritate exstare uoluerimus explicabimus, cum uulgo ad alium scriptorem relata sint. Ex his unum

[1]) Numerus fr. 28 est Censorini, numero fr. 27 error Macrobii subesse uidetur.

seruauit Solinus (fr. 7), quod, cum antea Coelio adscriptum esset, iam Krause (p. 201) dubitabat, an rectius Gellii esset. quae coniectura nunc Mommseni libris, in quibus aut *Gellius* aut *cellius* scriptum est, firmata est. alterum apud eundem Solinum (fr. 9) inuenitur sed librorum scripturis Caelio tribui uidetur. exhibent enim (uid. conment. n. crit.) *c . . caelius* uel *gcoelius* uel *gaius coelius* uel *gaius caelius* uel *coelius* uel *celius*. iam uero hunc Coelium non esse confundendum cum L. Coelio Antipatro, qui res ante bella Punica gestas nisi in transitu non attigit, recte monuit Mommsen (proleg. ad Solin. p. XVI), qui tamen uir doctissimus in eo errauit, quod eundem existimauit, quem citarent Strabo V 3, 3 p. 230 et Seruius ad Aen. X 145. nam priore loco in codicum scripturis Acilii nomen latet recte a Schweglero restitutum (fr. 1), altero non est, cur Coelium diuersum esse existimemus ab Antipatro. itaque cum Krausio et Rothio Gnaei Gellii nomen restituendum est, quae mutatio intuenti tibi codicum scripturas uix grauior uidebitur, si Gellii nomen haud raro cum simplici l scriptum esse memineris (cf. supra p. CCXXXVIIII et cod. Neapol. scripturam a. pr. m. p. 54, 25 K.) atque etiam priore Solini loco in tribus libris mss. pro *Gellio* esse exaratum *Cellio*. Tertius locus est Plinii (fr. 8), qui, quamquam et in indice et in ipso libri Gelliani nomen exstat, cum de Gelliano scriptore omnino nihil nec a Plinio nec a quoquam alio nobis sit traditum et Gellii nomen ante Valerianum, qui utroque loco eum excipit, facillime transire potuerit in Gellianum, a nobis Cn. Gellio, quem quater citauit Plinius, adsignatus est. Praeterea Mercklin in *obseru. ad Festum* p. 13 (in indice lect. Dorpat. 1860) duobus eius scriptoris locis Cn. Gellii nomen lacunis haustum esse censet, quorum uno p. 351 agitur de Talassione, ipsius autem historiarum scriptoris nominis ne littera quidem in codice hodie conspicitur, altero litterae *lius historiarum* rectius litteris *Coe* praepositis, ut uulgo factum est, supplendae esse mihi uisae sunt. nam Coelius etiam alio loco (p. 352) a Festo citatus est, Gellius nusquam. priore loco coniectura incertior est, quam cuius ratio habeatur.

Sed unum fragmentum etiam ex eorum numero, quae apud Krausium habes (p. 206), expulimus: *Et Gellius, 'Huius Chalcae'*, neque enim apud Charisium, in quem a Putschio — nescio quibus auctoribus — intrusum erat, posteaquam is Henrici Keili

opera ex codice Neapolitano emendatus est, nunc legitur. Fateor tamen, etiam de aliis fragmentis suspicionem mihi subnatam esse, num horum Gelliorum essent, etsi ea eicere non sum ausus. quae enim sententia, cum in praefatione facile locum habere posset, a me primo loco posita est, eandem praeter Gellium etiam Sallustium et Catonem in litteras rettulisse Vopiscus dicit, unde cum Catonis uerba, quae ille in animo habet, Aulus Gellius noctibus suis Atticis inseruerit (Cat. orig. fr. 83), Gelliumque historicum Vopiscus uix nouerit, ex errore quodam seu Vopisci seu eius quem transscripsit, Gellium grammaticum in historicorum numerum inlatum esse probabile est. hoc autem saepe factum est, ut, si ex scriptore aliquo alius auctoris uerba reciperentur, utriusque scriptoris nomina adscriberentur. similis controuersia de fr. 3 inter Gellium grammaticum et historicum est, ubi Cincii Fabiique uicinitas pro historico loquitur, contra tempus, quo scripsit Marius Victorinus et quod prorsus eadem a Gellio grammatico (uid. adnot. ad fr. 2) exposita sunt, pro grammatico. Denique etiam de uno Macrobii loco (fr. 27) dubitari potest, num recte receptus sit. Macrobius enim lib. III c. 17 de legibus Romae contra luxuriam latis, primum de lege Orchia, cuius uerba, quod prolixa sint, se praeterire dicit, tum de lege Fannia lata 'anno post Romam conditam secundum Gellii opinionem quingentesimo octogesimo octauo', de qua Serenum Sammonicum referentem facit iocumque Lucilii adnectit, quo centussem eam dixerit, denique de ceteris deinceps legibus sumptuariis. de eadem uero re etiam Gellius in noctibus Atticis II 24 disseruit plerumque Ateii Capitonis, quem ad modum ipse dicit, coniectanea secutus, ita tamen ut lege Orchia praetermissa exordiatur a lege Fannia, quae C. Fannio M. Valerio Messalla consulibus (anno Varroniano 593) lata sit, eiusdemque uersus Luciliani mentionem facit. quae quidem apud utrumque scriptorem consensio tam mira est, ut fieri non possit quin Macrobio etiam hic Gellium ante oculos fuisse suspicio moueatur. quae cum ita essent, ut nihilo minus haec uerba locum suum in Gellii historici fragmentis retinere paterer, non id me adduxit, quod annus ille ex aera Varroniana, quam Gellius historicus secutus est (Mommsen. chronol. p. 126), est quingentesimus nonagesimus tertius — facile enim, nisi librariorum culpa numerus mutatus est, Macrobius in adscribendo numero errare potuit — sed potius illud, quod Macrobius quamuis

saepe A. Gellii noctes Atticas expilaret, tamen numquam eius nomen adposuit, annales autem Gellii duobus aliis locis (fr. 24. 25) citauit.

Sed ut redeat unde digressa est oratio, primus Gelliorum mentionem fecit Cicero (fr. 21 cf. adn. ad 12), tum, cum Liuius nusquam eos adtulerit neque adhibuisse uideatur, Dionysio Gnaei Gellii prolixitas magis adrisit, ut sex locis (fr. 11. 16. 17. 18. 19. 20) ad eum nominatim prouocaret, multisque aliis auctoris nomine omisso eum descriptum esse ueri simile est. ut quae de Sabinorum raptu exposita habes apud Dionysium, ad Gellii auctoritatem redire (fr. 12), relliquiis, quae ab A. Gellio seruatae sunt, conlatis iam perspexit Merkel (proleg. in Ouid. fast. p. LXXXII). deinde aut Gellium aut Licinium Macrum ei fontem fuisse, cum III 39 scriberet, recte ratione inita conlegit Kiessling (*de Dion. f.* p. 30 sq. cf. fr. 18 c. adn.) idemque (p. 35) ad eum referri posse monuit, quae I 42 de Caco narrruit (fr. 7 c. adnot.). de fr. 10 cf. p. CXXXX. Praeterea Plinius septimo (fr. 2. 4. 5. 6) et tertio libris (fr. 8) aliquot Cn. Gellii[1]) locos inseruit, tresque (fr. 15. 30. unus cum libro VIII c. 14 euanuit) A. Gellius grammaticus. Qui post hos Cn. Gellium, ut Censorinus (fr. 28), aut simpliciter Gellium laudauerunt, ut Vopiscus (fr. 1), Seruius (fr. 10. 13), Macrobius (24. 25. 27), Solinus (7. 9), Marius Victorinus (fr. 3), Priscianus (adnot. ad fr. 26) uix ipsum excerpserunt neque aliter iudicauerim de Charisio, apud quem septem frustula Gelliana (12. 13. 14. 22. 23. 26. 29 p. 54 K.) uno loco coniuncta sunt propter formas in datiuo et ablatiuo plur. primae declinationis in *abus* exeuntes adlata, praeterea tantum modo duo (fr. 31. 32). nonne enim, si ipsos annales Gellii scriptoris satis uetusti peruoluisset, etiam alia memoratu digna eum inuenturum fuisse putas?

---

[1]) Gnaei praenomen in indice libri VII est adscriptum, in ipso libro simpliciter eum Gellium dicit.

CLODIVS

Hic Clodius notus est ex solo Ciceronis loco saepe a nobis et laudato et laudando (de legg. I 2, 6): *Ecce autem successere huic* (Caelio Antipatro) *Gellii, Clodius*[1]), *Asellio, nihil ad Caelium sed potius ad antiquorum languorem et inscitiam.* ubi cum Cicero in enumerandis historicis temporum ordinem seruauerit, Clodium post Coelium, de cuius aetate satis constare supra uidimus, et ante Sempronium Asellionem, quem sub P. Scipione Africano ad Numantiam tribunum militum fuisse resque eas quibus gerendis ipse interfuisset, scripsisse Gellius II 13 memoriae prodidit, historias conposuisse consequitur, id est medio fere saeculo u. c. septimo.

Krause uero (p. 213 sq.) hunc confudit cum Clodio Licino, cuius rerum Romanarum librum tertium citauit Liuius XXVIIII 22, 10, sed eodem iure hunc Liuii Clodium coniungere licet cum Clodio Licino historico, Hygini amico a. 4. 757 consule, cuius libris quominus Liuium aequalem, qui librum CXXI post excessum diui Augusti edidisse dicitur (inscript. per. lib. CXXI), uti potuisse existimemus nihil obstat. nolo tamen nimiam ei coniecturae uim tribuere, et ut omnium Clodiorum relliquias, quae ex scriptis historicis ad nos peruenerunt (exceptis Claudio interprete Aciliano et Claudio Quadrigario) infra uno loco coniunctas adponerem, nulla adductus sum causa nisi ea, ut aliquo loco eae exstarent. de ipsis scriptoribus uid. quae *de uit. et scr. Claudii Quadrigarii* exponemus.

---

[1]) Sic exhibet lib. Leidensis Voss. 86 a pr. m., ceteri libri Baiteri *glodius.*

CN. AVFIDIVS[1]

Cn. Aufidii historiarum notitiam debemus uni Ciceronis loco in Tusc. V 38, 112: *Pueris nobis Cn. Aufidius praetorius et in senatu sententiam dicebat (etsi caecus erat) nec amicis deliberantibus deerat et Graecam scribebat historiam et uidebat*[2]) *in litteris.* relliquiae earum ad nos non peruenerunt, nam unus locus, quem in eis posuit Krause[3]), prodiit ex officina eius qui librum de origine gentis Romanae ficticiis laudationibus exornauit, alter, quo definitur uniuersae Armeniae magnitudo (ap. Plin. n. h. VI 27), est Aufidii Bassi, a quo, cum sub Augusto et Tiberio scriberet, magnitudinem Armeniae, quae Luculli expeditione anno 69. 685 Romanis patefacta est, adcurate indicatam esse magis est consentaneum quam a Cn. Aufidio, qui plus triginta annis ante illam expeditionem historiae operam dedit.

Sed Cicero eundem Cn. Aufidium etiam ipse uiderat et audiuerat. de fin. V 19, 54: *Equidem e Cn. Aufidio praetorio, erudito homine oculis capto, saepe audiebam, cum se lucis magis quam utilitatis desiderio moueri diceret.* itaque a. fere 90. 664 historias suas scripserit, quae, quoniam Graeca historia apud Ciceronem nihil aliud quam Graece scriptam significat (cf. p. CXVIII), neque tum quemquam Romanum externorum populorum re sdescripsisse ueri simile est, sermone Graeco res Romanas continebant.

De ipso Aufidio praeterea certo hoc accepimus, cum liberis orbatus esset (quem dolorem fortiter sustinuit, Cicero fr. 991 ed. Orell.), adoptatum esse ab eo Orestem e gente Aurelia (Cic. pro dom. 13, 35), cetera quae de eo identidem recoquuntur, aut dubia aut falsa sunt. ut quod Plinius n. h. VIII 64 haec pro-

---

1) W. Harless, *de Fabiis et Aufidiis rerum Rom. scriptoribus* p. 45—52.

2) Sic enim recte libri, minus apte Bentley *uiuebat.*

3) Mueller *Fr. H. Gr.* III p. 199 in omnibus rebus suo iudicio non adhibito secutus est Krausium.

didit: *Senatus consultum fuit uetus ne liceret Africanas in Italiam aduehere. contra hoc tulit ad populum Cn. Aufidius tribunus plebis permisitque circensium gratia inportare*, Pighius (III p. 106) non solum hunc historicum illum tribunum fuisse quasi pro certo posuit sed etiam annum tribunatus a. 114. 640, neque ei defuerunt (Krause p. 299. Orelli onomast. p. 87 alii) qui obsequerentur. at iam a. 169. 585 ludis circensibus P. Cornelii Scipionis Nasicae et P. Lentuli aedilium curulium ex Liuii (XXXXIIII 18, 8) testimonio tres Africanae luserunt, ut huic quidem Aufidio historico causa talis legis ferendae omnino non esset, eamque Harless p. 48 et Weissenborn a. h. l. multo meliore iure ad Cn. Aufidium, qui anno ante (170. 584. Liu. XXXXIII 8, 2) tribunus plebis fuit, referre uideantur. nec minus est incertus praeturae annus, qua eum functum esse a Cicerone accepimus, numerique, quos apud plerosque qui de eo egerunt, inuenis, merae coniecturae sunt, quibus in hac re etiam Roth indulsit. is enim protulit inscriptionem quandam (apud Boeckh. *C. I. Gr.* tom. II p. 1063 n. 2349[b]), quo Adramyteni iudicibus ex aliis ciuitatibus ut lites dirimerent arcessitis gratias agunt, cuius prima uerba haec sunt: *Ἀρχόντων γνώμη περὶ ὧν προεγράψαντο καὶ ἡ βουλὴ προεβούλευσεν*, [*περὶ τ*]*ῶν*[1]) *παραγεγονότων δικαστῶν ἀπὸ τῆς* [*ξέ*]*νης* [*δεδι*]*κακότων τάς τε κατὰ τοὺς νόμους συνεστηκυίας δίκας κα*[*ὶ τ*]*ὰ* [*ἀ*]*ναπεμφθέντα* [*δόγματ*]*α ὑπὸ Γναίο*[*υ Α*]*ὐφιδίου Γναίου ὑοῦ τοῦ ἀν*[*τι*]*στρατήγου*, et hunc historicum in Asia pro praetore fuisse a. fere 97. 647 coniecit. at in ipsa inscriptione, etsi ad illam aetatem pertinere uidetur (cf. Boeckh p. 1065), tamen, quo anno incisa sit, nullum exstat indicium, ut eodem iure ad Cn. Aufidium Orestem Aurelianum, a Gnaeo adoptatum, qui consul fuit a. 71. 683 (cf. fast. Mommseni et *C. I. L.* I n. 573[2]), *δόγματα* illa referre liceat, certe nihil certi inde quo anno Gnaeus pater praetura functus sit, conligi possit.

---

[1]) Supplementa sunt Boeckhii.

[2]) Anno 77. 677 praetura eum functum esse (Orelli onom. p. 87) nusquam apud ueteres traditum est.

SEMPRONIVS ASELLIO[1])

Si cuiquam scriptori, multum debet historia Romana Sempronio Asellioni. qui uir acutissimus quam longe puerilis illa annalium confectio a uera historia abesset, cum acriter perspexisset, ueram res Romanas scribendi uiam monstrauit. neque enim quid factum esset narrare satis habuit sed etiam quo consilio quaque ratione gesta essent explicauit, idemque ut homo uere Romanus libris suis exempla recte beneque faciendi proponere studuit. de quibus consiliis, id quod ex Gellii noctibus Atticis uidemus, in historiarum suarum prooemio subtiliter disputauit (fr. 1. 2). coniunxit igitur pragmaticam scribendi rationem cum ethica, ut ita dicam, cum rationem πραγματικῶς scribendi a Graecis[2]) ad Romanos transferret, in morali uero historia condenda Pisonis Censorii auctoritatem sequeretur. contra rhetorice scribendi uiam a Coelio initam suo iure spreuit, quamquam Cicero (de legg. I 2, 6) hanc ob causam eum reprehendit et 'ad antiquorum languorem et inscitiam' eum rediisse exprobrat.

Quae cum ita sint, eo magis dolendum est, quod uix imago et umbra hominis illius relicta est. De uita enim Sempronii Asellionis, cui qua auctoritate a Popma, Lachmanno, Krausio Publii praenomen adscriptum esset frustra quaesiui, hoc tan-

---

[1]) Cum quae supra habes, iam scripta essent, ipsius scriptoris beneficio in manus meas uenit: *Der römische Geschichtsschreiber Sempronius Asellio von W. Stelkens* Crefeld. 1867. is quae pauca de Asellione memoria prodita sunt, diligenter conlegit et in usum hominum etiam minus doctorum tractauit. noua tamen etiam ille non potuit eruere. quae digna mihi esse uiderentur, in adnotatione subiunxi.

[2]) Malim enim fr. 1 ubi de eis, qui ante se 'res gestas a Romanis perscribere conati' sint, loquitur, Graecos intellegere scriptores quam Romanos. — Ceterum recte Nitzsch *Polybius* p. 115 sq. Asellionis prooemium conparauit cum Polybii exponendi et explicandi ratione.

tum modo a Gellio accepimus, cum sub P. Scipione Africano tribuno militum (cum Rutilio Rufo, item tribuno militum App. Hiber. 88 et C. Lucilio, qui satiras scripsit, Vellei. II 9, 4) ad Numantiam fuisse (fr. 6), id est annis 134. 620 et 133. 621, quibus Scipio in Hispania rem gessit. Libri autem eius descendebant minimum usque ad annum 91. 663 (fr. 11, uel 86. 668 aut 83. 671 cf. adn. ad fr. 13), unde eum et summa senectute ad historiam sese conuertisse sequitur et perpaucis annis, postquam militare coepit, ad illum tribuni gradum prouectum. natus igitur est sine dubio ante a. 151. 603 i. e. septendecim annis ante tribunatum, ita tamen ut ultra annum 160. 594 uix regredi liceat. historiae scriptae esse uidentur inter annos 90. 664 et 80. 674. quo cum tempore optime concinit Cicero, qui l. s. s. eum post Gellios et Clodium Coelio Antipatro successisse scripsit.[1])

De inscriptione hoc quidem ex ipsius uerbis (fr. 1) certo constat, Asellionem libros suos non inscripsisse annales, neque umquam hoc nomine adlati sunt. sed utrum *rerum gestarum libros* an *historias* praeferamus, incerti haeremus. utrumque enim haud spernendis testimoniis nititur, illud Gellii (fr. 6. 10. 11. cf. etiam Charis. fr. 13), hoc Charisii (12), Nonii (4), Seruii (14), Prisciani (3).[2]) cum autem Asellio fr. 1 'eos qui annales relinquere uoluissent et eos qui res gestas a Romanis perscribere conati essent', inter se conparauerit seque posteriorum sententiam amplexum esse professus sit, atque Gellius ipsum Asellionem in manibus habuisse uideatur, magis inclino ad eam inscriptionem quam auctoritas tuetur, quam ad historias, quas

---

[1]) A. quidam Sempronius Asellio a. 89. 665 praetor, quoniam secundum debitores ius dicebat, ab eis qui faenerabant, in foro occisus est. Liu. per. LXXIIII. Valer. Max. VIIII 7, 4. App. b. c. I 54. quem caue cum Gerlachio *Geschichtschr.* p. 74 et Rothio p. 328 confundas cum historico. qui enim, ut de aliis difficultatibus taceam, a. 134. 620 tribunus militum fuit, uix quadraginta quinque annis post praetor creatus est. Meliore iure eundem hunc historicum esse censeas cum Lucio Asellione, a quo praetore a. 100. 654 egregie Siciliam prouinciam administratam esse scripsit Diodorus exc. de uirt. et uit. XXXVI p. 153 Dind., id quod post alios suasit Stelkens p. 11.

[2]) Krause p. 217 etiam Gellii locum quendam, ubi 'quartus ex historia liber' citatur (fr. 5), ut historiarum inscriptionem confirmaret, adhibuit. eo tamen loco minus adcurate Gellium scripsisse per se manifestum est.

testium numerus. forsitan rerum gestarum libros inscribens uertere in animo habuerit Graecorum πραγματείαν.[1])

Sermo librorum fuit patrius (fr. 1—6. 10—14). Non omnes autem res a Romanis gestas enarrandas suscepit, sed spreta historicorum ueterum uia Gellio teste (fr. 6) eas tantum modo res, 'quibus gerendis ipse interfuit', ita tamen ut, cum de Lepidi consulatu a. 137. 617 (fr. 4) et de extremis belli Numantini annis (uid. fr. 5 cum adn.) iam in libro quarto ageret, longe res repetiisse uideatur. quamquam quae in tribus prioribus libris fuerint, utrum res ab origine urbis strictim deduxerit an, quae uulgata est opinio, copiosius bella Punica tractauerit, haec adcuratius definire non possumus, nihil enim ex eis ad nos peruenit, quod ad certam aliquam rem referri possit. sed quinto libro Ti. Gracchi mortem exposuit (fr. 6), quarto decimo, si Rothii coniecturam admodum probabilem sequimur, M. Liuii Drusi necem (fr. 11). nunc uero iterum in res incertas incidimus. nam quod Charisius rem quandam ex quadragesimo libro se sumpsisse adfirmat (13), procul dubio aut ipse aut librarii errorem conmiserunt. siue enim illam ad a. 86. 668 siue ad a. 83. 671, ultra quos annos propter aetatem uix descendere potuit, pertinere censemus (cf. adn. ad fr. 13), quis, cum antea circiter quattuor annorum res singulis libris conplexus esset, tunc singulorum annorum rebus etiam ternos libros expletos esse credat? minus mihi ut in re incerta esse exploratum uidetur, quo modo numerus ille corruptus restituendus sit.

De fide Asellionis nihil conpertum habemus. nam quamquam quibus rebus gerendis aut ipse interfuisset aut quas ab aliis, qui interfuissent, audire posset, scripsit, tamen nemo rerum scriptor eum laudauit, ut quae ex eius libris fragmenta seruata sunt, soli grammaticorum diligentiae, qui uerborum causa eius libros peruoluerant, debeamus. quid? quod praeter Ciceronem ante Hadriani aetatem omnino nemo eius mentionem iniecit atque ne in Gellii quidem notitiam, apud quem dimidia fragmentorum pars (1. 2. 5. 6. 7. 8. 10) exstat, non peruenit, nisi posteaquam noctes Atticae iam ad finem perductae sunt (Mercklin *Citiermethode d. Gell.* p. 704 adn.). cetera fragmenta singula

---

[1]) Etiam Stelkens p. 14 hanc inscriptionem praefert, sic eam constituens *Asellionis rerum a Romanis gestarum libri XIV* (*uel XV*).

leguntur apud Nonium (4), Seruium (14), Priscianum (3), in scholiis Vergilii Bernensibus (9), duo apud Charisium (in eo capite quod est de aduerbio, fr. 12. 13). de his tamen uix dubium erit, quin ipsi Asellionem non inspexerint sed ex aliorum libris eius fragmenta transtulerint, id quod de Charisio etiam pro certo adfirmari potest, nam is, cum alteri loco (fr. 13) adscripserit *ubi Fl. Caper 'quamuis artificiosus dici non possit, ut malitiosus,'* aperte significat, se Asellionis uerba sumpsisse ex Fl. Capro, qui — incertum est qua aetate — de dubio sermone libros conscripsit et, ut erat uerborum antiquorum studiosus, multa ex antiquis potissimum scriptoribus exempla conlegit.

Praeterea autem P. Boehme (*Beiträge zur Geschichte d. Gracchen* p. 10 sq.) etiam apud Plutarchum in uita Tib. Gracchi (c. 13 cf. adn. ad fr. 17) quaedam Asellionis uestigia deprehendisse sibi uisus est, neque tamen ea tam perspicua sunt, ut necessario Plutarchus Asellionem ante oculos habuisse existimandus sit. multo mihi esse ueri similius uidetur, in Appiani historias quaedam ex Asellione aut ex ipso aut per alium scriptorem fluxisse. uid. adnot. ad fr. 5. 7. 11.

M. AEMILIVS SCAVRVS

Vidimus medio saeculo urbis septimo duo noua historiae genera effloruisse, rhetoricum et pragmaticum. sed eodem tempore homines quidam nobilissimi etiam uitas suas describere coeperunt, M. Aemilius Scaurus et P. Rutilius Rufus, qui inter se saepe grauissimas simultates exercuere, tum Q. Lutatius Catulus et L. Cornelius Sulla.[1]) Quamquam enim iam antea fuerant qui res a populo Romano gestas enarrantes etiam suas res innecterent atque — id quod Catonem fecisse certo accepimus — in eis laudandis et praedicandis haud parci essent, tamen illi ut eis tantum modo factis, quae ad rem publicam spectarent, aliquid tribuendum esse existimauerant, ita quae memoriae mandarentur solas has res dignas duxerant, quibus rei publicae utilitatibus seruiissent, neque eas in historia a re publica ausi erant separare. itaque quod ei de quibus nunc loquimur suas uitas separatim edidere, senescentis est patriae amoris et ingrauescentis sui ipsorum cupiditatis, quae et in re p. et in litteris tum prouenire coepit.

Atque Sullam quidem postea demonstrabimus id commentariis suis egisse, ut res suas, quippe quas diuinitus adiutus gessisset, celebraret et crimina in se conlata defenderet neque pepercisse eum laudi suae gloriaeque et per se credibile est et conpluribus locis confirmatur. etiam Catuli aliquot uestigiis indicatur hoc consilium fuisse, ut laudem suam, quam Marius obscurauerat, in lucem reuocaret et inlustraret. at de eis, qui primi huic historico generi operam dederunt, de Scauro et Rufo

---

[1]) De eis peculiaribus libris egere L. Wiese, *commentatio de uitarum scriptoribus Romanis.* progr. gymn. Ioachimsth. 1840. W. H. D. Suringar, *de Romanis autobiographis siue iis qui de sua ipsi scripserunt uita.* Lugd. Bat. 1846. cf. Cicer. ad fam. V 12, 8 *Scribam ipse de me, multorum tamen exemplo et clarorum uirorum.*

nihil nisi hoc memoriae traditum est, spreta eos modestiae specie qua qui nunc uitas suas legendas proponunt, uti solent uel potius solebant, cum in suis rebus praedicandis prorsus aliena esset ueteribus, non esse ueritos de se quod sentiebant aperte proferre [1], quae laudatio sui tum omnino non mouebat fastidium aut molestiam. haec enim sunt Taciti uerba memoratu digna in uita Agricolae c. 1: *Sed apud priores ut agere digna memoratu pronum magisque in aperto erat, ita celeberrimus quisque ingenio ad prodendam uirtutis memoriam sine gratia aut ambitione bonae tantum conscientiae pretio ducebatur. ac plerique suam ipsi uitam narrare fiduciam potius morum quam adrogantiam arbitrati sunt, nec id Rutilio et Scauro citra fidem aut obtrectationi fuit: adeo uirtutes isdem temporibus optime aestimantur, quibus facillime gignuntur.*

Relliquiae eorum pertenues ad nos peruenerunt eaeque perpaucorum uerborum, quam ob rem nusquam nobis contigit, ut apud alios scriptores eorum uestigia indagaremus, neque num ab eis qui postea scripsere historicis eorum uitae in usum uocatae sint, discerni potest. illud unum moneo, plura de horum hominum uitis priuatis prodita esse quam de aliis haud minus nobilibus uiris, unde iure quis coniecerit, fluxisse ea ex ipsorum uitis. tamen uero superuacaneum duxi, quaecunque de Scauro et Rutilio apud ueteres scripta exstant, quae ex eorum libris hausta esse possint, hic ad unum omnia conlecta proponere. summa quaeque tetigisse satis erit.

M. igitur Aemilius Scaurus [2]) anno 162. 592 [3]) genere ille quidem patricio sed pauperibus parentibus et obscuris maioribus natus erat. nam pater, Marci praenomine (act. triumph. Capit. p. 460 Momms.), carbonarium negotium exercuerat (Aurel. Vict. de uir. ill. 72), et nec ipse nec auus nec proauus propter tenui-

---

[1]) cf. Plutarchi περὶ τοῦ ἑαυτὸν ἐπαινεῖν ἀνεπιφθόνως et Wiese p. 13. Suringar p. 1.

[2]) Eius uitam exposuere des Brosses, *Vie de Scaurus pour servir de supplément aux mémoires écrits par lui-meme. mémoir. des inscr.* XXIIII p. 235—260. Drumann I p. 25—28. Suringar p. 4—8. uid. etiam Orell. onom. p. 17—19.

[3]) Hic annus sequitur ex Asconio ad Scaur. c. 1 p. 22 Orell., qui Scaurum anno 90. 664, cum a Q. Vario tribuno plebis reus citaretur, septuagesimum alterum annum egisse scripsit.

tatem opum et nullam industriam honores adepti erant (Ascon. in Cic. Scaur. c. 1 p. 22 Orell.). Etiam filius eius aliquamdiu num patris uestigia secutus argentariam faceret dubitauit (Aur. Vict. l. s.), tum uero cum summo arderet potentiae et honorum studio rem p. capessere statuit atque, etsi paruulam hereditatem a patre acceperat (fr. 1) et haud raro rerum inopia inpediebatur, industria, ingenio, prudentia, calliditate hoc effecit, ut iam in consulatu princeps senatus dictus 'memoriam prope intermortuam generis sui renouaret' (Cic. pro Muren. c. 7, 16). ad hunc tamen honoris gradum ei aeque ac nouo homini enitendum et laborandum erat (Ascon. l. s.). primo autem in Hispania publice eius opera laudata est, cum corniculum mereret, tum in Sardinia stipendia fecit sub L. Aurelio Oreste (Aur. Vict. l. s.), qui consul a. 126. 628 bellantes Sardos subegit, et paulo post [1]) aedilitatem curulem adeptus est, in qua cum propter paupertatem ludorum adparatu et magnificentia populi oculos in se conuertere non posset, 'iuri reddendo magis quam muneri edendo studuit' (Aur. Vict. l. s.). num quaestura et praetura functus sit quibusue annis, non constat. nam apud Ciceronem in diuin. in Caec. 19, 63, quem locum quaesturae testem protulit Suringar p. 4, non Aemilii Scauri nomen nunc scriptum exstat sed Aurelii (qui quidem haud raro cum Aemilio a uiris doctis temere confusus est), et qui praetorem eum aduersus Iugurtham rem gessisse scripsit Aurelius Victor, aperte errauit, cum Scaurus iam ante belli Iugurthini initium consul fuerit. [2]) peruenit enim posteaquam a. 117. 637 repulsam tulit (Cic. pro Muren. 17, 36), ad consulatum a. 115. 639 cum M. Caecilio Metello eodemque anno cum nondum censorius esset, a L. Metello Cn. Domitio censoribus princeps senatus dictus est (cf. locos a Drumanno p. 26 n. 67 conlectos). consul uero domi militiaeque de ciuitate bene meritus est. domi enim legem de sumptibus tulit (Aur. Vict. l. s.), ex qua hoc inseruit Plinius n. h. VIII 223: *Sorices et ipsos hieme condi auctor est Nigidius, sicut glires, quos censoriae leges princepsque M. Scaurus in consulatu non alio modo cenis ademere*

---

[1]) Annus 123. 631, quem apud Drumannum, Suringarium, ceteros habes, Pighii coniectura nititur.

[2]) Pighii errorem quendam, qui pro praetore Achaiam ab eo administratam esse coniecerat (III p. 82) Drumann p. 26 redarguit.

quam conchylia aut ex alio orbe connectas auis. quo cum instituto quae Gellius de lege quadam Aemilia proposuit, 'qua non sumptus cenarum sed ciborum genus et modus praefinitus esset,' (II 24, 12) ita concinunt, ut etsi Gellius hanc legem post Sullae leges recenset et Macrobius (sat. III 17, 13) seu Gellio ipso seu eodem quo Gellius fonte usus Sulla mortuo Lepidum consulem a. 78. 676 eum tulisse adfirmat, tamen eandem legem ab utrisque dictam esse censuerim tribuerimque Plinii auctoritatem amplexus Scauro. hunc enim ut hominem nobilitatis studiosum ueterem parsimoniam atque cenarum tenuitatem reuocare conatum esse multo magis est ueri simile quam Lepidum, quem in ceteris Sullae aduersantem quis in hac re eius consilia (Gell. II 24, 11. Macr. III 17, 11) secutum esse credat? tum uero idem Scaurus legem rogauit de libertinorum suffragiis (Aur. Vict.), quam coniectura probabili ita explicauit Walter (*Röm. Rechtsgesch.* p. 123), ut libertinos, quos Ti. Gracchus a. 168. 586 in unam tribum coniecerat, denuo in quattuor urbanas descriptos esse censeret.[1])

Eodem anno etiam in Gallia feliciter bellauit et 'de Galleis Karneis' mense Nouembri uel Decembri triumphauit.[2])

Itaque Scaurus tum primum locum in ciuitate obtinuit et quamuis bello Iugurthino non minus incorruptus maneret quam multi alii optimates, tamen, qua erat calliditate et dexteritate, ea dignitate non est spoliatus. ac primo quidem cum a. 117. 637 Iugurtha legatos, qui Atherbalis crimina repellerent, auro argentoque onustos Romam misisset, largitionum inlecebris restitit, non quo ipsam rem respueret sed quia largitionem famosam inpudentemque uidit inuidiamque ueritus est (Sall. Iug. 25, 3). etiam quinque annis post (112. 642) in Africam legatus missus, ut Iugurtham ab Atherbale Cirtaque obsidenda reuocaret (25, 4), animi integritatem seruasse uidetur, certe Sallustius, qui

---

[1]) Nescio qua causa adductus Mommsen h. R. II p. 132 hanc legem latam esse a. 122. 632 posuerit.

[2]) Haec enim acta triumphalia Capitolina exhibent: *M. Aemilius M. f. L. n. Scaurus cos.* [*an.*] DCXXXIIX (= 639 *sec. Varronem*) *de Galleis Karneis V . . . .* [*de*]*c.* contra Aurelius Victor eum consulem Ligures et Gantiscos domuisse atque de his triumphasse scripsit. sed Gantiscorum gens nusquam conmemoratur. an pro Gantiacis 'Tauriscorum' nomen substituendum est, quae gens finitima fuit Carnis?

haud ita aeque de eo iudicat, de hac legatione, etsi legati infecta re discessere, nihil ei exprobrare ausus est (cf. 29, 2). tum uero anno insequenti, posteaquam L. Calpurnius Bestia consul bellum contra Iugurtham gerere coepit, ab eo socius et administer omnium consiliorum adsumptus magnitudine pecuniae ostentatae succubuit et cum Bestia consule a Iugurtha expugnatus pacem Numidis dedit (c. 29). Tanta autem eius erat Romae auctoritas et potentia, ut etsi plebs summa exardescebat Bestiae inuidia, atque Scaurus auctor et socius eius ferebatur, tamen non solum anni 109. 645 cum M. Liuio Druso censuram adipisceretur (Mommsen *C. I. L.* I p. 438) sed etiam eodem anno, cum censor esset, et L. Mamilius Limetanus tribunus pl. rogauisset, ut quaereretur in eos, qui a Iugurtha in legationibus aut imperiis pecunias accepissent, in trium quaesitorum numero crearetur (c. 40), quo iudicio condemnauit eos (Cic. Brut. 34, 128), quibuscum Iugurthae pecunias partitus erat. censor ciuium utilitati seruiuit, cum pontem Muluium, qui tum omnino dirutus fuisse uidetur, restitueret, ut postea eius monumentum diceretur (Aur. Vict. l. s. Ammian. Marcell. 27, 3, 9), uiam Aemiliam, quae a Pisis per Lunam usque ad Dertonam ferebat[1]), muniret (Aur. Vict. l. s. Strab. V c. 8 p. 217), agros Galliae cisalpinae palustres exsiccaret (Strab. l. s.).[2]) sed cum conlega mortuus esset, priusquam munere esset defunctus, Scaurus consuetudini, qua alter censor magistratu abire iubebatur, cedere nolebat, dum tribuni plebis se eum in uincula coniecturos esse minarentur (Plut. quaest. Rom. 50).

Iterum a. 107. 647 ad consulatum peruenit in locum L. Cassii Longini, qui in Gallia a Tigurinis insidiis circumuentus et occisus erat, suffectus, postquam se feliciter defendit a P. Rutilio. is enim cum simul cum Scauro consulatum petens superatus esset, designatum conpetitorem ambitus reum fecerat, qui absolutione sua non contentus postea Rutilium eodem crimine in ius uocauit (Cic. Brut. 30, 113. de orat. II 69, 280). Sed etiam ab aliis Scaurus, ut erat natura uehemens et acer (Cic. Brut. l. s.) et facile aliorum inimicitias in se contrahebat, criminibus

---

[1]) Distinguenda haec uia est ab ea Aemilia, quae Flaminiam excipiebat.

[2]) Suringar p. 5 haec Scaurum in consulatu fecisse scribit, obstat tamen clarum Aurelii Victoris testimonium.

exercitatus est, quamquam ex omnibus iudiciis incolumis euasit. ut Cn. Domitius iratus Scauro, quod eum in augurum conlegium non cooptauerat, diem dixit apud populum, quod eius opera sacra publica populi Romani deum penatium, quae Lauinii fierent, minus recte casteque fierent (a. 104. 650. Ascon. in Scaur. p. 21 Or. cf. Cicer. pr. Deiot. 11, 31. Valer. Max. VI 5, 5. Dion. fr. 95). tum Q. Seruilius Caepio et M. Brutus eum de repetundis accusauere, quae crimina non solum refutauit, sed etiam Caepionem reum deferre ausus est (a. 91. 663. Ascon. l. s. Cic. pro Scauro 1, 2. p. Fonteio 13, 28 cf. fragm.). denique cum insequenti anno Q. Varius Hybrida tribunus pl. legem tulisset, ut quaereretur de eis, quorum ope consilioue socii contra populum Romanum arma sumpsissent, idem Q. Caepio, uetus Scauri inimicus, illi persuasit, ut Scaurum belli concitati crimine in ius uocaret. una autem Scauri uoce accusator repulsus est, cum accepto respondendi loco diceret: *Q. Varius Hispanus M. Scaurum principem senatus socios in arma ait conuocasse*; *M. Scaurus princeps senatus negat; testis nemo est*: *utri uos, Quirites, conuenit credere?* (Ascon. p. 22. Cicer. p. Scaur. 1, 3. Quintil. V 12, 10. Aur. Vict. l. s. Valer. Max. III 7, 8, qui ad aliam rem falso Scauri uerba notissima rettulit). Praeterea idem Scaurus etiam in aliis iudiciis aut accusator aut testis uersatus est, plerumque, ut uidetur, partium studio ductus, neque tamen in eis tribus actionibus, de quibus adcuratiora accepimus, ei res feliciter cessit, quid? quod cum in Flauium Fimbriam et in C. Memmium iuratus diceret, ne creditum quidem ei est (Cic. pro Font. 7, 14. de orat. II 70, 283. Valer. Max. VIII 5, 2).

Sed ut eius honores et laudes usque ad finem persequamur, et augur fuit (cf. Ascon. l. s.) et rem frumentariam, quae ad eum a L. Appuleio Saturnino translata erat, procurauit (Cic. p. Sext. 17, 39. de harusp. resp. 20, 48). atque cum a. 100. 654 Saturninus tribunus pl. et Glaucia praetor grauissimas seditiones mouissent nec quisquam eis resistere auderet, Scaurus primus arma sibi adferri iussit Mariumque consulem hortatus est, ut libertatem legesque manu defenderet.[1]) qua re, si Valerii Maximi

[1]) Valerius Maximus III 2, 18 rhetorice hanc rem exornauit. uid. Cic. pr. Rabir. perd. r. 7, 21. — Aurelius Victor falso etiam Opimium contra Gracchum priuato consilio a Scauro armatum esse addidit.

narrationi rhetoricae fidem habes, illo anno optimatibus potentiam et auctoritatem restituit.

Ex relicua eius uita hoc unum memoriae traditum est, eum (fortasse a. 92. 662) legatum in Africam missum et a. 91. 663 'ob legationis Asiaticae inuidiam et aduersus leges captarum pecuniarum'[1]) reum repetundarum lege factum esse a Q. Seruilio Caepione (Ascon. l. s.). paulo post diem supremum obiit, nam a. 88. 666 eius uxor Caecilia, uidua ab eo relicta, Sullae nupsit (Drumann II p. 37).[2])

Haec igitur M. Aurelii Scauri fuit uita, qui, ut ait Cicero, 'a C. Graccho usque ad Q. Varium seditiosis omnibus restitit, quem numquam ulla uis, ullae minae, ulla inuidia labefecit' (pro Sext. 47, 101). quotiescunque igitur occasio data est, a Cicerone (cf. Orelli onom. p. 17 sqq.) tamquam optimatium praesidium et propugnaculum eximiis decoratur laudibus, neque ulla est uirtus, propter quam Scaurum non celebrauerit. atque de ingenio quidem ei concedimus haud mediocriter Scaurum fuisse a natura instructum. sed si in quoquam homine, in hoc cognosci potest, quantum senatorum Romanorum mores a prisca illa integritate et grauitate defecerint. seueritatem quidem retinuerat atque unum ex filiis, qui ad Athesim flumen cum Catulo a Cimbris pulsus fugerat, tam acerbis uerbis castigauit, ut ille sibi ipse mortem conscisceret (Valer. Max. V 8, 4. Plut. de fort. Rom. 5. 10. Frontin. IIII 1, 13), at innocentia animi cum illius aetatis moribus tum mercatura et negotiis, quibus primo deditus fuerat, ita esse adtrita uidetur, ut saepe salute publica posthabita suum conmodum sequeretur. quamquam magna prudentia et callidis consiliis plerumque ita rem occultauit, ut rumor quidem in uulgus emanaret, conuinci autem fraudis non posset. neque uero est cur miremur, populo suspicionem motam esse, cum Scaurus, quem pauperrimum uiderat, subito omnibus copiis omniumque rerum

---

[1]) Valer. Max. III 7, 8 eum a Mithridate ob rem p. prodendam pecuniam accepisse refert, sed cum eius narratio errore nitatur, nolui eam supra sequi.

[2]) Fuere qui a Lucilio (Non. s. u. excanto p. 102 = fr. II 6 Gerlach. *Quae ego nunc Aemilio praecanto atque exigo et excanto*) hunc Scaurum dictum esse existimarent. Certae tamen causae eius opinionis nullae sunt. cf. Gerlach. praef. p. XXIII.

abundantia circumflueret atque etiam uita eius priuata non omni nota careret. scilicet hoc ne Cicero quidem, summus eius laudator, (de orat. II 70, 283) silentio praeteriit, nonnulla eum flagrasse inuidia, quod Phrygionis Pompeii, locupletis hominis, bona sine testamento possideret.[1])

Sed non solum rei p. sed etiam litteris Scaurus operam dedit, ita tamen, ut hae otii fruges arte cohaererent cum opera publica. primum enim orationes quasdam scriptas edidit[2]), tum de uita sua tres libros sermone patrio usus ad L. Fufium, hominem antiquae seueritatis et integritatis, misit (Cic. Brut. 29, 112. 35, 132. Plin. XXXIII 21), quibus id eum egisse ueri simillimum est, ut opprobria et crimina, quibus obruebatur, amoliretur et dilueret. nec fidem tum ei denegatam aut, quoniam laudibus non pepercerat[3]), obtrectatum esse ex Tacito supra enotauimus. Sed etsi hi libri 'lectu sane utiles' erant, tamen qui legerent iam Ciceronis tempore, uix quinquaginta annis post (nam Scaurum prouectum aetate scribendo studuisse consentaneum est) nancti non sunt (Cic. Brut. l. s.). cuius rei causam repetendam esse existimo ex genere scribendi. ut enim Cicerone teste in orationibus eius grauitas quidem summa et naturalis quaedam inerat auctoritas, desiderabatur ars et suauitas, ita etiam historia, cum solam rem Scaurus sequeretur nec arte eius elocutio exculta esset, incompta et sicca fuisse uidetur. sed adponam ipsa Ciceronis uerba (c. 29, 110), cum quae de orationibus dicat, quodam modo etiam in historiam cadere probabile sit: *De Scauro et Rutilio breuiter licet dicere, quorum neuter summi oratoris habuit laudem, et uterque in multis causis uersatus erat, in quibusdam laudandi uiri, etiam si maxumi ingeni non essent, probabiles tamen industria; quamquam his quidem non omnino*

---

[1]) Multo rectius quam Cicero Sallustius de eo iudicauit de bell. Iugurth. 15, 3: *At contra pauci, quibus bonum et aequum diuitiis carius erat, subueniundum Atherbali et Hiempsalis mortem seuere uindicandam censebant; ed ex omnibus maxume Aemilius Scaurus, homo nobilis, impiger, factiosus, auidus potentiae, honorum, diuitiarum, ceterum uitia sua callide occultans.*

[2]) Fragmenta earum tantum modo orationum quas scriptas et editas esse constaret, infra recepimus. de ceteris cf. Meyer. p. 253—261.

[3]) cf. Brut. 29, 112 *At Cyri uitam et disciplinam legunt, praeclaram illam quidem, sed neque tam nostris rebus aptam nec tamen Scauri laudibus anteponendam.*

ingenium, sed oratorium ingenium defuit. — In Scauri oratione, sapientis hominis et recti, grauitas summa et naturalis quaedam inerat auctoritas, non ut causam, sed ut testimonium dicere putares, cum pro reo diceret. hoc dicendi genus ad patrocinia mediocriter aptum uidebatur, ad senatoriam uero sententiam, cuius erat ille princeps, uel maxume; significabat enim non prudentiam solum sed, quod maxime rem continebat, fidem. habebat hoc a natura ipsa, quod a doctrina non facile posset; quamquam huius quoque ipsius rei, quem ad modum scis, praecepta sunt.

Cum autem iam Ciceronis aetate nemo Scauri libros legerit (atque uereor ne Cicero ipse non nouerit), non est mirum, quod perpauca fragmenta seruata sunt, singula a Valerio Maximo (fr. 1), a Seruio (6), ab eo qui quartum librum Frontini strategmatis addidit (fr. 7. quod iam Pighius ann. III p. 103 ad hos Scauri libros rettulit), ex quibus praeter Valerium Maximum uix quisquam ipsum Scaurum inspexit. tum uero nescio quis, uel Iulius Romanus uel huius auctor, et Scauri et Rutilii libros ex obliuione, qua iam obruti erant, protractos excerpsit, cuius diligentiae Charisius omnia Scauri et orationum (1—4) et uitae (fr. 2) et Rutilii (fr. 7—12) uitae fragmenta debet. nam in eis solis capitibus (I 17 de analogia et II 13 de aduerbiis) quae pendent a Iulio Romano (uid. supra p. CLXIII) inueniuntur. ex eodem uero auctore etiam Diomedes Scauri et Rutilii notitiam hausisse uidetur. certe ipsis usus non est. quod si sumis, qua ratione factum esse explicabis, ut ab hoc quinquies (Scaur. fr. 3. 4. 5. Rutil. 14. 15) laudarentur solis pag. 374—385 K. (in eo capite quod est de coniugationibus uerborum), nusquam alibi?

P. RVTILIVS RVFVS

P. Rutilius Rufus, qui nulla auctoritate uulgo (etiam in onomast. Orell.) Sp. f. Sp. n. dicitur, primum inclaruit, cum tribunus militum esset in Scipionis exercitu ad Numantiam (App. Hiber. 88. Cic. de rep. I 11, 17). tum legatus erat Q. Caecilii Metelli consulis in bello Iugurthino (a. 109. 645). sed a. 107. 647 consulatum petens repulsus est a Scauro atque frustra conpetitore ambitus reo facto eam repulsam ulcisci conatus est (cf. supra p. CCLVI). melius ei res cessit tertio anno post, quo cum Cn. Mallio eum honorem adeptus est. quibus gradibus ad consulatum ascenderit, ignoramus, illud unum certo accepimus (Cic. pr. Planc. 21, 52), eum in tribunatu petendo repulsam accepisse. quam ob rem noli fidem habere eis, quae apud plerosque de Rutilii quaestura, tribunatu, praetura secundum Pighium decantata legis. De ipso tamen consulatu perpauca memoriae tradita sunt. nam cum Cn. Mallius collega una cum Q. Seruilio Caepione proconsule in Gallia infeliciter contra Cimbros et Teutonos pugnaret, ipse in Italia remansisse uidetur et, cum summus metus Romanorum animos, ne Germani Alpes transgressi in Italiam descenderent, inuasisset, nouum exercitum conscripsit (Frontin. strateg. IIII 1, 12) militumque animos ita confirmare studuit, ut gladiatorum doctoribus de ludo Cn. Aurelii Scauri arcessitis uitandi atque inferendi ictus subtiliore ratione legiones inbueret (Valer. Max. II 3, 2). praeterea tunc eius auspiciis data est Puteolanis lex *parieti faciendo in area quae est ante aedem Serapi trans uiam,* quae etiam nunc exstat in lapide incisa. ap. Mommsen. in C. I. L. I p. 163 n. 577.

Vt uero per totam uitam, ita etiam a. 100. 654 senatus atque nobilitatis auctoritatem defendit et cum Scauro contra Saturninum arma cepit (Cic. pro Rab. perd. r. 7, 21). paullo post (c. a. 98. 656) legatus Q. Mucium Scaeuolam pontificem (cf. Orell.

onomast. p. 407 sqq.) proconsulem, cum esset eius amicissimus, in Asiam secutus omnibus eius consiliis et rebus interfuit[1]), quibus id agebatur, ut prouincialium angustiae et inopia leuarentur et defenderentur publicanorum iniuriae. solos tamen nouem menses Scaeuola Asiae praefuit (Cic. ad Att. V 17, 5), sed eo breui tempore continentia, iustitia, liberalitate Asianorum quidem amorem ita sibi conciliauit, ut in eius honorem diem festum *Mucia* nominarent (Pseudo-Asc. l. s.) et usque ad Mithridatis aetatem celebrarent (Cic. Verr. II 21, 51). publicanorum autem summum odium in se conuertit (Cic. ad fam. I 9, 28. pro Planc. 13, 33). posteaquam uero Mucius Romam decessit, Rutilius in Asia remansisse[2]) et eodem quo Mucius animo res administrasse uidetur. Sed hic inuidiae fructus cepit. nam cum tum iudicia penes equites essent, publicani odia, quibus in Rutilium atque in Scaeuolam ardebant, facile expleri et optimatium partem debilitari et adfligi posse arbitrati Rutilium a. 92. 662 uel 93. 661[3]) repetundarum reum fecere. de ipso uero iudicio, etsi saepissime cum Rutilio uirtutem ipsam in exilium missam esse conqueruntur, perpauca ueteres scriptores memoriae prodidere. inmissus igitur a publicanis Apicius quidam, qui propter luxuriam male audiebat (Athen. IIII 168[c]), Rutilio non solum multa furtim ex prouincia ablata corruptumque pecunia ab eo Q. Mucium exprobrauit (Cass.

---

[1]) Haec enim tradidit Liuius per. LXX, quocum facit Diodorus exc. de uirt. et uit. XXXVI p. 610 Val. 152 Dind.: *ἐκπεμφθεὶς γὰρ εἰς τὴν Ἀσίαν στρατηγὸς ἐπιλεξάμενος τὸν ἄριστον τῶν φίλων σύμβουλον Κόιντον Ῥοτίλιον μετ᾽ αὐτοῦ, συνήδρευε βουλευόμενος καὶ πάντα διατάττων καὶ κρίνων τὰ κατὰ τὴν ἐπαρχίαν.* prae hisce testimoniis spernendus est Pseudo-Asconius p. 122 Or.: *Huius* (*Scaeuolae*) *quaestor Rutilius Rufus damnatus est, quod cum praetore consenserit suo, ne publicani aliquid agerent in prouincia sua.* cf. Perizonius animadu. hist. p. 60 sq. ed. Harl.

[2]) Secutus sum Haackhium (*Pauly Realencykl.* VI 1 p. 587), qui ad hanc sententiam peruenit conlatis uerbis Pomponii (de orig. iur. II 40 p. 4 Momms.): *P. Rutilius Rufus, qui Romae consul et Asiae proconsul fuit.* etiam hoc inde facile explicatur, quod Rutilius anno demum 92. 662 a publicanis reus factus est, cum iam annis minimum septem ante Mucius ex Asia decessisset.

[3]) Hic annus sequitur ex loco quo Liuius (per. LXX) illorum annorum res persequens Rutilium in exilium missum esse memorat. cf. Fischer, *Zeittaf.* ad a. 193.

Dion. fr. 97) sed etiam stupra ac lubidines (Cic. pro Font. 17, 38 [13, 28]). qui cum perorasset, Rutilius, ut erat integritatis et innocentiae suae sibi conscius, paene Socratico, ut bene ait Quintilianus (XI 1, 12), genere defensionis usus, 'non modo supplex iudicibus esse noluit, sed ne ornatius quidem aut liberius causam dici suam quam simplex ratio ueritatis ferebat' (Cicer. de orat. I 53, 229. cf. Oros. V 17). et cum eo ipso tempore florerent eloquentissimi uiri, L. Crassus et M. Antonius consulares, tamen eorum eloquentia spreta praeter se ipsum neminem nisi quibusdam ex partibus sororis filium, C. Cottam et Q. Mucium amicum causam suam dicere passus est (Cic. de orat. l. s. Brut. 30, 115), eosque, ut uidetur, ea tantum modo condicione, ut nullo adparatu et simpliciter se defenderent. haec autem ipsa animi aequitas etiam magis iudices exacerbasse uidetur et, cum nobilitas tum se non auderet conmouere, contra etiam Marius summa ope niteretur (fr. 4. Dio l. s.), Rutilius bonis exutus in exilium eiectus est.

Periurio tamen iudicum eum condemnatum esse tum omnium consensu ferebatur, quae opinio eo magis aucta et confirmata est, cum in eius domo minor pecunia inueniretur, quam eum ex Asia deportauisse accusator insimulauerat, eaque ad legitimam et iustam originem referretur (Dio l. s.). ne multa, non propter scelus sed propter animi integritatem, qua inueterata rei p. mala euellere studuerat, et propter optimatium inuidiam uir ille 'non saeculi sui sed omnis aeui optimus' (Vellei. II 13) fortunae cedere coactus est. Migrauit in Asiam et si innocentiae documento opus est, ab Asianis hoc ei additum est. quasi triumphans enim illic receptus est et ab omnibus ciuitatibus rogatus, ut in sua urbe domicilium conlocaret (Val. Max. II 10, 5). sed primo Mytilenen se contulit, tum, cum a. 88. 666 Mithridates Romanos, quos in Asia consequi posset, trucidaret, fugit (Cic. pr. Rab. Post. 10, 27) Smyrnam ibique a Smyrnaeis maxime honoratus et in ciuitatem receptus (Cic. pr. Balb. 11, 28. Tacit. ann. IIII 43) a Sulla frustra in patriam reuocatus (Quint. XI 1, 12. Senec. epist. 24. 79. 98) consenuit et diem supremum obiit. de anno minus constat. utique uixit a. 78. 676, quo eum Cicero in itinere Asiatico Smyrnae uisit (Brut. 22, 85. de rep. I 8, 13), et anno 77. 677, quo cum sermonem de natura deorum habitum esse fingeret, Cicero eum ut uiuentem conmemorauit (III 33, 80). Paullo cer-

tiora de anno eius natali adfirmare possumus. cum enim a. 134. 620 tribunus militum ad Numantiam fuerit et P. Scipionem et D. Brutum a. 138. 616 ex ipsius testimonio (ap. Cic. Brut. 22, 85), cum adulescentulus esset, uiderit, eodem fere anno quo Asellionem i. e. a. 151. 603 uel 152. 602 eum natum esse ueri est simillimum. minimum igitur usque ad annum aetatis septuagesimum quartum peruenit.

Quoniam uitam Rutilii publicam adumbrauimus, pergimus ad priuatam, in qua non solum eisdem uirtutibus excellebat quibus in publica, summa seueritate et in se et in suos (Front. str. IIII 1, 12), parsimonia (Athen. VI p. 274c), grauitate, innocentia, temperantia sed etiam ardenti et adsiduo litterarum studio, eisque non, quem ad modum Scaurus, rebus publicis seruire uoluit sed ipsarum causa eas coluit tantoque amore amplexus est, ut uel sub ipsis Numantiae moenibus cum Scipione de rebus caelestibus disputare soleret (Cic. de rep. I 11, 17). etiam hoc addendum est, multa eum usum esse opera et industria (Cic. Brut. 30, 113), quibus uirtutibus omnino quod profecit magis debuit quam insitae ingenii facultati. Iam adulescentulus igitur se ad P. Mucium Scaeuolam tum ad Brutum et Manilium, 'qui fundauerunt ius ciuile', contulerat, ut ab eis iuris scientiam disceret, et postea celeberrimus iuris consultus Romanus erat. magnumque munus de iure respondendi sustinuit (Pompon. de orig. iur. I 2, 40 p. 4 M. Cic. de off. II 13, 47. Brut. 30, 113. Zimmern, *Gesch. d. röm. Privatrechts* I p. 280 sqq.) et quaedam de iure etiam edidisse uidetur (Cic. Brut. l. s.).[1]) praeterea in Graecis Latinisque litteris multum uersabatur (Cic. Brut.) atque in primis item adulescens Paenaetium Stoicum frequenter audiuit et admiratus est (Cic. Brut. l. s. de off. III 2, 10) totumque se Stoicis addixit, quorum disciplina maxime eius indoli adcommodata mores etiam seueriores et rigidiores reddidit totamque naturam inbuit. quamquam hoc ipsum, si Ciceroni credimus (Brut. 29, 110 sqq.), inpediuit, quominus, cum orator ad forum accederet, popularis esset — abhorrebat enim genus orationis Stoi-

---

[1]) An Ciceronis uerba *sunt eius orationes ieiunae, multa praeclare de iure* intellegenda sunt de orationibus, in quibus multa praeclara de iure protulisset? — Roth p. 329 etiam histor. fr. 1 ex libris de iure scriptis excerptum esse suspicatur.

cum, acutum illud quidem et artis plenum sed exile ieiunum obscurum ab uulgi auribus — sed tamen cum ut Stoicus nihil curaret popularem adsensionem, in multis causis uersatus est et aliquot orationes etiam litteris mandauit. uelut quam habuit de modo aedificiorum, Augustus, ut iam antiquis hanc rem curae fuisse demonstraret, in senatu recitauit (Suet. Aug. c. 89). neque uero ipsa orationum uerba ulla ad nos peruenerunt, nam etiam id fragmentum, quod uulgo sub eius nomine ferebatur, cum Iordano prol. ad Cat. p. XCI eiecimus et ad Catonem relegauimus. haec enim apud Diomedem p. 372 P. 376 K. uulgo leguntur: *Ostendor ostentus, quoniam sit tendor tentus. nam ostentatus est frequens: P. Rutilius de uita sua: 'Vni una ostentata est.' idem pro L. Cesutio* (sic enim duo codd. Parisini; *idem* . . . *sutio* Monac.) *ad populum ex hoc deriuauit participium 'quod ego me spero ostenturum' non ostensurum neque tensurum.* at eadem uerba, quae hic Diomedes ex Rutilii oratione, Priscianus X p. 892 P. 560 H. ut ex oratione *Catonis pro Lucio Caesare ad populum* sumpta adtulit, et cum Festus p. 301 uerba quaedam ex oratione Catonis, quam pro L. Caesetio dixerit, laudet (p. 63 Iord.), nusquam orationis, quam Rutilius pro eiusdem aut similis nominis homine habuerit, mentio fiat, nullus dubito, quin Prisciano de nomine oratoris, Diomedi de cliente fides habenda sit et apud Diomedem lacuna ante u. *idem* statuenda, qua haustum sit Catonis aliquod fragmentum. De aliis eius orationibus, quas dixit contra Scaurum et contra Apicium, quae conperta habemus, iam supra conlegimus (cf. Meyer p. 263 sqq.).

Denique Rutilius etiam ad historiam scribendam animum aduertit, idque, ut probabile est (Lachmann de f. L. II p. 27), eo tempore quo in Asia exulabat. totum enim illud cum litteris dedisse diserte Orosius (V 17) tradidit, habuitque tum secum etiam Aurelium Opilium, qui Romae primo philosophiam, deinde rhetoricam, nouissime grammaticam docuerat, dimissa autem schola Rutilium in Asiam secutus ibidem cum eo Smyrnae consenuit (Suet. de gram. 6 p. 105 Rf.).[1]

Conmemorantur uero libri eius duo, primum historiae Romanae Graeco sermone conscriptae ab Athenaeo (qui

[1]) Caue tamen Symmacho epist. I 22 magistrum Opilium Rutilio fuisse credas. uid. Ritschl parerg. I p. 239 sq.

eius notitiam hausit ex Posidonio) IIII p. 168[e]: οὗτος δ' ἐστὶν Ἀπίκιος ὁ καὶ τῆς φυγῆς αἴτιος γενόμενος Ῥουτιλίῳ τῷ τὴν Ῥωμαϊκὴν ἱστορίαν ἐκδεδωκότι τῇ Ἑλλήνων φωνῇ. VI p. 274[c]: Ῥουτίλιος Ῥοῦφος ὁ τὴν πάτριον ἱστορίαν γεγραφώς (cf. fr. 5), tum quos de uita sua Latine scripsit, numero minimum quinque (fr. 7—13. Tac. Agric. 1). sed quae fragmenta ex Rutilii historiis ad nos peruenerunt, si origo adcurate adscripta est, ex uita ipsius deprompta sunt, ad historias unus locus (fr. 5) diserte relatus est, ceteri antiquitus de coniectura. atque cum ex his, quae sunt sex (fr. 1—6), unum pertineret ad sextum Marii consulatum, alterum ad Pompeii Magni patrem, Huschke (*iur. antei. q. s.* p. 10) et Nissen (*Untersuchungen* p. 43) praeter uitam historias a Rutilio conpositas esse negarunt, et quae nos earum fragmenta esse uoluimus, aut ex eis quos de iure edidit libris (fr. 1) aut ex uita originem ducere existimauerunt, quam ipse in sermonem Latinum uertisset. at ut nunc taceam, posse dubitari, num de iure scripta quaedam ediderit, in quibus fr. 1 de nundinis locum habere posset, restant duo fragmenta, quorum res extra uitae Rutilianae fines positae sunt, fr. 2. 3. si enim dicas Rutilium illas quasi in transcursu de uita sua agentem tetigisse, singulari profecto casu accidisset, ut Liuius et Gellius tantum digressiones excerperent, omnino nemo ipsas Rutilii res. deinde Athenaeus uel Posidonius, cui haec de Rutilio ille debet, qui eius scripta bene nosset, Rutilii uitam nullo pacto dicere potuit Ῥωμαϊκὴν uel πάτριον ἱστορίαν. denique, quod grauissimum est, de nullo scriptore Romano de eadem re et Graece et Latine eum scripsisse certo conperimus. acquiescimus igitur in uulgari sententia et duos diuersos libros, unum de rebus Romanis Graece, alterum de uita sua Latine eum scripsisse statuimus.

Relliquiae autem perexiguae sunt neque tantae, ut de genere scribendi aliquod iudicium proferre liceat. uerum tamen in uita quidem eodem eum usum esse probabile est quo in orationibus. quam ob rem cadere uidetur in eam, quod Cicero (Brut. l. s.) de orationibus iudicat et optime cum tota Rutilii uita ac natura conuenire facile intellegimus, peracutas quidem illas et artis plenas sed seueras ieiunas exiles fuisse. unde factum esse arbitror, ut hic liber raro lectitaretur (nam ne Cicero quidem eum nouisse uidetur) et breui in obliuionem ueniret, neque quisquam ante Tacitum eius mentionem faceret. etiam fragmenta

quae exstant apud Charisium et Diomedem non adsiduae horum grammaticorum lectioni sed unius alicuius uiri docti diligentiae et casui cuidam nos debere supra p. CCLX exposuimus.

Vt uero ad historias ueniamus, hoc constat, pertextas esse res usque ad ipsius Rutilii aetatem, minus exploratum est, unde exorsae sint. nam quae de nundinis ex eis adtulit Macrobius (fr. 1), non talia sunt ut nisi in regum historia conmemorari non potuerint. at quin iam Scipionis Africani maioris mortem narrauerit (fr. 2) itemque trium illorum philosophorum legationem nobilissimam (fr. 3), non est dubium. quae uero ratio intercesserit inter historias et uitam, nam in utroque libro saepe eandem rem tractare debebat, in tanta fragmentorum paucitate discerni non potest. quamquam mihi quidem haec coniectura admodum probabilis esse uidetur, historiis Rutilium rerum Romanarum cognitioni seruire uoluisse, uita suae famae, ut, si quae ex condemnatione adspersae essent maculae, eas abstergeret omnibusque persuaderet, quod molestius ferebat quam ipsum exilium, male de se esse iudicatum (Senec. ep. 24, 3).

Itaque non mirabimur, si uitam suam non sine ira et studio enarrauerit. grauius est quod Plutarchus etiam historiis idem crimen exprobrauit, cum priuatis inimicitiis, quae ei erant cum Mario, eum ductum scripsisse diceret sparsa pecunia Marium sextum consulatum emisse (fr. 4). etiam Pompeii Magni patris laudi ab eo malitiose obtrectatum esse Pompeii Magni amici contendisse uidentur (fr. 5). sed utcunque haec res se habet, consilio Rutilium falsa finxisse et ementitum esse, uix mihi probabitur: ita abhorret ab eius moribus. etiam hoc addam, optimo iudicio eum usum esse uideri in auctoribus eligendis. Polybium enim ita coniunxerunt cum Rutilio et Liuius (fr. 2) et Gellius (fr. 3), ut auctor ille haud contemnendus de his rebus et adhibitus et citatus a Rutilio esse uideatur. cf. *de font. Plut.* p. 65.

Conmemorauit autem Rutilii historias primus, quod sciamus, Posidonius Apamensis, Pompeii Magni aequalis, ex quo quae de eis protulit se exscripsisse profitetur Athenaeus (l. s. s.), cui, cum Polybii historias usque ad suam aetatem continuaret, Rutilius magno usui esse poterat, eumque fuisse propter amicitiam, quae inter eos intercedebat (Cic. de off. III 2, 10), probabile est. Sequitur Liuius, qui uno loco libri XXXVIIII de anno, quo Scipio Africanus maior mortuus esset (fr. 2), Rutilium

testem protulit et, quoniam Scipio mortuus est triginta fere annis, antequam Rutilius natus est, historias excerpsisse uidetur. nimis enim argute ratiocinatus Nissen (*Untersuchungen* p. 41) Liuio libros Rutilii Latine scriptos ante oculos fuisse euincere studuit. nimirum paullo antea (c. 50, 10) eiusdem rei, quam post ad Polybii et Rutilii auctoritatem rettulit, ita mentionem fecerat: *Ab scriptoribus rerum Graecis Latinisque tantum huic uiro* (Philopoemeni) *tribuitur, ut a quibusdam eorum uelut ad insignem notam huius anni mandatum sit, tres claros imperatores eo anno* (183. 573) *decessisse, Philopoemenem, Hannibalem, P. Scipionem. adeo in aequo eum duarum potentissimarum gentium summis imperatoribus posuerunt.* atqui cum Valerium Antiatem aliam de hac re sententiam secutum esse postea Liuius ipse nos certiores fecisset, ipse annum, qui et a Valerio et a Polybio Rutilioque diuersus esset, posuisset, hoc loco eum Graecos Latinosque rerum scriptores dicentem solos Polybium Rutiliumque intellexisse et, cum Polybius Graeco sermone usus esset, Rutilii librum Latine scriptum ante se habuisse conclusit. sed haec argumentatio duabus opinionibus nititur, quarum neutra certa est. primum enim de Scipionis potissimum iudicio et morte Liuius plures auctores inspexit, quam in narrationis tenore eius mos esse solebat (uid. Nissen p. 47), tum talia Liuii uerba qualia haec *Graeci Latinique scriptores* non nimis premenda esse, ipse Nissen (cf. p. 47) multis exemplis docuit. Ceterum num Liuius etiam aliis locis Rutilium consuluerit, in tanta eius fr. inopia cognosci non potest. certe fons primarius in eis Liuii libris, qui integri ad nos peruenerunt, non fuit.

Tum Plutarchus duobus locis (fr. 4. 5) Rutilium nominauit unoque loco addita ἱστοριῶν inscriptione. sed ne apud hunc quidem multa Rutiliana latere existimo, atque etiam horum locorum altero (fr. 5) uix quisquam dubitabit, quin non ex ipso Rutilio hauserit, sed simul cum Theophanis refutatione Rutilii conmemorationem ex alio aliquo auctore, quem Timagenem fuisse *de Plutarchi font.* p. 115 suspicati sumus. alterum locum inspersit Plutarchus narrationi secundum Sullam, ut uidetur, pertextae (p. 102) et debet, nisi fallor, Posidonio. certe hunc in fine eiusdem Marii uita adhibuisse uidetur. cf. *de Plut. font.* p. 103 sq.

Appianus quamquam nusquam Rutilium tamquam auctorem suum laudauit, tamen in Hiber. c. 88 ita eum conmemorauit,

ut libri eius non ignoti fuisse uideantur: *Ἐν δέ τινι πεδίῳ τῆς Παλλαντίας, ὄνομα Κοπλανίῳ, πολλοὺς ἐπὶ τῶν ὀρῶν ὑπὸ λόφοις ἔκρυψαν οἱ Παλλάντιοι καὶ ἑτέροις ἐς τὸ φανερὸν τοὺς σιτολογοῦντας ἠνώχλουν. ὁ δὲ* (Scipio) *Ῥουτίλιον Ῥοῦφον, συγγραφέα τῶνδε τῶν ἔργων, τότε χιλιαρχοῦντα ἐκέλευσε τέσσαρας ἱππέων ἴλας λαβόντα ἀναστεῖλαι τοὺς ἐνοχλοῦντας.*[1]) et hinc et quod Appianus uti Rutilius Mario paulo infensior esset, Wijnne (*de App. fide et auctor.* p. 5) Appianum et in Gracchorum et in Marii uita quaedam ex eo hausisse conlegit. ego tamen, praesertim cum nesciamus, utrum uerba illa ipse Appianus Rutilii mentione oblata de suo adscripserit, an cum re ex fonte suo, qui item Posidonius fuisse uidetur, sumpserit, ut in re prorsus incerta iudicium cohibeo. illud unum moneo ex hoc Appiani loco peculiarem de bello Numantino librum a Rutilio scriptum esse non adparere. in animo potius habuit Appianus historias, in quibus hoc bellum sine dubio tractatum erat. de uita, quod Latine conposita erat, minus cogitauerim. Denique singula fragmenta seruauerunt Gellius (fr. 3) et Macrobius (fr. 1), quorum hic quidem ipsas Rutilii historias nullo pacto uiderit.[2])

Vno uerbo addam frustra apud nos quaeri in Rutilii libris uitam Scipionis. nititur enim ea in solo loco Isidori (fr. 13), ubi casu aliquo, cum fr. ipso de Scipione ageretur (cf. adnot.) in quibusdam codicibus pro *sua* Scipionis nomen inlatum est.

---

[1]) Ex Appiano Suidas s. u. *Ῥουτίλιος* p. 926 Bhdy.

[2]) Polyaenum eis scriptoribus, qui Rutilio usi sint, addere uult Woelfflin praef. ad Polyaen. p. XIIII. uestigia uero (VIII 16, 2; 16, 6), quibus ad Rutilium duci sibi uidetur, nimis obscura et incerta sunt. ne hoc quidem eis demonstratur, a Plutarcho, ex cuius uita Scipionis cum multa tum haec hausit, Rutilium exscriptum esse.

Q. LVTATIVS CATVLVS

Q. Lutatio Catulo pater fuit Quintus (C. I. L. Mommsen. I n. 591 et 592 p. 170), mater Popilia (Cic. de orat. II 11, 44), gens plebeia sed familia summa (Cic. pro Planc. 5, 12). Quos gesserit magistratus ante consulatum, non est memoriae proditum. consulatum uero ter frustra petiuit, primum a. 107. 647, quo repulsus est a C. Atilio Serrano, deinde a. 106. 648, quo a Cn. Mallio, tum a. 105. 649, quo a C. Flauio Fimbria (Cic. pro Muren. 17, 36. pro Planc. 5, 12). denique contigit ei consulatus anni 102. 652 et C. Marius conlega. missus uero hic est in Galliam contra Teutonos, Catulus in Galliam cisalpinam, ut Cimbros ab Italia arceret. quam ob rem obsedit Alpium fauces, quae per Brixentes ad Athesim ferebant, sed a Cimbris repulsus[1]) primo Athesis transitum defendere conabatur, cuius tutandi causa in utraque ripa castella posuerat. ipse cum maiore exercitus parte in dextra fluminis ripa castra habebat. una legio (Plin. XXII 11) sinistrae ripae castellum tutabatur. cum uero Cimbri arborum truncis supra in flumen inmissis pontis, qui castella iungebat, sublicas labefactarent corporumque robora et proceritates ostentarent, qui erant in maioribus castris milites Romani, animis conciderunt atque in fugam se praecipitauerunt, ducente Catulo imperatore, qui cum frustra ut manerent milites adhortatus esset, ne effuse fugere Romani uiderentur, ipse cum aquilis antecedebat Padoque traiecto Galliam, quae trans Padum erat, Gallis uastandam dereliquit. eo fortius tamen altera exercitus pars, quae in sinistra Athesis ripa deserta erat, se gessit

[1]) Haec enim tradidit Liuius per. LXVIII (cf. Frontin. str. I 5, 3), cui malo fidem habere quam Plutarcho Mar. 23, qui sua sponte ne copiarum uires dispergeret, ex Alpium faucibus Catulum decessisse scripsit. cf. C. Peter h. R. II p. 65. uidetur hoc Catulus ipse in uita sua memoriae mandasse.

et uirtute sua et constantia ita barbaros conmouit, ut salui dimitterentur.[1])

Ita re male gesta opus erat Marii auxilio, ut Cimbrorum inpetui resisteretur. is quintum consul creatus ineunte a. 101. 653 copias suas cum Catulo, cui inperium prorogatum erat, coniunxit Padumque transgressus in campis Raudiis prope Vercellas Cimbros felicissimo proelio fudit fugauitque. cuius uictoriae partem etsi postea Catulus optimatium in Marium inuidia adiutus, cum mediae aciei praefuisset et ipse potissimum cum Cimbris rem gessisset, et libris suis et aedificiis, quae in eius belli memoriam exstruxit (uid. Orell. onom. p. 367. Plut. Mar. 26. Valer. Max. VI 3, 1), ad se trahere studuit triumphique honore cum Mario dignatus est (Liu. per. LVIII. Plut. Mar. 27. 44), uulgo tamen obtinuit fama, qua uni Mario haec laus tribuebatur. Anno insequenti Catulus cum ceteris nobilitatis principibus arma contra Saturninum cepit (Cic. pro Rabir. p. r. 9, 26); tum per decem fere annos eius uita latet, credo quia litteris unice deditus erat, donec bello Marsico, ut urbem seruaret, ad militiam euocatus legati munere functus est (Cic. pro Font. 19, 43 [15, 33]). etiam in bello ciuili, quod Marsicum excepit, et oratione et manu usus optimatium partes uidetur defendisse. certe Marius cum in urbem ingressus principes nobilitatis, quos nancisci posset, indicta causa trucidaret, tribunum quendam Catulum capitis apud populum accusare iussit, quamquam, si Diodoro credimus, antea benigno in eum fuerat animo.[2]) intellegebat Catulus, hanc accusationem nihil differre a condemnatione et cum necessariis eius uitam deprecantibus hoc unum Marius respondisset *Moriatur*[3]), ipse sibi (a. 87. 667) mortem consciscere statuit, idque ita ut se includeret cubiculo recenti calce inlito carbonumque ardentium uapore inpleto[4]). Peruenerat uero minimum usque ad annum aetatis sexa-

---

1) Plut. Mar. 24. Liu. per. LXVIII, cuius loci lacuna corrupti sententiam recte O. Iahn indagauit. Plin. n. h. XXII 11.

2) exc. Phot. XXXVIII p. 72 Dind. *ὁ δὲ τὸ μὲν ἔμπροσθεν ἐγεγόνει φίλος, τότε δ' ἔκ τινος ὑποψίας ἀλλοτρίως ἔχων πρὸς αὐτὸν κτλ.*

3) Cic. Tusc. V 19, 56. Apud Diodorum l. s. ipse Catulus Marium precibus adiit, quocum facere uidetur Cicero de orat. III 3, 9.

4) Vellei. II 22, 3. Valer. Max. VIIII 12, 4. Diodor l. s. Plut. Mar. 44. App. de b. c. I 74. Cicer. de orat. III 3, 9. Brut. 89, 307. minus adcurate Flor. II 9 (III 21), 15. August. de ciu. d. III 27.

gesimum alterum. nam quoniam anno 106. 648 primum consulatum petiuit, ante annum 149. 605 eum natum esse sequitur, quo cum tempore fere consentit, quod eum Cicero de oratore II 3, 12 (cf. ad Att. XIII 19, 4), quod conloquium a. 91. 663 habitum esse uult, senem dicit.

Mores autem Catuli diuersissimi erant et a Scauro et Rutilio. summa enim in eo erat comitas, elegantia, humanitas, lenitas, ut non solum apud optimates magno in honore esset sed ne apud populum quidem gratia careret (Plut. Mar. 14), desiderabatur in summa integritate seueritas, constantia, grauitas, quam ob rem haud inepte Cicero eum conparauit cum altero Laelio (Tuscul. V 19, 56. de ceteris Cicer. locis adeas Orell. onom. p. 366 sq.). Praeterea etsi non utebatur exquisito litterarum iudicio, fuit tamen litteratus (Cic. de off. I 37, 133) et Graecae linguae ita peritus, ut etiam Graeci ipsi, ut Cicero facit Antonium de orat. II 7, 28 loquentem, ei suae linguae subtilitatem elegantiamque concedere solerent, deinde multae in eo erant litterae (Brut. 35, 132) atque etiam artium scientia quaedam, si quidem Phidiae duobus signis aedem Fortunae ornauit (Plin. XXXIIII 54). tum philosophiae erat peritus idemque carminibus, orationibus, historiae operam dederat. atque in philosophia quidem Carneadis eum academici sententiam secutum esse accepimus, qua percipi nihil posse putabat, adsensurum tamen non percepto, id est opinaturum sapientem existumaret, sed ita ut intellegeret se opinari sciretque nihil esse quod conprehendi et percipi posset (Cicer. acad. pr. II 48, 148. Zeller histor. phil. gr. III p. 307 sqq.).

S c r i b e n d i u e r o g e n u s in plerisque rebus respondebat eius naturae et uitae. laudatur enim a Cicerone etiam orationis eius comitas quaedam et mollitia, tum incorrupta Latini sermonis integritas (Brut. 35, 132 sq. de orat. III 8, 29). maxime tamen ut in uictu cultuque elegantia et nitore delectabatur (Plin. XVII 2. Varro de r. r. III 5, 12), ita etiam in dicendo suauitate uocis et leni appellatione litterarum insignis fuisse uidetur, ut Cicero huic potissimum rei laudem eius oratoriam tribueret (Brut. l. s. 74. 259. Quint. inst. XI 3, 35).

Ex libris autem quos scripsit primum conmemoratur is l i b e r ‘q u e m d e c o n s u l a t u e t d e r e b u s g e s t i s s u i s conscriptum molli et Xenophonteo genere sermonis misit ad A. Furium poetam, familiarem suum’ (Brut. l. s.), idque, ut uidetur, eo consilio

ut consulatus sui laudem Marii gloria obscuratam in integrum restitueret. cuius libri sermonem Latinum fuisse inde cognoscimus, quod ut Latini sermonis integritatem, qua usus esset Catulus, perspicerent, Atticum Brutumque Cicero ad hunc reuocauit. iam tum uero nihilo notiorem eum fuisse adicit quam tres Scauri libros Brutumque umquam in manus suas eum incidisse negantem facit. itaque non miraberis, quod perpaucae ad nos uenerunt relliquiae, quas ipsas, antequam Cicero Brutum scripsit, ex Catuli libro depromptas esse cum magna probabilitatis specie licet demonstrare. omnes enim exstant in Plutarchi uita Marii et pertinent ad pugnam Vercellensem. insertae uero sunt a Plutarcho ita, ut uno quoque loco se Catuli uerborum notitiam aliis debere aperte fateretur (fr. 1 *τὸν Κάτλον αὐτὸν ἀπολογεῖσθαι περὶ τούτων ἱστοροῦσι.* fr. 2 *ὥς τὸν Κάτλον αὐτὸν ἱστορεῖν λέγουσι.* 3 *λέγουσιν. ᾧ καὶ μάλιστα τεκμηρίῳ χρῆσθαι τὸν Κάτλον*). atqui cum ex aliis causis in pugnae illius descriptione sequatur Plutarcho primarium ducem fuisse Sullam (*de Plutarchi fontibus* p. 101 sq.), tum primo loco arte coniunxit Catuli testimonium cum Sullae uerbis, quae modo adscripserat: *ὅμοια δὲ καὶ τὸν Κάτλον ἀπολογεῖσθαι λέγουσιν.* quid igitur ueri est similius, quam iam Sullam Catuli testimoniis, quae egregie eius consilio conuenirent, in commentariis suis usum esse et inde Plutarchum cum Sullae uerbis etiam haec in librum suum transtulisse? Atque haec quidem sunt, quae de hoc Catuli libro conperimus. neque enim grammaticum quemquam ut ad Scaurum et Rutilium ita ad hunc delatum esse ex sermonis diuersitate facile explicatur. cf. Cic. Brut. 35, 132: *Iam Q. Catulus non antiquo illo more, sed hoc nostro, nisi quid fieri potest perfectius, eruditus.*

Ex orationibus, quas litteris mandasse uidetur (Cic. Brut. 35, 132), fragmenta non sunt seruata, neque ulla conmemoratur nisi quam habuit laudationem Popilliae matris (Cic. de orat. II 11, 14), qua mos mulieres publice laudandi inductus est (cf. supra p. XXX). At carmina Catuli duo etiam nunc habemus, quae infra describi iussi (fr. 4. 5). eorum prius diserte ad hunc Catulum[1]) a Cicerone refertur, alterum ita concinit cum priore,

[1]) Callimachum eum imitatum esse recte adnotauit Bernhardy hist. litt. Rom. p. 240.

ut eiusdem esse dicere non dubitem. ut uero haec ita etiam cetera, quamuis Catulus ipse grauis et sanctus esset, parum seuera fuisse discimus ex Plinii Secundi epistula illa notissima (V 3), ubi in poetis huius generis etiam Q. Catulum posuit. praeterea eundem aliorum poetarum familiaritate usum esse eorumque studiis fauisse ex Furii Antiatis et Archiae (Cic. pro Arch. 3, 6) exemplis uidemus.

Sed etiam alius libri inscriptio sub Lutatii nomine tradita est, conmunium historiarum uel conmunis historiae. eius mentio non inuenitur nisi in scholiis Vergilianis (fr. 6—8), relliquiae, quarum argumenta dignosci possint, pertinent ad urbium Italicarum origines. inscriptionem autem quod Reifferscheid mus. Rh. n. XV p. 605 propter fr. 7 argumentum in *Cumanarum historiarum libri* mutauerat, suo iure Th. Mommsen (C. I. L. I p. 389) tutatus est. quamquam non adsentior uiro illi docto 'propter fabulas tam apud Graecos quam apud Romanos sparsas' sic inscriptum esse librum censenti. uix eius rei ullum exemplum adferre possit. ego potius ut Timaei libri, quia conplurium populorum res continebantur[1]), *κοιναὶ ἱστορίαι* a Dionysio Halicarnasensi (I 6) adpellati sunt, sic etiam in hisce Lutatii conmunibus historiis conplurium gentium res tractatas esse existimauerim.

Ab hisce autem historiis disiungo librum aliquem Lutatii Catuli de antiquitatibus et rebus grammaticis conpositum, cuius fragmenta (fr. 9—13) adhuc illis intrudi solebant, quod tamen fieri nequit propter argumenti diuersitatem. in primis hoc cadit in fr. 10 et 13, quorum illo uocis noctis origo, hoc causa, cur Ianus biformis fuerit, exponitur. fragmento autem decimo aliud (fr. 9), quod Varro seruauit, in eundem librum trahitur[2]) atque, quoniam ex his fuisse aliquem Lutatii Catuli de antiquitatibus librum adparet, cetera fragmenta (11 et 12) propter argumenti

[1]) cf. e. c. Dionys. I 2, ubi singularum gentium historia *τῇ κοινῇ ἱστορίᾳ* opponitur, et Polyb. VIII 4 *τῆς καθολικῆς καὶ κοινῆς ἱστορίας*.

[2]) Varro ubi de lacu Curtio agere coepit, § 148, haec praemisit: *In foro lacum Curtium a Curtio dictum constat, et de eo triceps historia: nam et Procilius non idem prodidit quod Piso, nec quod is Cornelius Stilo secutus*, tum singulas sententias persequitur, primum Procilii, tum Pisonis, denique Cornelii et Lutatii, qui quidem idem prodiderint. hinc adparet in uoce illa *secutus*, quam corruptam esse nemo negabit, Lutatii nomen latere. restant u. *cornelius stilo*, quae item emendatione egent. pro *cornelius* autem et § 148 et 150 iam antiquitus *Aelius* substitutum est; iam uero L. Aelius ille Stilo a Varrone in his de l. lat. libris nus-

similitudinem, praesertim quae apud Verrium et Solinum exstent, huic quam conmunibus historiis adscribere malui.

Quaeritur, num unus Lutatius is de quo adhuc egimus hos libros confecerit. quod cum uulgo existimatum esset, Vossius (de hist. Lat. p. 54) et post eum alii, ut Krause (p. 318), Broecker (*Pauly Realencykl.* IIII p. 1246), Baehr (hist. litt. Rom. II p. 26) conmunes historias ad alium Lutatium Catulum, qui inferior esset aetate, rettulere. contra alii, ut Mommsen (l. s. s. et chronol. p. 139) a uulgata opinione non recesserunt. sed perlustrantibus nobis ceteros Lutatios Catulos, si qui litterarum studio et laude floruerint, unus occurrit huius Catuli filius, qui in multis rebus patris simillimus, ut animi constantia eum superauit, ita eruditione et doctrina ei cessit. quam ob rem hunc de antiquitate libros edidisse uix est statuendum. multo libentius hos libros Lutatii Daphnidis grammatici esse suspicarer (cum Iahnio proleg. ad Pers. p. CXLIII n. 2), quem septingentis milibus numum a Q. Catulo emptum ac breui manu missum esse Suetonius (de gr. et rhet. 3 p. 102 Rf.) scripsit, nisi Varro non solum Lutatii sed etiam Catuli nomen adscriberet (fr. 10). neque enim a libertis patronorum cognomina adsumpta esse adhuc certis exemplis demonstratum est (cf. Henzen in inscript. Orell. Henz. III n. 6247 p. 242). itaque nil aliud relinquitur, quam ut hunc Q. Catulum, a. 102. 652 consulem etiam de antiquitate et de rebus grammaticis scripsisse censeamus, quod studium non abhorrere ab illa aetate iam supra p. CLXXXXIIII ostendimus, neque obstat, quod a Varrone (fr. 9) post C. Aelium Stilonem, qui item de antiquitatibus scripsit (Cic. acad. post. I 2, 8), positus est, si quidem etiam si Ritschelii de Aelii anno natali sententiam sequimur (p. CCXVII), illo minor natu fuit. At conmunes historias a Daphnide grammatico conscriptas esse, mihi admodum uidetur probabile. Ceterum is Daphnis utrum a Q. Catulo patre an a filio emptus sit, uix ad liquidum perduci potest. nam cum hoc unum Suetonius prodiderit eum paullo post Aelium Romae floruisse, utrumque per tempus licet opinari.

---

quam cognomine addito sed semper simpliciter *Aelius* nominatur (V 18; 21; 25; 66; 101. VI 7; 59). unde, nisi hunc locum grauioribus mendis deprauatum esse censes, aut sic eum scribendum esse conicio: *nec quod is, Aelius aut Lutatius*, aut sic: *nec quod is, Cornelius aut Lutatius.* de hoc Cornelio uid. p. CCLXXVII not. 1.

L. CORNELIVS SVLLA

L. Cornelium Sullam, cuius uitam resque gestas enarrare non est nostri sed historicorum, cum a. 79. 675 dictatura abdicata in agros Puteolos se recepisset, ut (quem ad modum centum fere annis post Tiberius) liber negotiis publicis quiete et otio frueretur, ibi et piscando et uenando corpus exercuisse et praeter Bacchi Venerisque uoluptates litteris multum oblectatum etiam historiae scribendae operam dedisse constat (Drumann II p. 496). in qua re tanto studio et tanta adsiduitate uersatus est, ut duobus diebus ante mortem uicesimum alterum librum ad finem perduceret (Plut. Sull. 37). utrum tamen in secessu Puteolano adgressus sit ad hos libros conponendos, quos nouissimos Sullae fuisse Suetonius (de gram. et rhet. 12 p. 110 Rf.) certiores nos facit, ita ut eum omnes uiginti duos libros uno anno absoluisse existimandum sit, an iam, cum rei publicae praeesset, initium fecerit, certo quidem diiudicari nequit: illud tamen et per se ueri similius est, et extrema uerba fr. 8 eum uix dicturum fuisse arbitror, nisi toto suo opere iam perfecto et re publica bene, ut putabat, constituta.

Enarrauerat autem hisce libris res a se gestas, ita ut etiam in secundo libro de familia sua praefaretur. nam in fr. 2, quod ex altero libro decerptum esse addidit Gellius, de uno ex eius maioribus sermo est, qui anno 212. 542 praetor fuerat. libro decimo (fr. 16) progressus erat usque ad eas res, quae post pugnam Chaeronensem gestae sunt (a. 86. 668).[1] deinde eum ita ut singulos annos singulis libris conplecteretur, duodecim libros adiecisse et de pugna ad Sacriportum conmissa atque in libro XXII quodam modo (τρόπον τινὰ) de morte sua, quam

[1]) Quae Heeren de font. Plut. p. 151 scripsit Sullam profectum esse a bello sociali idque leuiter tantum perstrinxisse, omni fundamento carent.

filius mortuus per somnium praedixisset, locutum esse ex Plutarcho (fr. 19. 21) discimus. nihilo minus inperfectam hanc uitam a Sulla relictam et a L. Cornelio Epicado Sullae liberto suppletam esse diserte Suetonius (de gram. et rhet. 12 p. 110 Rf.) memoriae tradidit. id quod explicare non possumus, nisi ita, ut Epicadum, quae nemo quisquam uitam suam scribens referre potest, suppleuisse existimemus, ipsam mortem funusque patroni mortui.[1]) A ceteris eum, si qua in eo erat pietas manus abstinuisse, inde conligitur, quod Sulla ipse librum suum miserat ad Lucullum, quem eundem filii tutorem esse uoluerat (Plut. Luc. 4), ut ille homo Graece Latineque doctus et elegans res gestas melius disponeret orationemque limaret et perpoliret. uid. fr. 1.[2]) similia, credo, spectabat atque Caesar, ut alii haberent parata unde sumerent si qui uellent scribere historiam. sed et Caesar historiae pura et inlustri breuitate sani quidem iudicii homines deterruit (cf. Cic. Brut. 75, 262), neque Lucullus amici precibus uidetur obsecutus esse. nihil certe de eo traditum est.

---

[1]) Cf. de Epicado Osann, *Beiträge zur griech. u. röm. Litteraturgesch.* II p. 359. Apud Krausium inter ceteros historicos suum obtinet locum. ego tamen eum remoui, quia nihil aliud quam patroni libros ad finem perduxit, neque quidquam ad eius auctoritatem refertur, quod ex historiis sumptum esse possit. Edidit uero Epicadus librum de cognominibus (Charis. I p. 85 P. 110 K. cf. Sulla fr. 2 c. adn.) et de metris (Max. Victor. p. 1957 P.) et de antiquitatibus. in tali enim libro locum habere poterant, quae Macrobius sat. I 11, 47, ut Sigillarium originem explicaret, ex eo inseruit. Etiam a Varrone, ubi de l. l. VII 39 (unde lacus Curtius et Luca bos nomen inuenerint) citatur Cornelius, nil obstat quominus Epicadum dictum putemus, quae est sententia Osanni l. s. s. idem enim sub nomine Epicadi a Varrone etiam ap. Seru. in Aen. I 649 laudatur (de arboribus in Sicilia quae lanam ferant. cf. Plin. XVII 243 et mus. Rh. n. XXII p. 153). Iahn prolegg. in Pers. p. CXLIII. haud ignobilem grammaticum eum fuisse uidemus ex Arnobio I 59, ubi pro *Epicanideos*, quod exhibet codex, recte Epicadi nomen restitutum est.

[2]) Plut. Sull. 6 *Ἔτι δὲ Λευκόλλῳ μὲν ἐν τοῖς ὑπομνήμασιν, ὧν ἐκείνῳ τὴν γραφὴν ἀνατέθεικε, παραινεῖ* κ. τ. λ. Luc. 4 *ἀλλὰ τήν τε γραφὴν — τῶν ὑπομνημάτων ἐκείνῳ δι' εὔνοιαν ἀνέθηκε.* cf. Wiese p. 15, qui recte Vossii rationem (de hist. Lat. p. 39) parum probabilitatis habere iudicat. is enim haec scripserat: *Apud Plutarchum semel iterumque lego, Syllam commentarios suos dicasse Lucullo, idque conditione ea, ut is digereret poliretque. sed Epicadus, credo, fecit quod potuit: hinc Lucullo obtulit, ut supremam is manum adderet.*

Fuerunt quidem qui cum Heerenio (de font. Plut. p. 151) Sullam sermone patrio usum esse negarent, sed, cum Sallustius (Iug. 95, 3) eum litteris Graecis atque Latinis 'iuxta atque doctissime eruditum fuisse dixerit, atque etiam comoedias Latino sermone condiderit[1]), non uideo, cur uersionem, de qua nihil accepimus, non ipsos Sullae conmentarios inspexerint Gellius et Priscianus, cum Latina eius uerba adferrent (fr. 2. 3. 20). accedit etiam aliud. ubi enim Plutarchus de Felicis cognomine agit (c. 34), haec facit uerba: *ἐκέλευσεν ἑαυτὸν ἐπὶ τούτοις Εὐτυχῆ προσαγορεύεσθαι. τοῦτο γὰρ ὁ Φῆλιξ μάλιστα βούλεται δηλοῦν. αὐτὸς δὲ τοῖς Ἕλλησι γράφων καὶ χρηματίζων ἑαυτὸν Ἐπαφρόδιτον ἀνηγόρευε,* atque si Graece conmentarii scripti essent, hic credo addidisset, etiam in conmentariis, quibus totam paene Sullae uitam debet, Sullam se sic adpellasse.

Inscriptionem octies Plutarchus (fr. 8. 11. 12. 13. 16. 17. 21) *ὑπομνήματα* dicit, Cicero (fr. 9) historiam; Gellius 'rerum gestarum librum secundum' bis (fr. 2. 3) citat, Priscianus (fr. 20) uicesimum primum 'rerum suarum', quibuscum consentit uno loco Plutarchus (fr. 1): *καὶ Σύλλας τὰς ἑαυτοῦ πράξεις ἀναγράφων ἐκείνῳ προσεφώνησεν.* unde (neglecta Ciceronis inscriptione ut parum adcurata) cum aliqua probabilitatis specie libros inscriptos fuisse efficitur *conmentarios rerum gestarum.*[2])

De consilio autem et ratione, qua ductus Sulla conmentariorum libros uiginti et duos scripserit, quamquam iam ex eis, quae sub ipsius nomine tradita sunt, certum iudicium ferre licet, tamen ut imaginem eorum expressam pingamus, e re erit in quibusdam rebus etiam uitarum Sullae et Marii Plutarchearum rationem habere. in illa enim a capite tertio per partem multo maiorem prope totum se addixit Plutarchus Sullae conmentariis, quos identidem diserte laudauit, ita ut pro more suo auctorem excerperet, fabulas atque narratiunculas fere integras in librum

---

[1]) Athen. VI p. 261c *Νικόλαος δ' ἐν τῇ ἑβδόμῃ καὶ ἑκατοστῇ τῶν ἱστοριῶν Σύλλαν φησὶ τὸν Ῥωμαίων στρατηγὸν οὕτω χαίρειν μίμοις καὶ γελωτοποιοῖς φιλογέλων γενόμενον, ὡς καὶ πολλὰ γῆς μέτρα αὐτοῖς χαρίζεσθαι τῆς δημοσίας. ἐμφανίζουσι δ' αὐτοῦ τὸ περὶ ταῦτα ἱλαρὸν αἱ ὑπ' αὐτοῦ γραφεῖσαι σατυρικαὶ κωμῳδίαι ἐν πατρίῳ φωνῇ.*

[2]) cf. Cicer. in epistula illa ad Lucceium data V 12, 10, ubi se 'commentarios rerum omnium' in illius usum confecturum esse pollicetur.

suum transferret, ea quae ad rem publicam pertinerent, aut omnino mitteret aut leuiter paucis uerbis tangeret, perpauca ex aliis auctoribus Sullae infestis, quae colore suo facile a ceteris dignoscuntur, inspergeret.[1]) tum postquam (c. 30) ad dictaturam peruenit, 'Sullam dissimilem fuisse bellatorem ac uictorem memor, ut, dum uinceret, cautissimo lenior, post uictoriam audito esset crudelior' (Vellei. II 25, 3), Sullae auctoritatem abiecit, atque cum antea semper fere cum eo fecisset, hic iudicium suum iniquum non cohibuit sed meritis eum cumulauit criminibus. neque tamen iam alium auctorem elegit, quem prae ceteris sequeretur, sed partim ex larga excerptorum copia partim ex Sullae libris pauca quaedam eaque admodum exilia inscite contexuit, ne uitae suae finis deesset. quam ob rem multis in rebus nouem extrema capita maxime diuersa sunt a ceteris. Ex Marii uita, quae post Sullanam conscripta est (cf. Mar. 10), ea capita maximam partem ad Sullae auctoritatem referenda sunt, quae res a Mario aut cum Sulla aut contra eum gestas contineant, maxime c. 8—10 (bellum Iugurthinum), c. 23—27 maiorem partem (bellum Cimbricum), c. 28—35 med. (bellum ciuile). cf. *de font. Plut.* p. 57—61. 100—103.

Hoc igitur spectabat Sulla, ut, cum res suas plurimis displicere uidisset, conmentariis suis res a se suisque gestas laudaret, quae minus recte a se gesta esse uiderentur, defenderet, laudibus aduersariorum obtrectaret. neque tamen, ut uetus ille Cato Censorius 'haudquaquam obtrectator laudum suarum', aperte hoc consilium secutus est sed modestiae specie quadam obtexit. omnes enim illas praeclaras res se non suae suorumque uirtuti et consilio sed miro cuidam deorum fauori et beneuolentiae debere dixit[2]), qui se singulari modo in omnibus coeptis adiu-

[1]) ut c. 5 Sullam praeturam adeptum esse *τὸ μέν τι θεραπείᾳ, τὸ δὲ καὶ χρήμασι προσαγαγόμενος*, in eodem capite alios Sullam laudasse, *οἱ δὲ ὡς φορτικὸν ᾐτιάσαντο καὶ ἀκαίρως φιλότιμον.* c. 6 quae de naturae eius uarietate et inconstantia (*ἀνωμαλίᾳ*) dicuntur. c. 9 Romam a Sulla incensam esse *κατ᾽ οὐδένα λογισμόν.* c. 10 in Marii mortem praemium propositum esse *οὐκ εὐγνωμόνως οὐδὲ πολιτικῶς*, cum haud multo antea ab aduersario eius uita seruata esset. c. 12 loca sacra in Graecia ab eo direpta esse. Quae de locorum Chaeronensium natura profert Plutarchus (maxime in cap. 17), si non omnia, multa certe de suo addidit.

[2]) Cf. Plut. Sull. 6 *ἔτι δὲ καὶ δι᾽ ὧν φησι πρὸς τύχην εὖ πεφυ-*

uissent. hinc ex mediis hostium insidiis se incolumem euasisse, hinc repugnantibus et aduersantibus nobilissimis uiris auctoritatem et gratiam consecutum esse, hinc exiguo militum numero incredibiles hostium copias se fudisse fugasseque.

Vt autem Fortunae se quasi filium fuisse omnibus persuaderet, duas potissimum res excogitauit, quae ad id facere uiderentur. primum enim omnia uaticinia, prodigia, ostenta, somnia, quae futuram magnitudinem portenderent, quaeque se ut rem aliquam incoharet, inpulissent, diligentissime conquisiuit librisque suis inseruit, ut his luculentis exemplis demonstraret, quam diligenti cura di se semper prosecuti essent, eosque non solum se ipsum ad omnes res, quae postea eorum auxilio eisque auspicibus prospere euenissent, adhortatos esse sed etiam aliorum hominum animos in se conuertisse gloriamque auxisse.[1])

Ita a Postumio haruspice oratum florentissima Samnitium castra se cepisse dicit (fr. 9), Chaldaeos sibi, cum iuuenis obscuri nominis esset, caelestem uitam et memoriam esse futuram uaticinatos esse (fr. 21 c. adn.), Graecum quendam haud ignobilem diuinitus monitum sibi, cum in Graecia esset, uictoriam Orchomeniam, alium eodem tempore quae in Italia futura essent praedixisse (fr. 16), plurimaque omnia secunda sibi contigisse, cum e Graecia in Italiam traiecturus esset (fr. 18). Atque haec

---

κέναι μᾶλλον ἢ πρὸς πόλεμον τῇ τύχῃ τῆς ἀρετῆς πλέον ἔοικε νέμειν καὶ ὅλως ἑαυτὸν τοῦ δαίμονος ποιεῖν (fr. 8). c. 34 *οὕτω δὲ ἄρα οὐ ταῖς πράξεσιν ὡς τοῖς εὐτυχήμασιν ἐπίστευεν.*

[1]) Equidem adduci non possum, ut id re uera sensisse credam Sullam, de quo grauiter monuit L. Lucullum *μηδὲν οὕτως ἀξιόπιστον ἡγεῖσθαι καὶ βέβαιον, ὡς ὅτι ἂν ἀποσημανθῇ διὰ τῶν ἐνυπνίων* (fr. 8 c. adnot.), cumque hominem superstitiosissimum fuisse, qualem se haberi uult. prorsus enim discrepant cum natura superstitiosa ea quae Sulla fecit, templum Delphicum sine ullo pudore diripiens atque et deum et sacerdotem superbis facetiis inludens (Plut. Sull. 12). Ceterum etiam Plutarchus dubitauit, num uera essent quae Sulla de daemonio suo gloriaretur. Sull. 6: *Σύλλας δὲ οὐ μόνον ἡδέως προσιέμενος τὸν τοιοῦτον εὐδαιμονισμὸν καὶ ζῆλον ἀλλὰ καὶ συναύξων καὶ συνεπιθειάζων τὰ πραττόμενα τῆς τύχης ἐξῆπτεν, εἴτε κόμπῳ χρώμενος εἴθ' οὕτως ἔχων τῇ δόξῃ πρὸς τὸ θεῖον.* Imitatus autem est Sulla hac in re Scipionem Africanum, qui item, ut populus imperia consiliaque sua uelut sorte oraculi missa sine cunctatione exsequeretur, pleraque apud multitudinem aut ut per 'nocturnas uisa species aut uelut diuinitus monita' egit, ut ait Liuius XXVI 19, 3 (qui sua exscripsit ex Polybio X 2).

quidem sub ipsius Sullae nomine memoriae prodita sunt, sed praeterea etiam haec omina et somnia Sullae propitia, hostibus infesta Plutarcho Sullanam copiam suppeditasse paene pro certo adfirmauerim:

c. 5. *Ἱστορεῖται δέ τις ἀνὴρ τῶν μετὰ Ὀροβάζου καταβεβηκότων Χαλδαῖος εἰς τὸ τοῦ Σύλλα πρόσωπον ἀπιδὼν — εἰπεῖν — πῶς ἀνέχεται μὴ πρῶτος ὢν ἁπάντων.* quod uaticinium ex ipso Sulla fluxisse etiam aliunde confirmatur. uid. adnot. ad fr. 21.

c. 7 *ὡς καὶ τὸ δαιμόνιον αὐτοῖς προσεσήμηνε. πῦρ μὲν γὰρ αὐτόματον ἐκ τῶν τὰ σημεῖα δοράτων ὑποφερόντων ἀνέλαμψε* et quae secuntur multa prodigia usque ad fin. cap.

c. 9. *Οἱ μὲν οὖν περὶ τὸν Μάριον ἐν παρασκευαῖς ἦσαν — τὴν ἐσχάτην δίκην ὑποσχεῖν βουλόμενοι.* quae ex Sulla sumpta esse Cicero testatur. uid. fr. 9 c. adnot.

Λέγεται δὲ καὶ κατὰ τοὺς ὕπνους αὐτῷ Σύλλᾳ φανῆναι θεὸν — θαρσήσας δὲ τῇ ὄψει καὶ φράσας τῷ συνάρχοντι μεθ' ἡμέραν ἐπὶ τὴν Ῥώμην ἡγεῖτο.

c. 11. *Λέγεται δὲ ὑπὸ τὰς ἡμέρας ἐκείνας, ἐν αἷς ὁ Σύλλας ἀπὸ τῆς Ἰταλίας ἐκίνει τὸν στόλον, ἄλλα τε πολλὰ Μιθριδάτῃ διατρίβοντι περὶ τὸ Πέργαμον ἐπισκῆψαι δαιμόνια — ἐλπίδος πέρα προχωρούντων.*

c. 14 *καὶ τὸ δαιμόνιον εὐθὺς ἐπεσήμηνε — ἐπλήρωσεν ὕδατος τὴν ἀκρόπολιν.*

c. 27. *Ἔτι δὲ Μάρκος Λεύκολλος, εἷς τῶν ὑπὸ Σύλλᾳ στρατηγούντων — καὶ νικήσαντες ὀκτακισχιλίους ἐπὶ μυρίοις ἀπέκτειναν καὶ τὸ στρατόπεδον εἷλον.*

28 *ὁ δὲ* (Sulla) *καὶ πάνυ πρόθυμος ἦν διαγωνίσασθαι κατ' ἐκείνην τὴν ἡμέραν. ἐτύγχανε γὰρ ὄψιν ἑωρακὼς τοιάνδε κατὰ τοὺς ὕπνους — δυστυχίαν φέρουσαν.* quo cum somnio arte cohaeret pugnae quae sequitur descriptio.

c. 29. *Λέγεται δὲ ἔχων τι χρυσοῦν Ἀπόλλωνος ἀγαλμάτιον ἐκ Δελφῶν ἀεὶ μὲν αὐτὸ κατὰ τὰς μάχας περιφέρειν ἐν τῷ κόλπῳ — τοῖς ἑαυτοῦ συναπολουμένον πολίταις.*[1])

[1]) Quae c. 38 addita sunt de Sullae funere, ita prae se ferunt singularem deorum benignitatem, ut haec ex Epicadi epilogo, qui eodem animo esse scriptus uidetur atque ipsi commentarii, hausta esse existimauerim. — Fortasse etiam oraculum Sullae datum et qui uersus de

Neque tamen satis habuit Sulla hanc deorum gratiam et uoluntatem declarasse, sed etiam ita eos fauorem significasse uideri uoluit ut, cum hostes in pugnis innumerabiles homines amisissent, ipse paucissimos desideraret. ut ad Chaeroneam undecim hostium milia, Sullae duodecim homines occisi sunt (fr. 15 c. adn.), ad Sacriportum hostium uiginti milia interfecta, octo milia capta, Sullae uiginti tres perierunt (fr. 19), id quod de altera quidem pugna, quoniam Romani cum Romanis pugnauerunt, nemini, credo, Sulla persuadebit, de priore paucis.

Haec tamen puerilia sunt atque nugae. multo grauius est, quod sine ulla religione ac fide memoriam mutauit et corrupit, non rem ac ueritatem in historia spectauit sed suam suorumque gloriam, obtrectationem aduersariorum, quod cum studio et ira scripsit. Nolo quaerere, num Archelaum Mithridatis ducem, quem ut hostem Plutarchus satis magnis laudibus effert, suo iure Sulla a proditoris crimine defenderit (fr. 17)[1]), id perpaucis nunc adumbrare lubet, quam iniqua et infensa inuidia Marium persecutus sit.

Primum, ut summa quaeque perstringam, res a Mario contra Iugurtham gestas Plutarchus (Sull. 3. Mar. 8—10) ita minuit, ut perspicere non possimus, quo modo Marius ex his rebus tam insigni gloria florere potuerit. Metellus enim apud eum debellauit, non Marius; et quod solum restabat, ut Iugurtha ipse in manus hostium ueniret, id opus periculosissimum Mario ipse praeripuit: *περιῆλθέ τις νέμεσις* (ut ait Plutarch. Mar. 10) *ἐν τῷ τέλει τῶν πράξεων Μάριον. ἀφῃρέθη γὰρ ὑπὸ Σύλλα τὴν τοῦ κατορθώματος δόξαν, ὡς ὑπ' ἐκείνου Μέτελλος.* quas res prorsus aliter a Sallustio narratas esse quis est quin nesciat? atque quod hic b. Iug. 69, 4 dicit: *Turpilius, quem praefectum oppidi unum ex omnibus profugisse supra ostendimus, iussus a*

---

illo a Sulla rescripti sunt ex Sullae conmentariis in Appiani bell. ciu. I 97 (quamquam per alium auctorem) fluxerunt:

Τόνδε σοι αὐτοκράτωρ Σύλλαν ἀνέθηκ', Ἀφροδίτη,
ὡς εἶδον κατ' ὄνειρον ἀνὰ στρατιὴν διέπουσαν
τεύχεσι τοῖς Ἄρεος μαρναμένην ἔνοπλον.

[1]) Haec fuit Suringario causa, ut p. 18 quae Plutarchus rettulit c. 22 et 24 de conloquiis inter Sullam et Archelaum Mithridatemque factis in ipsis Sullae relliquiis poneret. sed eodem iure potuit maiorem uitae Sullanae partem addere a c. 3—30.

Metello causam dicere, postquam sese parum expurgat, condemnatus uerberatusque capite poenas soluit, propter eam rem Plutarchus (Mar. 8) in Marii inprobitatem et malignitatem uehementer inuehitur, qui, ut Metelli animum offenderet, quem amicum esse sciret Turpilii, omni studio id egerit, ut ille capitis condemnaretur, et, cum supplicio sumpto innocentem Turpilium fuisse intellectum esset, de ea re pudoris et uerecundiae oblitus etiam gloriatus sit. uid. *de fontibus Plut.* p. 57 sq. 100 sq. Kiene, *Bundesgenossenkrieg* p. 233—35.

Quod autem Sulla laudem belli prospere confecti occupauit, *ἠνία — ταῦτα τὸν Μάριον*, sed minorem Sullam esse arbitratus quam cui inuideret, *ἐχρῆτο πρὸς τὰς στρατείας — καὶ πολλὰ δι' ἐκείνου τῶν χρησίμων κατωρθοῦτο.* tum uero Sulla *τὸν Μάριον αἰσθόμενος ἀχθόμενον αὐτῷ καὶ μηκέτι προϊέμενον ἡδέως πράξεων ἀφορμὰς ἀλλὰ ἐνιστάμενον τῇ αὐξήσει* ad Lutatium Catulum, quem Plutarchus supra eius merita laudat[1]), se confert atque in eius exercitu cum Cimbris pugnat (Sull. 4). qua in pugna ita aciem instituisse Marium Sulla narrauerat (fr. 5), ut suorum militum uictoria esset, Catulus certaminis et laudis expers esset. uerum tamen eius doli grauissimas poenas dedisse Marium (fr. 6), nam cum Cimbri fusi essent, eum, cum prae puluere hostes cedentes cernere non posset, ab eis in persequendo aberrasse, Catulum autem totam rem profligasse atque iure uictoriae laudem sibi uindicasse. cf. *de Plut. font.* p. 101 sq. Kiene p. 236 sq. Simili ratione etiam eorum qui secuntur annorum res persecutus est Plutarchus atque summa cum uoluptate inludit atque inridet Marium, qui bello Marsico ridiculum in modum uires iuueniles ementitus esset, ut cum imperio contra Mithridatem mitteretur. Sed etiam ingrati animi crimen subiit Sulla describens seditionem ex Sulpicii Rufi legibus ortam, in qua, cum Sullam ex fuga in Marii domum se recepisse et ab aduersario generoso per posticam incolumem dimissum esse ab ipso Plutarcho in uit. Marii c. 35 traditum sit, Sulla in commentariis haec protulit: *ἀπαλλαχθῆναι βουλευσόμενος ὑπὲρ ὧν Σουλπίκιος ἠνάγκαζεν αὐτὸν ἄκοντα ψηφίσασθαι περισχὼν ἐκ κύκλῳ ξίφεσι γυμνοῖς καὶ συνελάσας πρὸς τὸν Μάριον, ἄχρι οὗ προελθὼν*

---

[1]) In hac pugna describenda Catuli commentariis Sullam usum esse supra p. CCLXXIII docuimus.

ἐκεῖθεν εἰς ἀγορὰν, ὡς ἠξίουν ἐκεῖνοι, τὰς ἀπραξίας ἔλυσε (fr. 11). quam quidem memoriam nulla addita discrepantia in Sullae uita c. 8 sequitur Plutarchus, ubi iniquissimum iudicium fert de Sulpicii consilio et legibus (*de font. Plut.* p. 102 sq. 58). Atque haec quidem hactenus.

Verba uero Sullae adtulerunt praeter Plutarchum duobus locis Gellius (fr. 2. 3), singulis Cicero (fr. 9), Plinius (fr. 10)[1]), Priscianus (fr. 20). A quibus aliis scriptoribus eius commentarii in scribendo adhibiti sint, nescimus. illud tamen constat, per eos uitiatam esse horum annorum memoriam[2]), atque etiam apud Liuii pedisequos Sullae uestigia inuenimus. ut consentit Eutropius V 6 de numero hominum ad Chaeroneam in utraque acie caesorum (fr. 15) et de multitudine hostium et ad Tifata montem (V 8 fr. 18) et ad Sacriportum interfectorum (fr. 19).[3]) in Appianum quaedam ex Sullae commentariis fluxisse inde quod haud raro cum Plutarcho congruit, conicias. nihil tamen certi erui potest.

---

[1]) Plinius hunc locum fortasse sumpsit ex Masurio Sabino, cui quaecunque de coronis expromit, debet, sed quod librorum Sullae consilium fuisset, eum non fugisse inde adparet quod in re, quae per se nullam moueat suspicionem, originis tamen, unde ducta sit, memor, caute adiecit *quod si uerum est.*

[2]) An etiam per Sisennam, quem quod parum libero ore res Sullae dixerit, uituperat Sallustius b. Iug. 95?

[3]) Hoc tamen loco paucitatem militum Sullae occisorum in ducentos auxit, priore addidit cum Orosio (V 20. cf. adnot. ad fr. 18) Sullam CXXIIII suorum amisisse, quem numerum omiserat Plutarchus. tum Eutropius V 8 etiam capta esse hostium sex milia scribit. Appianus b. c. 1 84 hostes captos et interfectos commutauisse uidetur (*καὶ θνήσκουσι Νωρβανοῦ ἑξακισχίλιοι*), Sullanorum septuaginta occisos, multos uulneratos esse rettulit.

L. LICINIVS LVCVLLVS

In L. Licinio Lucullo[1]) constat singularem fuisse et ingenii et iudicii elegantiam, ut ad hunc potissimum Sulla commentarios suos mitteret retractandos et perpoliendos (cf. s. p. CCLXXVII), atque magnum optimarum artium studium. Graece enim et Latine pariter sciebat, multum operae dabat philosophis Graecis (cf. maxime Cicer. acad. prior. II init.), frequenter in foro uersabatur (Meyer orat. fr. p. 358 sqq.), undique conquirebat et conligebat libros et artificum Graecorum opera, denique quotquot Romam homines docti migrauere, domum suam recipiebat atque et conloquio et opibus iuuabat et fouebat. sed tamen ex litterarum studio magis oblectationem et uoluptatem quam doctrinam petebat, uolebat humanus et liberalis, non litteratus haberi. tum deerat ei in hac re adsiduitas et constantia, quo factum est, ut nec in foro Ciceronis iudicio satis faceret (Brut. 62, 222) et multum legeret (Cic. acad. pr. II 2, 4), perraro scriberet, idque ante expeditionem Asiaticam, cum iuuenis esset, et casu quodam et necessitate inductus.

Nam anno fere 88. 666 (Roth *de Sisenn. uit.* p. 5) cum quondam cum Hortensio oratore et Sisenna rerum scriptore ex ludo in certamen descendisset, ut sors excidisset, se bellum Marsicum (cui ab anno 90. 664 ipse interfuerat, Plut. Luc. 2) aut uersibus aut Graece aut Latine persecuturum esse, sorte coactus Graece historias scripsit. certe tales Plutarchus nouit, cuius ipsa uerba adponam (Luc. 1): *περὶ μὲν οὖν τῆς φιλολογίας αὐτοῦ πρὸς τοῖς εἰρημένοις καὶ ταῦτα λέγεται· νέον ὄντα πρὸς Ὀρτήσιον τὸν δικολόγον καὶ Σισεννᾶν τὸν ἱστορικὸν ἐκ παιδιᾶς τινος εἰς σπουδὴν προελθούσης ὁμολογῆσαι, προθεμένων ποίημα καὶ λόγον Ἑλληνικόν τε καὶ Ῥωμαϊκὸν, εἰς ὅ τι ἂν λάχῃ τούτων, τὸν*

[1]) Natus est ante Pompeium (ante a. 106. 648), fuit aedilis a. 79. 675, praetor 77. 677, consul 74. 680, mortuus est 56. 698. uid. eius uitam ap. Drumann. IIII p. 120—174.

Μαρσικὸν ἐκτενεῖν πόλεμον. καί πως ἔοικεν εἰς λόγον Ἑλληνικὸν ὁ κλῆρος ἀφικέσθαι. διασώζεται γὰρ Ἑλληνική τις ἱστορία τοῦ Μαρσικοῦ πολέμου. Etiam Cicero in epistula quadam (ad Att. I 19, 10) Luculli historiarum meminit, cum conmentarium consulatus sui Graece conpositum ad Atticum mittens, haec adderet: *in quo si quid erit, quod homini Attico minus Graecum eruditumque uideatur, non dicam, quod tibi, ut opinor Panhormi, Lucullus de suis historiis dixerat, se quo facilius illas probaret Romani hominis esse, idcirco barbara quaedam et σόλοικα dispersisse.* Fragmenta tamen huius libri ad nos non peruenerunt, nam quod Plutarchus Lucull. 2 scripsit: *Λέγεται δὲ μήτ' εἰς Μέμφιν ἀναβῆναι μήτ' ἄλλο τῶν θαυμαζομένων ἐν Αἰγύπτῳ καὶ περιβοήτων ἱστορῆσαι. σχολάζοντος γὰρ εἶναι ταῦτα θεατοῦ καὶ τρυφῶντος, οὐχ, ὡς αὐτὸς, ἐν ὑπαίθρῳ τὸν αὐτοκράτορα σκηνοῦντα παρὰ ταῖς ἐπάλξεσι τῶν πολεμίων ἀπολελοιπότος*, hanc rem, cum ad a. 86. 668 pertineat, non libro Luculli sed famae debet, neque obstat uocis *ἱστορεῖν* usus, quae apud Plutarchum saepissime idem ualet quod *λέγειν*. cf. supra p. CLX.

Q. CLAVDIVS QVADRIGARIVS[1])

De Q. Claudi Quadrigarii[2]) uita unum disertum testem proferre possumus Velleium, cuius haec sunt uerba (II 9): *Vetustior Sisenna fuit Caelius, aequalis Sisennae Rutilius Claudiusque Quadrigarius et Valerius Antias.* cuius scriptoris auctoritas quamquam propter summam qua conscripsit libellum leuitatem perparua est, et illo loco aequalis notionem haud ita artis finibus continuerit (qui enim aequalis Sisennae dicitur Rutilius praetor fuit a. 111. 643, id est triginta tribus annis ante Sisennam), tamen quae de Claudio et Antiate ab eo relata sunt, etiam aliunde confirmantur, maxime ipsius relliquiis. nam cum ex Gellio (fr. 81. 82) eum libro undeuicesimo res a. 87. 667 uel 86. 668 gestas conplexum esse adpareat, uicesimus autem tertius liber ab eodem citetur, minimum Sullae dictaturam Claudium uidisse conligitur; certe numerum eorum, qui a. 82. 672 de exercitu Mariano ad Sacriportum caesi erant, ipse memoriae prodiderat (fr. 84).

Tum etiam Fronto (in ep. ad Ver. I 1 p. 114 Naber.) eodem fere ordine scriptores inter se excipientes facit, quo Velleius: *Historiam quoque scripsere — Pictor incondite, Claudius lepide, Antias inuenuste, Seisenna longinque.* unde temporum fere rationem utrumque et Velleium et Frontonem secutum esse ueri est simile, Claudiumque scripsisse ante Sisennam, qui anno 67. 687 mortuus est[3]), id est, si quidem ipsius relliquiis ultra a. 82. 672 adscendere uetamur, annis fere 80. 674—70. 684.

---

[1]) Giesebrecht, *Q. Claudius Quadrigarius.* Prenzlau 1831.

[2]) De nominibus satis constat, cum omnia conpluribus locis tradita sint, neque tamen una: modo enim Quintus Claudius appellatur, modo Claudius Quadrigarius, modo Claudius aut Quadrigarius, uno loco Q. Quadrigarius.

[3]) Vid. Roth, *de L. Cornelii Sisennae uita* p. 13. 19. Quae Krause p. 266 de praetura Siciliensi Valerii Antiatis adfert, ea ficta et commenticia esse, recte iam Liebaldt de Val. Ant. p. 3 animaduertit.

Nec plura de eius genere adfirmari possunt, nam uanum est suspicari Quintum Claudium, qui a. 218. 536 tribunus plebis fuit (Liu. XXI 63, 3), decem annis post praetor (Liu. XXVII 21; 22; 43. XXVIII 10, 10), historici atauum fuisse, quae fuit coniectura Krausii (p. 243); id unum pro certo ponere licet, eum non duxisse originem e patricia Claudiorum familia, in qua Quinti praenomen omnino non datum esse constet (cf. Th. Mommsen *Die römischen Eigennamen* in nouo mus. Rhen. XV p. 178 = *röm. Forsch.* I p. 16). Vnde cognomen habuerit aut ipsine primo an iam eius maioribus datum sit dubium est, neque illud iam nobis est certum adminiculum, quod L. Voltacilius Plotus Cornelio Nepote teste 'primus omnium libertinorum scribere historiam orsus est, non nisi ab honestissimo quoque scribi solitam ad id tempus' (Sueton. de gram. p. 124 Reif.), cum Voltacilium aequalem fere fuisse huius Quadrigarii existumandum sit. cf. supra p. LII et infra *de u. et scr. Voltac. Ploti.*

Quoniam igitur nobis non contigit, ut de hominis uita plura adferremus, pergamus ad libros, quorum haud exigua et certa uestigia ad nos peruenere, quales fuerint adumbrandos, unde etiam de natura ingenioque eius qui scripsit pauca sequentur.

Inscriptio traditur annalium, a solis Diomede et Prisciano singulis locis (fr. 71. 49) historiarum.[1] Res deductas esse a clade Gallica a. 390. 364 fragmentis, quorum nullum rem tangit ante incendium illud gestam, docetur neque tamen significatur, quibus caussis adductus ab hoc anno scribendi initium fecerit Claudius. quamquam uix poterit dubitari, quin eaedem fuerint quae Liuio, cum initio libri VI c. 1 se 'clariora deinceps certioraque ab secunda origine uelut ab stirpibus laetius feraciusque renatae urbis gesta domi militiaeque' expositurum esse diceret. res enim ante id tempus gestas cum uetustate nimia obscuras esse, uelut quae magno ex interuallo loci uix cernerentur, tum quod paruae et rarae per eadem tempora litterae fuissent, una custodia fidelis memoriae rerum gestarum, et quod, etiam si quae in commentariis pontificum aliisque publicis priuatisque essent

---

[1]) Hos annales ad amicum aliquem missos esse a Claudio Giesebrecht ex fragmento 79 conclusit (p. 3) neque a uero aberrasse mihi uidetur, quod existumat Krause (p. 260 not.), quia diserte Gellius addidit: *principium libri duodeuicesimi scriptum esse: Si pro tua bonitate* et q. s.

monumentis, incensa urbe pleraeque interiissent. quid? quod ueri simile esse mihi uidetur, Liuium, quem Claudium fontem potissimum in hoc libro secutum esse notis nostris ostendetur, etiam hic eum imitatum esse. Niebuhr h. R. II p. 2.

Conplexus autem est libro primo res ab. a. 390. 364 minimum usque ad a. 320. 434 (uel si uera de fr. 22 suspicati sumus, usque ad a. 311. 443), fortasse usque ad finem alterius belli Samnitici (304. 450). quae relliquiae ex altero libro seruatae sunt ex quo orationis tenore decerptae sint, frustra studuimus indagare, paucorum tamen annorum res eo enarratae esse uidentur, cum bellum contra Pyrrhum gestum iam in tertio libro occurrat[1]) (fr. 40. 41). ex eodem libro Gellius factum quoddam Laberii (fr. 42. 43) rettulit, quod in annum 258. 496 incidisse constat. unde si memorabili quadam re libris suis finem Claudium inposuisse statuendum est, bellum Carthaginiense primum tertio libro absolutum esse probabile est. deinde, qui fuit mos historicorum illorum, crescente materie res adcuratius et fusius exposuit, nam libri quinti fr. 53 mentio fit cladis Cannensis (216. 538), sexti fr. 57 Q. Fabii Maximi consulis a. 213. 541. hoc libro fortasse bellum alterum Carthaginiense ad finem perduxit. libro septimo adsignauimus de coniectura quae Liuius in libris XXXIII et XXXIIII ex eo seruauit (ex annis 197. 557—169. 585), libro octauo quae Orosius (fr. 68. 69) ex anno 146. 608; fr. 73 et 74 fortasse pertinent ad bellum Numantinum eiusque annum 137. 617; libro tertio decimo reditum Caecilii Metelli Numidici (a. 99. 655) narrauerat (fr. 76), libro duodeuicesimo (fr. 80) fortasse bellum Marsicum (88. 666), undeuicesimo bellum a Sulla contra Archelaum a. 87. 667 gestum (fr. 81) et septimum Marii consulatum eiusdem anni (fr. 82. 83). Praeterea citantur libri unus et uicesimus atque uicesimus tertius, nullum tamen eorum fragmentum ad certam aliquam rem aut annum potuit referri, neque potest conici, ex quo libro sumpta sint quae Orosius habet de pugna a. 82. 672 ad Sacriportum conmissa. nolo tamen refragari, si quis cum Krausio (p. 247) desiisse Claudium in Sullae morte existumet.

---

[1]) Quod fragmentum a Krausio ex Prisciano XIII p. 960 P. 8 H. (in quo mentio fit Pyrrhi) ad librum II refertur non est Quinti Claudii sed Gaii Licinii (apud nos fr. 20).

Qua autem ratione res Romanas persecutus sit, certum iudicium ferri nequit. sed si ex fragmentis suspicari licet, magis eum res exteras quam domesticas respexisse ueri simile est, nam perpaucis (8. 57. 70. 76. 82. 83) exceptis omnia arma bellaque sonant. hanc uero rerum Romanorum partem adcurate atque uerbose exposuisse et quo propius ad suam aetatem accedebat, eo latior et fusior uidetur fuisse. Sed non contentus solas res gestas memoriae prodidisse, etiam artem rhetoricam, qua primus Coelius Antipater in historia apud Romanos usus est, exercuit et artificia rhetorica libris suis inseruit. quis enim epistulam (fr. 41), quam C. Fabricium et Q. Aemilium consules ad Pyrrhum a. 278. 476 dedisse rettulit, ab ipsis consulibus tum conscriptam esse credet?[1]) atque etiam in ipsa rerum enarratione ut exornaret, uerum posthabuisse conuincitur; iam enim anno 361. 393 (uel 367. 387) T. Manlium gladio Hispanico cinctum cum Gallo pugnantem facit (fr. 10^b, qua in re consentiunt Gellius et Liuius), cum illo gladiorum genere Romani bello demum altero Carthaginiensi uti coeperint (cf. Weissenborn ad Liu. VII 10, 5). denique etiam illud rhetoris uidetur esse, quod fr. 9 accusat deorum iniquitatem 'quod deteriores sunt incolomiores neque optimum quemquam inter nos sinunt diurnare.'[2])

Genus scribendi Fronto l. s. s. et Gellius summis laudibus efferunt, quorum ille id lepidum fuisse dicit, Gellius Claudium

---

[1]) Si recte Th. Mommsen Herm. I p. 169, quae rettulit Gellius VI (VII) 19, 1—7 ex Cornelio Nepote, ad Claudii auctoritatem referenda esse suspicatus est, etiam duo edicta tribunicia, quae inseruit Gellius (§ 5 et 7), a Claudio efficta sunt. — Deinde mihi etiam quae exstant epistulae Pyrrhi regis et P. Valerii Laeuini apud Dionys. XVIII 15—18 ex Claudii officina esse profectae uidentur. primum enim simillimae sunt ei, quae sub eius nomine a Gellio nobis tradita est, eiusdemque rhetoris artificia redolent, atque cum omnino Dionysio Claudium haud ignotum fuisse infra ostendemus, tum in Pyrrhi bello Claudii auctoritate eum nisum esse ex ea re adparet, quod Plutarchus, qui in hac uitae parte Dionysium transscripsit, eadem prodidit quae Claudius (uid. adnot. ad fr. 40).

[2]) Prorsus ridicula sunt quae Closset (*essai* p. 498) declamat: *Il ne savait pas embrasser la vie d'un coup d'oeil philosophique, et les rapports de l'ordre humain avec l'ordre divin ne lui apparaissaient encore que voilés de bien des contradictions. La sort de la vertue sur la terre était une énigme pour lui: Nam haec maxime uersatur deorum iniquitas, quod* etc.

'uirum modesti atque puri et prope cotidiani sermonis' (XIII 29, 2), Manlii certamen 'purissime atque inlustrissime simpliciique et incorrupta orationis antiquae suauitate' descripsisse (VIIII 13, 4); alio loco (XV 1, 4) uerba Claudii tamquam 'optumi et sincerissimi scriptoris' laudat, alia poetice (XVII 2, 3), iucunde et amoene (§ 5), non insuaui uetustate (§ 10), eleganter (§ 23), non inscite nec ineleganter (§ 26) dicta esse existumat. sed perparuam esse fidem habendam nemo nescit eis iudiciis, quae ab illius aetatis scriptoribus de priscis fiunt, quam ob rem nostro Marte quid de Claudio iudicandum sit, ex ipsis relliquiis, quae uerbis non conmutatis traditae sunt, conligere conabimur.

Omnium primum in eis inuenimus concisum quoddam atque tenue dicendi genus, membris breuibus atque pressis, id quod maxime adrisit Gelliis et Frontonibus, nusquam ubertatem aut copiam, omnibus locis antiquitatem atque ieiunitatem. cf. fr. 70: *Romam uenit, uix superat, quin triumphus decernatur.* fr. 76: *Contione dimissa Metellus in Capitolium uenit cum mortalibus multis. inde domum proficiscitur. tota ciuitas eum reduxit.* fr. 81: *uenit, accessit, ligna subdidit, submouit Graecos, ignem admouit. satis sunt diu conati, numquam quiuerunt incendere: ita Archelaus omnem materiam obleuerat alumine. quod Sulla atque milites mirabantur, et postquam non succendit, reduxit copias.* quae breuitas membrorum quamquam minus molesta est in amplioribus certaminum Gallorum narrationibus (fr. 10[b] et 12), et quamquam in epistula ad Pyrrhum data (fr. 41) haud exigua inest et uerborum grauitas et sententiarum, fieri sane non potuit, quin haec siccitas ei, qui multum legebat, taedium moueret, atque uel Gellii et Frontones uereor ne magis admirati sint et laudarint, quam ipsum Claudium uoluerint. accedit enim, quod in tanta uerborum simplicitate ne planus quidem omnibus locis fuit, ut in fr. 85, ubi exponere studet, quid intersit, utrum sagittam atque lapidem deorsum an sursum mittas. porro exigua uocabulorum copia ei suppeditasse uidetur neque magna in narrationibus illis duabus (fr. 10[b]. 12) est uarietas, cum saepe non solum sententiae sed etiam uerba quaedam recurrant.[1])

Vt de fide pauca moneam, praeterquam quod quae ante cladem Gallicam facta erant omnino omittere quam parum ex-

[1]) Vide quae adnotaui ad fr. 12.

plorata proferre maluit, eandem historiae uiam quam qui ante eum scripsere ingressus esse atque in plurimis rebus cum aliis scriptoribus, qui easdem res memoriae prodiderunt, uidetur consensisse. Liuium enim, qui eo in multis libris simul cum Fabio, Valerio Antiate, aliis usus est, sine dubio conmemoraturum fuisse arbitror, si multa aliter in eius annalibus quam in ceteris inuenisset, cum paucis locis atque in rebus exigui momenti Claudium dissentientem se habere scribat. in primis autem Valerio Antiati simillimus fuit, quocum a Liuio saepe in scribendo et adhibitus et laudatus est. sed cum Valerio turpissima mendacii nota ab eo inusta sit, ut eius uaniloquentia paene in prouerbium abierit, de hoc melius iudicatur. quamquam uix minore uituperatione dignus est. plerumque enim in ipsis numeris augendis, id quod Valerio maxime a Liuio crimini datum est, non multum cedit Antiati (cf. fr. 62. 68) atque uno loco (fr. 66), ubi Valerius decem milium caede contentus fuit, uel quadraginta milia caesa esse uult, altero Valerius (fr. 58) uiginti milia, Claudius (56) etiam septem et uiginti.

Alia est quaestio, utrum ipse numeros in hunc modum incredibilem auxerit an iam in fontibus suis auctos inuenerit; sed quoniam in relliquiis mentio fontium non fit nec alia certa iudicia exstant[1]), id diiudicari nequit neque pertinet ad iudicium de fide factum, quae non pluris est aestimanda quam Valerii Antiatis.

Ex eis autem scriptoribus, qui aetatem tulerunt, primus Claudio usus est Liuius, qui decies diserte eum laudauit, etiam saepius tacite exscripsit, idque, quod consensus eius cum fragmentis docet, ut primum eius annalibus uti potuit, a libri quinti cap. 33 usque ad librum decimum (VI 42. VIII 9. VIIII 5. X 37).[2]) in tertia decade eum prae Polybio et Coelio Antipatro seposuit, in quarta ad eum rediit, sed quo libro, non constat; primum eum laudat XXXIII 10, 7, deinde in eodem libro

[1]) Fr. 10 consentit in hostium caede cum Sulla, qui item in conmentariis suis numeros hostium, qui caesi sunt, magna cum inpudentia auxit. uid. *de font. Plutarch.* p. 59 et supra p. CCLXXXII. Etiam annales maximos a Claudio adhibitos esse suspicatur Nitzsch m. Rh. n. XXIII p. 601. quod quamquam probabile est, demonstrari tamen non potest.

[2]) Haec causa nobis fuit, ut Liuii potissimum uerba in adnot. ad fragmenta explicanda adscriberemus, quod permultum Claudio usum eum esse constat.

bis (c. 30 et 36), in libro XXXVIII item bis (c. 23 et 41), in libro XXXXIIII semel (c. 14). contaminauit uero in hisce libris Claudium Valeriumque ita cum Polybio, ut H. Nisseni acumini atque industriae contigerit, ut quae annalium, quae Polybii essent, dirimeret; de Claudio et Valerio distinguendis tamen desperandum est, quamquam id historiae nomine non magno opere dolendum est, cum utrique eadem fides habenda uel potius deneganda sit.

Haec autem capita ex annalibus aut Claudii aut Valerii hausta esse existumat Nissen:

XXXII c. 1—3. 7—9. 26—31.[1]
XXXIII c. 21—27. 36. 37. 42—45.
XXXIIII c. 1—22. 42—48. 52—57.
XXXV c. 1—11. 20—24. 40. 41.
XXXVI c. 1—4. 30—40. 45.[2]
XXXVII c. 1—4. 46. 52—57. 59.[3]
XXXVIII c. 28. 35. 36.[4] 42—60.[5]

---

[1]) In libro XXXI dubitat Nissen, *Untersuchungen* p. 131. 186, num Valerius Claudiusque in usum uocati sint. mihi tamen parum esse probabile uidetur, Antiatem, quem et antecedenti et insequenti libro nominatim Liuius adtulit, in hoc libro prorsus abiectum esse, discrepantiaeque, quas indagauit Nissen, haud grauis momenti sunt. denique quid inpedit, quominus, ubi Liuius a Valerio discessisse uidetur, Claudium transscriptum esse existimemus, ubi a Claudio, Valerium? Fluxerunt igitur ex alterutrius annalibus in libro XXXI c. 1—13. 19—22. 47—50.

[2]) Pauca quaedam Polybio inspersa sunt c. 17. 19. 21. 35.

[3]) Ex Valerio quaedam inserta c. 34. 60. in libro XXXVI a c. 36 et in hoc libro solo Valerio, non Claudio Liuium usum esse coniecit Nissen p. 210.

[4]) Pauca inserta c. 17. 23. 41.

[5]) De causa Scipionum (c. 54, 4—c. 60) pluribus disputauit, ita ut res ad liquidum perducta sit, Th. Mommsen (*Die Scipionenprocesse* in Hermae uol. I p. 161—216). ubi primum a Liuio eis quae de causa illa secundum Valerium Antiatem (fr. 45) scripserat, postea inscite adiecta esse c. 55, 8 *has ego summas* — c. 57 fin. *proponenda erant* demonstrauit. tum et 'aliam fabulam' quam 'seruit' Liuius c. 56, 8 (*alia tota serenda fabula est Gracchi orationi conueniens*) — c. 57 fin., et eam, quam e Cornelii Nepotis exemplis hausit Gellius IIII 18 et VI (VII) 19 (Mercklin *Citiermethode* p. 668 et Nissen p. 214), quae prorsus conspirat cum Liuiana (cf. Liu. c. 57, 4 cum Gell. VI 19, 6 et 7), ex Claudii annalibus fluxisse cum magna probabilitatis specie coniecit.

XXXVIIII c. 1—23. 29—32. 38—46. 54—56.
XXXX c. 1. 2. 16—19. 25—53. 59.
XXXXI c. 1—19. 21. 22. 26—28.
XXXXII c. 1—4. 6. 11. 18—28. 30—36.
XXXXIII c. 1—17.
XXXXIIII c. 12—22 (pauca in cap. 13. 37).
XXXXV c. 1—4. 12—18. 20—25. 35—44.

Denique ne in eis quidem qui perierunt libris a Liuio Claudium fontem neglectum esse inde adparet, quod Orosius, Liuii adsecla, ter eum laudat (fr. 68. 69. 84). plura de hac re pro certo adfirmare hariolationis est.[1])

Num Dionysius Claudium nouerit, caute dubitat A. Kiessling (de Dionys. Hal. auct. p. 18), quoniam ea pars antiquitatum Romanarum quae seruata est plus quinquaginta annis desinat ante cladem Gallicam, cum qua Claudius initium fecit scribendi. Concedet tamen nunc opinor Kiessling amicus, non ignotum fuisse Dionysio Claudium, postquam in libro meo de fontibus Plutarchi scripto (p. 17—28) firmis argumentis ostendi, et Plutarchum in Camilli uita Dionysium descripsisse et cognationem quandam intercedere inter Plutarchum Liuiumque, quem in clade Gallica enarranda in primis Claudio usum esse constat. atque unum potissimum locum ab eo respici uelim, quamquam ibi res est intricatior. nouimus enim ex Liuio (VI 42, 2 sqq. fr. 10[a]), secundum Claudii memoriam, quam pluribus auctoritatibus fretus ille quidem spreuit, anno 367. 387 M. Furio Camillo quintum dictatore pugnatum esse cum Gallis circa Anienem flumen. idem uero etiam Plutarchus rettulit, qui postquam leges Licinias Sextias perlatas esse narrauit, nuntio incursionis Gallicae adlato[2]) Camillum quintum dictatorem dictum *περὶ τὸν Ἀνίωνα ποταμόν* (*circa Anienem flumen* Liu.), cum milites noua ratione pugnandi ab eo praescripta uterentur, Gallos fudisse (c. 41); *ἐν τῷ κα-*

[1]) Vt M. Hoffmann *de Viriathi Numantinorumque bello* p. 8 non dubitat, quin eandem rationem auctorum transcribendorum, quam a lib. XXXI—XXXXV, etiam in eis libris qui ad bellum illud pertinent, Liuius secutus 'hoc quoque bellum inprimis ex Valerio Antiate et Claudio Quadrigario narrauerit', non consuluerit Polybii bellum Numantinum (Cic. ad fam. V 12). sed quae adferuntur causae nullae sunt.

[2]) c. 40: *ἀγγελίαι προσέπεσον σαφεῖς, Κελτοὺς αὖθις ἀπὸ τῆς Ἀδριατικῆς ἄραντας θαλάσσης μυριάσι πολλαῖς ἐπὶ τὴν Ῥώμην ἐλαύνειν.*

τόπιν ἐνιαυτῷ (c. 43) cum pestis urbem Romam inuasisset, Camillum esse mortuum. quem orationis tenorem si consideraueris et Camillum a. 365. 389 mortuum esse constare memineris, non dubitabis, quin aut Plutarchus aut qui eum descripsere corrigendi sint, cum illam pugnam ἔτεσιν ὕστερον τρισκαίδεκα γενέσθαι — τῆς Ῥώμης ἁλώσεως dicant. nam re uera ἔτεσιν ὕστερον τρισὶ καὶ εἴκοσι (κγ' pro ιγ') illa pugna post urbem captam conmissa est. ita demum oratio apud Plutarchum recte procedit. De eadem uero expeditione etiam tria fragmenta ampliora Dionysii in eclogis Ambrosianis aetatem tulerunt (XIIII 12. 13—16. 17—19), quorum primo narratur, Gallos agrum Albanum depopulatos luxuria emollitos et eneruatos esse, altero contio Camilli explicatur, qua cohortatur milites ad pugnam, ita tamen ut nusquam Gallorum mores mutatos esse conmemoret, tertio pugna ipsa describitur, qua Romani usi noua Camilli ratione pugnandi superiores sunt. sed ordo fragmentorum, quem eclogarius Ambrosianus esse uoluit, cum multis locis (Kiessling praef. uol. IV p. XXV) tum hoc non est is, quo apud Dionysium ipsum illa uerba exstabant; est potius, ut cum historia congruat, ita mutandus, ut quod prius primum fuit, ultimo loco sit ponendum (XIIII 13—19. 12). nam pugnam illam, ante quam contio Camilli est habita, in qua Romani strategemate illo dictatoris uicerunt, non in agro Albano, quod est in titulo horum capitum in edit. Tauchn., sed ad Anienem conmissam esse euincitur consensu Plutarchi (c. 41 uers. 20—31 edit. maior. Sinten.) et Zonarae VII 24, p. 90 (ed. Bonn.), qui nunc egregie concinit cum Plutarcho et Dionysio: καὶ ἐπὶ πλέον ἂν ἔτι τοῦτο (discordia intestina Romae) ἐγένετο, εἰ μή τις ἀγγελία κεκόμιστο ἐπὶ τὴν Ῥώμην αὖθις ἐλαύνειν Κελτούς. ἅπαν οὖν πρὸς ἀλλήλους ἀφέντες διάφορον δικτάτωρα τὸ πέμπτον τὸν Κάμιλλον εἵλοντο καὶ πρὸς τοὺς βαρβάρους ἐστράτευσαν. οὐ μάχη μέντοι κοινή, μονομαχία δὲ γέγονε πρότερον. iam sequitur narratio certaminis T. Manlii, dein pergitur: συμμιξάντων δὲ καὶ τῶν στρατευμάτων ἥττηντο οἱ Κελτοὶ καὶ τῆς μὲν ἐπὶ τὴν Ῥώμην ὁρμῆς ἀπέσχοντο, τὴν δ' Ἀλβανίδα ἐλεηλάτουν. ἐάσαντες οὖν αὐτοὺς οἱ Ῥωμαῖοι διαρπάσαι τὴν χώραν, ὡς κατακορεῖς γενόμενοι βρωμάτων καὶ μέθης ἐνεπιχειρητότεροι εἶεν, ἐπέθεντο σφίσι καὶ αὐτῶν δὲ πολλοὺς διέφθειραν καὶ τὸ σφῶν εἷλον στρατόπεδον.

Itaque demonstrasse nobis uidemur, memoriae Claudianae eo ipso loco, ubi eam ex Liuio discrepasse cum 'pluribus auctoribus' nouimus, apud Dionysium certa exstare uestigia, unde, cum in libris V c. 31 — fin. et VI et in quibusdam librorum VII—X partibus primario fonte usus esse uideatur Liuius Claudio, qui in libro VI solus nomine laudatur, eis horum librorum locis, quibus Liuius cum Dionysio concinit, illum conmunem utrique fontem fuisse ueri est simile.

Ex sequentis aetatis scriptoribus mentionem eius facit Seneca philosophus atque narrationem quandam (fr. 80) ex libro duodeuicesimo deprompsit. Deinde Hadriano imperatore multum lectitatus et in usum conmentariorum grammaticorum excerptus est, cum adrideret hominibus illis antiquitatis studiosis genus scribendi simplex atque horridum. ut Gellius, si eius uerbis fidem habes, frequenter eum legit et aut ex sua lectione multa noctibus suis Atticis inseruit aut amicos Fauorinum (VIIII 13), Frontonem (XIII 29, 1), Iulianum rhetorem (XV 1), Apollinarem Sulpicium (XX 6, 11) de eo disserentes et exempla adferentes facit. quid? quod (VIIII 14, 1) ad firmandam scripturam quandam 'aliquot ueteres libros' se inspexisse praedicat et uel libri, quem in Tiburti bibliotheca uidisse se dicit, auctoritate gloriatur. Porro etiam Frontonem in epistula quadam genus eius scribendi laudasse iam supra conmemorauimus.

Ex horum autem scriptorum horreis, quae referta erant exemplis Claudianis, qui postea de rebus grammaticis egere aut glossemata collegere aut poetas explicauerunt, sua sumpsisse uidentur, neque exstant certa uestigia, etiam post illud tempus Claudii annales in multis manibus fuisse.[1] nam Nonium non inspexisse ipsum Claudium uix est cur nunc, postquam tot tam claris exemplis leuissima ratio eius excerpendi et transcribendi demonstrata est, moneamus. similia uero etiam de Macrobio (fr. 45)[2], scriptore Nonii haud dissimili, de Seruio (fr. 31. 52.

---

1) Mirum est quod Closset p. 495 Claudium usque ad Ioannis Saresberiensis aetatem peruenisse existumat. ubi enim eum citat (Policr. V 7), sua hausit ex Gellio (III 8). cf. adnot. ad Valer. Ant. fr. 21 et Schaarschmidt *Johannes Saresberiensis in seinem Verhältniss zur klassischen Litteratur* in nouo mus. Rhen. XIIII (1859) p. 206.

2) Duobus certe aliis locis (adnot. ad fr. 44. 53), ubi Quadrigarium citauit, ad uerbum descripsit Gellium. uid. Ian. prolegg. ad Macrob.

92), de Lactantio Statii Thebaidis scholiasta (fr. 74), de Diomede (fr. 71. 77), de Prisciano (fr. 39. 49. 56. 73. 74. 97) statuenda sunt.[1])

Restat ut de ratione, quae intercedat inter Claudium Quadrigarium et Claudium Acilii interpretem, disputemus. Liuius enim praeter decem quos iam recensuimus locos, quibus auctorem suum uno Claudii nomine appellat, duobus locis Claudium quendam laudat additis hisce uerbis: XXV 39, 12 *auctor est Claudius qui annales Acilianos ex Graeco in Latinum sermonem uertit* et XXXV 6, 1: *Claudius secutus Graecos Acilianos libros — tradit.* quem Claudium quia Sigonius (ad Liu. XXV 39) et post eum alii seiunxerant a Quadrigario, Giesebrecht[2]) pluribus euincere studuit, ea uerba sine certo consilio a Liuio adiecta neque quidquam eis dictum esse, nisi his locis Claudium, scriptorem iam antea adhibitum, librorum Acilianorum auctoritatem secutum esse. cui quidem uix aduersarer, si alter locus solus exstaret — quamquam etiam tum, qui fuit scriptorum ueterum citandi mos[3]), Liuium scripturum fuisse existumauerim *Acilius, quem Claudius est secutus* uel *Acilius et Claudius* — sed propter priorem locum fieri non potest, quin duos Claudios Liuio notos fuisse dicamus, cumque additamentis illis id egisse, ut hunc Claudium ab eo, quem iam antea quater laudauerat, diuersum indicaret. quaero enim, cur non primo loco quo Claudii mentionem facit (VI 42, 4), Liuius hanc notam adiecerit, reseruauerit ad quintum? cur quartae decadis quarto loco (XXXV 6), postquam iam in libro XXXIII ter eum laudauit? accedit quod Acilius res Romanas ab origine urbis repetiit, a clade Gallica Claudius. quae igitur fuit causa Claudio, ut, quoniam hoc eius fuit consilium ut annales Acilianos ex Graeco in Lati-

---

p. XV. sed etiam fr. 45 ex Gellio depromptum esse suspicatur G. Thilo *quaestt. Seru.* (Hal. 1867) p. 8 conparato Gellii lemmate VIII 1.

[1]) De Orosio, qui Liuium in epitomen redigit, cf. supra p. CCLXXXXIIII.

[2]) Secuntur eum etiam Pluess, *de Cinciis rerum Romanarum scriptoribus* p. 43 seqq. mus. Heluet. n. VI (1866) p. 47 et Th. Mommsen in Herm. uol. I p. 165 not.

[3]) Cf. quos de hac citandi consuetudine adtuli uiros doctos de font. Plut. p. 65 not. et adde Mercklin, *Citiermethode des Gell.* p. 650, ubi in Gellium eadem cadere demonstratum est.

num uerteret sermonem, non uerteret, quae ante cladem Gallicam facta erant? sed dicat quispiam, Claudium unum fuisse, libros diuersos. at mirum est eundem hominem et scriptoris Graeci annales, qui ab urbe condita minimum ad annum 193. 561 pertinebant, uertisse et praeterea suo iudicio in fontibus eligendis et describendis usum res patrias a clade Gallica usque ad suam aetatem deduxisse. Liuius quidem homines, non libros distinguere uoluit; quod si uoluisset, scripsisset *Claudius in eo libro quo uertit.*

Recte igitur H. Nissen (l. s. p. 40) Claudium Quadrigarium et Claudium interpretem Acilianum eundem hominem esse negauit, sed prorsus errauit uir doctissimus, Liuium non Quadrigario sed Acilii annalibus a Claudio quodam in sermonem Latinum uersis et usque ad ipsius aetatem continuatis usum esse opinatus. nam narratio certaminis T. Manlii, quam Gellius (fr. 10[b]) ex Quadrigario (sic eum adpellat § 20, quem § 4 Q. Claudium) rettulit, ita consentit cum Liuio, qui VI 42 Claudium suum de eadem re laudauerat, ut utramque narrationem ex eodem fonte fluxisse necesse sit. multaque similia exempla in adnotatione nostra (cf. in primis ad fr. 15 et 16) conlegimus, ex quibus eundem Claudium et a Liuio et a Gellio, qui tribus eum ornat nominibus, adhibitum esse constat. atque quod Nissen in ea re offendit, quod Liuius decies uno nomine Claudii Q. Claudium Quadrigarium laudauit, mirum id esse non potest considerantibus nobis, et L. Coelium Antipatrum, qui totidem locis quot Claudius citatus est, simpliciter ab eo Coelium appellatum esse, et L. Calpurnium Pisonem eis quinque locis, quibus ad eius auctoritatem nos reuocat, Pisonem.

Iam uero uno conspectu recensebo etiam alios historicos, quibus Claudii uel Clodii nomen fuit, qui saepe et inter se et cum Quadrigario Claudioque interprete confusi sunt.[1]) Primum adponam ipsos locos, quibus eorum mentio fit:

1. Cicer. de legg. I 2, 6: *Ecce autem successere huic* [*Caelio Antipatro*] *Gellius, C l o d i u s, Asellio, nihil ad Caelium uel potius ad antiquorum languorem et inscitiam.*

2. Liu. XXVIIII 22, 10: *Hunc Pleminium C l o d i u s L i c i n u s* [*Licinius* libri] *i n l i b r o t e r t i o r e r u m R o m a n a r u m*

---

[1]) Eorum fragmenta infra coniuncta habes p. 176 sq.

refert ludis uotiuis (a. 194. 560) — *conatum per quosdam — urbem incendere.*

3. Plut. Num. 1: *Κλώδιός τις ἐν ἐλέγχῳ χρόνων* (*οὕτω γάρ πως ἐπιγέγραπται τὸ βιβλίον*) *ἰσχυρίζεται, τὰς μὲν ἀρχαίας ἐκείνας ἀναγραφὰς ἐν τοῖς Κελτικοῖς πάθεσι τῆς πόλεως ἠφανίσθαι. τὰς δὲ νῦν φαινομένας οὐκ ἀληθῶς συγκεῖσθαι δι' ἀνδρῶν χαριζομένων τισὶν εἰς τὰ πρῶτα γένη καὶ τοὺς ἐπιφανεστάτους οἴκους ἐξ οὐ προσηκόντων εἰσβιαζομένοις.*

4. Appian. Gall. I 3 p. 36 Bk.: *Καῖσαρ δὲ πολεμήσας αὐτοῖς πρῶτον μὲν Ἑλουητίους καὶ Τιγυρίους ἀμφὶ τὰς εἴκοσι μυριάδας ὄντας ἐνίκησεν. οἱ Τιγύριοι δ' αὐτῶν χρόνῳ ἔμπροσθεν Πίσωνος καὶ Κασσίου τινὰ στρατὸν ἑλόντες* (a. 107. 647) *ὑπὸ ζυγὸν ἐξεπεπόμφεσαν, ὡς ἐν χρονικαῖς συντάξεσι δοκεῖ Παύλῳ τῷ Κλαυδίῳ.*

5. Sueton. de gram. et rhet. 20 (p. 115 Reif.): *Fuitque* (Hyginus) *familiarissimus Ouidio poetae et Clodio Licino* (sic Oudendorp; *Licinio* libri), *consulari historico, qui eum admodum pauperem decessisse tradit et liberalitate sua quoad uixerit sustentatum.*[1])

Ex hoc numero Clodium Ciceronis (1) et Clodium Licinum Suetonii (4) diuersos esse a Quadrigario facile cuiuis clarum est[2]),

---

[1]) Non addidi Seruium Clodium, Aelii Stilonis generum, qui in grammaticis ponatur a Suetonio (de gr. et rhet. 2. 3 p. 101 Rf.). cf. de eo Orelli, onomast. Tull. p. 164. quem quod C. Fr. Hermann (*Gött. gel. Anz.* 1849 p. 1469) eundem esse censuit atque eum qui *τὸν ἔλεγχον χρόνων* conscripsit, suo iure hoc iam refutauit H. Klapp *de uit. Plut. auct.* I. p. 21 sq. — Deinde omisi Appium Claudium Pulchrum consulem a. 54. 700, mortuum a. 49. 705. is, ut ait Cicero (Brut. 77), 'et satis studiosus et ualde doctus, tum etiam exercitatus orator et cum auguralis tum publici iuris antiquitatisque nostrae bene peritus fuit', librique eius augurales, quorum etiam fragmenta pauca apud Festum ad nos peruenerunt, commemorantur a Cicerone in epistula quadam ad eum data (ad fam. III 11, 3); praeterea nihil de eius studio litterarum accepimus. (cf. de eo Drumann, hist. Rom. II p. 186 sqq.) — Denique rationem non habui loci cuiusdam in schol. ad Cicer. orat. pro Arch. p. 357 Orell. sic scripti: *Ille Marius idem eximie L. Clodium dilexit. ille primus Romae studia Latina docuisse fertur*, nam in oratione ipsa (9, 12) sine discrepantia librorum L. Ploti nomen est.

[2]) Lachmann de f. Liu. II p. 23 Ciceronis et Liuii Clodium con-

quorum ille nimis antiquus, hic recentior sit. idem etiam de Clodio Licino Liuii (2) recte statuit Lachmann (de font. Liu. I p. 35 not. 2), cum libro Quadrigarii tertio expositum sit bellum Pyrrhi, res anni 194. 560 (cuius ludos uotiuos ex Licinii libro tertio conmemorauit Liuius l. s.) libro sexto aut septimo. nil tamen obstat, quominus hunc (secuti Bernhardyium hist. litt. Rom. p. 645) cum Suetonii Clodio Licino (5), quem Gaii praenomine usum et anno 4 p. Chr. 757 a. u. c. consulem suffectum fuisse ex titulo 644 ap. Orell. collect. inscr. I p. 615 nouimus, Hygini Liuiique aequali coniungamus. denique ut inter duos scriptores qui relinquuntur cognationem quandam intercedere arbitremur[1]), quamquam a Plutarcho Clodius, ab Appiano Claudius nominatur, librorum inscriptionum similitudine adducimur. *χρονικαὶ* enim *συντάξεις* idem prope dicunt quod *ἔλεγχος χρόνων*, quam fere ('*οὕτω γάρ πως ἐπιγέγραπται τὸ βιβλίον*') Clodii libri inscriptionem fuisse Plutarchus adfirmat. Sed Clodium Plutarchi (3) etiam cum Quadrigario confuderunt Niebuhr[2]), Schwegler[3]) (hist. Rom. I p. 39 not. II 11 not. 5), Bernhardy (l. s. p. 196), idque eam ob causam quod Clodius omnium rerum, quae ante incendium Gallicum factae sunt, fidem in dubium uocauit, Claudius Quadrigarius ab eo anno initium scribendi fecit. at minime potuit Plutarchus annales uel historias, ut inscripserat Quadrigarius librum suum, uertere *ἔλεγχος χρόνων*, quae uox eandem fere habet uim quam *censura temporum.*[4]) deinde Quadrigarium, nisi ipsum uersauit, quem illa aetate multum lecti-

---

fudit cum Sexto Clodio, qui Graece de dis scripsit (Arnob. V 18 et ex eo Lactantius discipulus instit. I 22, 11) et fortasse idem fuit atque 'Sextus Clodius e Sicilia, Latinae simul Graecaeque eloquentiae professor', Antoniique triumuiri magister (Suet. de gr. et rh. 29 p. 124 Reif.), quem ut Antonii magistrum quamuis hominem stupidum aratorem ex oratore factum esse increpat Cicero (Phil. II 17, 43. III 9, 22). Ceterum de Ciceronis Clodio nihil cum aliqua probabilitatis specie statui potest.

[1]) Sic etiam Lewis, *Untersuchungen üb. d. Glaubwürdigkeit* etc. I p. 161 sqq. uers. Liebrecht.

[2]) Hist. Rom. II p. 3: *Schwerlich ist auch der Clodius ein anderer als er* (*Quadrigarius*), *aus dem Plutarch anführt, dass die Stammbäume, soweit sie über diese Zeit hinaufreichten, erdichtet seien.*

[3]) Hunc etiam ego quamuis dubitanter secutus eram de font. Plut. p. 162 not.

[4]) Sic uertit Roth in Gerl. Sallust. p. 322. cf. Klapp l. s. p. 22 sqq.

latum esse constat, haud ignobilem scriptorem fuisse nouit ex Liuio, ut τινὰ addere superuacaneum esset; denique ne id dixit quidem Plutarchus Clodium suum regressum non esse ultra cladem Gallicam, sed inuectum eum esse in fidem monumentorum antiquissimorum, atque aut totus fallor aut ea ipsa Plutarchus, quae hoc primo capite disputat, ut refutet uulgatam opinionem, qua credebatur Pythagorae auditor fuisse Numa, sumpsit ex Clodio. fons certe eius uitae primarius hanc opinionem secutus erat, quam etiam Plutarchus inmemor dubitationis, quam initio uitae mouerat, postea in orationis tenorem recepit. cf. de Plut. font. p. 163. adde quod si Clodius Plutarchi et Claudius Appiani eidem sunt, huic Clodio praenomen fuit Pauli (uid. infra), Quadrigario Quinti.

Denique multi uiri docti laborarunt in *Παύλῳ* nomine (4) mutando. Schweighaeuser enim scripsit *Κοΐντῳ* uel *Κουαδριγαρίῳ* (cf. eius conment. p. 172), Lachmann (de f. L. I p. 36 n.) *Πουβλίῳ* uel *Ποπλίῳ*, Hullemann (*de Paulo qui fertur Claudio* p. 4) *Πωλίωνι.*[1]) sed Schweighaeuseri coniecturam falsam esse ex eis quae supra disseruimus adparebit, et quae hos causa adduxit ut Pauli nomen remouerent, nulla est, cum etiam Paulus praenomen fuerit apud Romanos, quamquam non in usitatis. ut occurrit nobis in denario Paulus Lepidus Libo (Mommsen, C. I. L. I n. 473), Paulus Fabius in titulo 799. cf. Mommsen, mus. Rhen. n. XV p. 194.[2])

Nihil igitur certe de hisce Claudiis uel Clodiis statuere potuimus, sed plerumque ad eum finem peruenimus, ut eos qui saepe confusi sunt secernendos esse inueniremus, neque Claudio

---

[1]) Hullemann litterarum potissimum similitudine ad coniecturam suam ductus Claudium Pollionem, Plinii minoris amicum, quem de uita Annii Bassi egisse a Plinio epist. VII 33, 5 docemur, etiam hunc 'ἔλεγχον χρόνων' conposuisse suspicatur. sed quia opinio, a qua profectus est, cum Paulum praenomen non esse arbitraretur, uana est, etiam ea, quae inde conliguntur, dilabuntur, neque operae pretium est ea quae excogitauit pluribus refellere.

[2]) Hanc uero ob causam etiam eorum coniectura admodum dubia mihi uidetur, qui (ut Mueller in *fr. hist. graec.* IIII p. 364. Baehr in *Pauly Realencykl.* II p. 465) a Clodio Licino conscriptum esse illum ἔλεγχον χρόνων suspicati sunt. nam Clodio Licino Gaii praenomen fuisse ex titulo, quem supra conmemoraui, constat, Clodium autem Plutarchi eundem esse ueri simillimum nobis uisum est atque Paulum Claudium Appiani.

Quadrigario cuiusquam esse addendas relliquias. de ceteris ueri simile fuit, et Plutarchi Clodium (3) atque Appiani Claudium (4) eundem esse, et Clodium Licinum Liuii (2) Suetoniique (5). cur alios coniungeremus, nulla fuit certa causa, neque contemplantibus nobis, quindecim Claudios, septem Clodios a Baehrio (in *Pauly Realencykl.* II p. 427 sqq. p. 464 sqq.) enumeratos esse, quorum nomina libris maximam partem pedestri oratione conscriptis innotuere, mirum uidebitur, hos quinque scriptores eiusdem nominis inter se diuersos esse.

Denique ne neglegentia nostra conplura fragmenta omissa existumes quae sunt apud Krausium, breuiter enumerabo, quae ex illo numero eiecerim:

1. (p. 254 Kr.) *Quintus in II: Peruersum esse, eis alii modi postulare Pyrrhum in te atque in ceteris fuisse.* Prisc. XIII p. 960 P. II p. 8 H. — Hic iam Krehl ex codicibus C. Licinii nomen restituit, quam ob rem C. Licinii Macri fragmentis insertum est (fr. 20).

2. (p. 263 Kr.) *Calidius*: *Senatus, inquit, censuit referentibus sufetis.* Paul. Diac. p. 308 M. — Quia uulgo tribueretur Claudio, Krause in eius fragmentis etiam hoc posuit. ego Calidio oratori sua reddenda esse existumo. haec enim Festi (p. 309) uerba excerpsit Paulus: 'Sufes dic*tus Poenorum ma*gistratus ut Oscor*um Meddix tuticus.* Calidius in oration*e in Q. Gal*lium: — Senatus cen*suit referentibus* sufetis.'

3. (p. 265 Kr.) *Claudius oratione in Quintium Gallum: quorum iacent murena, ulla horrea, curiaque et tabulariae publicae.* Nonius s. u. horrea p. 208. — Hoc fragmentum Meyer in fragm. orat. Rom. p. 437 ita emendauit: *Calidius oratione in Quintum Gallium* eiusque fragmentis inseruit. Giesebrecht quidem (p. 9) ex oratione quadam, quam in annales recepisset Quadrigarius, haec sumpta esse arbitratus est, sed cum Meyero id facit, quod in Q. Gallium, quem defendit M. Tullius Cicero, orationem Calidium habuisse etiam aliunde constat. cf. Meyer l. s. p. 436 sq.

4. (p. 259 Kr.) *Claudius rerum Romanarum libro duodecimo: Quinque pristis nauigium ea forma* [conieci *a forma*] *a marina bellua dictum est.* Non. s. u. pristis p. 535. — Miror quod in hoc fragmento nemo adhuc offendit. adparet enim neque sententiam ex eo elici posse, nisi ita ut *quinque pristis* lemma quaeque secuntur interpretationem esse existumemus, ne-

que id haustum esse ex Q. Claudio Quadrigario, quem plerumque sub uno Quadrigarii nomine Nonius adferre solet, cuius libros semper annales dicit. fluxerunt potius uerba illa ex Seruii Clodii glossographi (anno 61. 693 fere mortui) libris (de quibus uid. Ritschl in parerg. p. 122. 180. 242 sq. 365 sq. et Kretzschmer de Gell. font. p. 42 sq.) id quod similitudine alius eiusdem glossographi fragmenti satis demonstratur. cf. Varr. de ling. lat. VII 70: *Claudius scribit: quae praeficeretur ancillis quem ad modum lamentarentur, praefica est dicta.*[1]) Inscriptio illorum librorum apud Nonium mihi uidetur fuisse conmentariorum, uel ipsius Nonii uel librariorum leuitate corrupta.

Haec igitur quattuor fragmenta sine ulla dubitatione ex Quadrigarii numero remouimus, sed fateor, etiam alia, quae sub solo Claudii nomine citauit Nonius (fr. 32. 61. 78. 95) suspicionem meam mouisse, in primis fr. 78: *Claudius annalibus lib. XVI: Equae hinnibunde inter se spargentes terram calcibus.* a genere enim dicendi hoc prope poetico et rhythmice

[1]) In eodem libro praeterea citatur § 66. 106. — Gell. XIII 23, 19 quaedam e 'conmentario' Seruii Claudii adfert, III 3, 1 eius 'indices — super fabulis Plautinis' conmemorat. — Distinguendus hic est a Clodio Tusco, Ouidii amico, cuius conmentarii a Seruio quattuor locis citati sunt (cf. Merkel ad Ouid. fast. p. LXVI). utroque enim nomine eum laudat ad Aen. XII 657: *Clodius Tuscus; Mussare est ex Graeco, comprimere oculos. Graeci μῦς dicunt.* unde sua sponte adparet eundem Clodium Tuscum dici ad Aen. I 52: *Clodius commentariorum: uasta*] *inmania, magna.* ad I 176: *Clodius scriba commentariorum IIII fomenta*] *taleae excisae ex arboribus.* idem alio loco: *Assulae ambustae*] *ligna καυστὰ a fungi fomite excepta* (sic G. Thilo in progr. Numbnrg. 1856 p. 17 conlato Plin. XVI 67. *ligna cauata a fungis nomine excepto* Cassell. *ligneae cauata a fungis nōe excepto* Paris. cf. Paul. Diac. p. 85 M.). ad II 229: *Clodius scriba commentariorum: Insinuem*] *intro eam penitus.* Ita enim fragmenta scribenda sunt, ut prima quaeque uerba ut lemmata a ceteris seiungantur. cf. etiam Hertz, *Sinnius Capito* p. 12. — Tusci cuiusdam Seneca suasor. 2 fin. mentionem facit ut historici fatui et 'tam inprobi animi quam infelicis ingenii', qui Scaurum Mamercum sub Tiberio (a. 34. 787 cf. Drumann I p. 33) maiestatis reum fecerit. sed potuit etiam ex alia gente esse atque ex Clodia, cui eum adscripsit Baehr (in *Pauly Realenc.* II p. 465), cum Tusci cognomen non unius gentis (ut etiam Aquilliae, Memmiae cf. Baiter fast. p. CCXXXII) fuerit. quam ob rem, ne coniecturas cumularem, eum supra in Clodiis Claudiisque historicis enumerandis praetermisi.

sonante prorsus abhorret simplicitas et nuditas Quadrigarii; tum fr. 32 et 61, ubi ne inscriptionem quidem libri addidit nomini Claudii, quod exceptis fr. 35 et 96 semper. denique obelo notandum esse duxi fr. 77: *Claudius annalium quinto decimo*: *Grundibat grauiter pecus suillum*, quod ad Claudium Caesarem rettulit Casaubonus (ad Suet. Claud. 41). quae sententia si uera est, etiam alterum, quod seruauit Diomedes (71), eidem tribuendum est.

VALERIVS ANTIAS[1])

Quae supra de Q. Claudii Quadrigarii aetate ac uita testimonia pauca et incerta adlata sunt (p. CCLXXXVII), nunc ad Valerium Antiatem pergentibus nobis iterum adhibenda sunt et ut illic sic etiam hic eis adquiescendum. Vixit igitur uterque paullo ante Cornelium Sisennam, ita tamen ut Antias, quoniam et a Velleio et a Frontone illius aetatis historicos enumerantibus post Claudium recensetur, propius ad Sisennae aetatem accessisse uideatur. quamquam Claudii annalium uestigia descendunt usque ad annum 82. 672 (fr. 84), huius usque ad a. 91. 663 (fr. 64). id tamen noli mirari, cum omnino Antiatis librorum posteriorum relliquiae multo rariores sint quam Quadrigarii.

Quae praeterea de eo apud plerosque, qui de eo egerunt, scripta exstant, omni fundamento carent. primum Quinti praenomen, quod Vossius ei nulla auctoritate tribuit, ceteri usque ad Krausium et Clossetium (p. 503) ab eo temere receptum propagauerunt, aut Publii, quod Schottus excogitauit (cf. Liebaldt p. 2); tum praetura anni 84. 670, qua Krause (p. 266) eum ornauit. qui error a Lachmanno (de font. Liu. I p. 37 n. 4) originem ducit, qui Valerium Antiatem cum Valerio Sorano confudit.[2]) denique hoc falsum est, quod fuerunt qui propter cognomen contenderent, eum Antii natum Romam migrasse. hi enim non uiderunt, iam bello Hannibalico anno 215. 539 L. Valerium quendam Antiatem quinque nauibus praefectum esse, ut legatos captos Romam deportaret (Liu. XXIII 34, 9)[3]), unde Antiatem histori-

[1]) Liebaldt, *de Valerio Antiate annalium scriptore*, progr. Numburg. 1840.

[2]) Cadunt igitur etiam quae Krause de anno, quo natus esset Antias, effecisse sibi uisus est.

[3]) Pighius ann. II p. 176 hunc Antiatem historias scripsisse suspicatus est nanctusque est sibi obsequentes. sed hanc coniecturam peruersissimam esse non est cur demonstremus.

cum non clientem Valeriorum, quae quorundam fuit opinio, sed eorum gentilem ciuemque Romanum fuisse adparet.[1])

Itaque rebus gestis eius nomen non inclaruit, memoria continetur libris, qui aut historiae aut annales inscribebantur. ex quattuor enim locis, quibus adcurate auctori liber additus est, duo hanc (Prisc. fr. 16. (Gell. 60), duo illam (Gell. 57. 62) inscriptionem exhibent. libri minimum fuerunt septuaginta quinque (fr. 62), de quo numero a Gellio tradito non debebat dubitare Gerlach (p. 86), quoniam etiam libri septuagesimi quarti uerba quaedam seruauit Priscianus (fr. 61). Cum uero qui ante eum scripsere, iam discessissent ab illo ueterum historicorum more res Romanas ab urbis initio deducendi et partem quandam, quam melius nossent, tractandam suscepissent, hic ad priscam illam rationem regressus etiam ea tempora, quae historiae luce carerent et ante eum paucis et ieiunis uerbis descripta essent, copiosa et fusa narratione inlustrare conatus est. itaque altero libro ad Numam peruenerat (fr. 56), uicesimo altero ad a. 136. 618[2]), ceteris rebus minimum quinquaginta tres libros expleuit, plures quam Liuius eodem temporis spatio.

Genus scribendi inuenustum fuisse iudicauit Fronto (l. s. s.), prisci sermonis laudator, qui solus hanc rem tetigit, cum idem Claudii lepidum diceret. quae iudiciorum diuersitas ita explicanda erit, ut Claudium antiquitatis in scribendo studiosum fuisse existimemus, Valerium suae aetatis sermone uulgari usum. eademque de causa erit repetendum, quod qui grammatici formas priscas sectarentur, multa exempla prompserunt e Claudio, per-

---

[1]) Qui uulgo adfertur locus Plin. n. h. praefat. 24 ad Antiatis cognomen explicandum *Lucubrationem puto qui Antias ciuis erat et uocabatur, Valerius primus asserit*, est profectus ex Rhenani interpolatione, in codicibus nec Antiatis nec Valerii nomen exstat. — cf. Priscian. V p. 649 P. 155 H.: *in 'as' Latina si sint patriae, communis sunt generis. — inueniuntur tamen alia quoque propria in formam gentilium prolata, ut Antias historicus.*

[2]) Consulto omisi quod Plinius, ut nunc uulgo scribitur, ab eo rem quandam a. 181. 573 in tertio libro enarratam esse conmemorare uidetur (fr. 15). nam is numerus sine dubio est corruptus. etsi enim etiam Antiatis historiam procedente opere adcuratiorem factam esse per se probabile est, tamen quis credat eum res, quae a Numa usque ad a. 181. 573 gestae sunt, uno libro conplexum esse, annis qui sequebantur uix quinquaginta undeuiginti libros explesse?

pauca e Valerio. nam plerisque locis, quibus Antiatis facta est mentio, non uerborum sed rerum causa est inspectus et laudatus, fragmenta eius ipsis uerbis pertenuia nobis tradita sunt. quapropter in hac re nobis omni iudicio abstinendum est. Plura, quoniam largior suppetit materia, de eius fide et auctoritate adfirmari possunt.

Hanc uero omnibus temporibus minimi esse aestimatam quis est qui ignoret? inprimis enim numeros incredibili modo auxit, ut fabulas romanenses, quas nos dicimus, non historias ab eo scriptas esse existimes. paucos numeros exempli causa proponam. iam anno enim 464. 290, si Antiati credis, ex Romanis 5200, ex hostibus 6630 occisi sunt (fr. 19), a. 212. 542 in Hispania a Romanis, qui Scipionum cladibus adtriti erant, 17,000 hostium occisa (fr. 23), a. 203. 551 in pugna, cuius est obscura fama, 5000 Carthaginiensium (fr. 29), anno insequenti in Africa, antequam ad Zamam decertaretur, 12,000 caesa (30), ad Cynoscephalas (32), ad Comum (34), ad Emporias (36), ad Thermopylas (39) quadragena hostium milia trucidata sunt. idem quot homines, quot signa militaria, si cum Gallis pugnatum est, quot carpenta, adcurate definiuit, neque milia adtulisse contentus fuit sed usque ad numeros denarios exacta eius scientia descendit, idque uel antiquissimis temporibus, nam iam a. 464. 290 6630 Aequos caesos esse tradidit (fr. 19). ut uero ad uirtutis Romanae admirationem mouendam hostium, qui occisi essent, numeros inmodice auxit, ita etiam, si quid Romanis minus prospere cessisset, ut legentium animos terrore perculeret, Romanorum cladem multo atrociorem finxit, uelut ad Arausionem octoginta milia Romanorum sociorumque, quadraginta milia calonum atque lixarum a Cimbris interfecta esse scripsit, ut ex omni exercitu decem tantum modo homines, qui miserum nuntium ad augendas miserías reportarent, superessent (fr. 63).

His igitur tot tamque inmensis numeris, quibus multos alios addere possum, perlustratis uix quisquam, opinor, adsentietur Liebaldtio, interdum ab Antiate numeros nimios exhibitos esse neganti atque etiam librariorum neglegentiam incusanti, qua deceptus sit Liuius (p. 18). sed accedunt aliae res, quibus Antiatis fides imminuatur. mythico enim colore, quem Pisonis ieiunitas iam abstergere conata erat, res Romanas etiam magis obscurasse uidetur nouasque fabulas ad res, quas simpliciter indicatas acce-

perat, exornandas et amplificandas, ipse excogitasse, ut illam maxime anilem, qua Numa Egeriae monitu Picum et Faunum multo uino inebriatos sibi edicere coegit, quibus sacrificiis Iuppiter ad terras elici posset, tum Iouem ipsum euocatum astutia sua ita circumuenit, ut in fulguritorum procuratione capitum humanorum loco, quae primo ille postularat, maena, capillo, caepitio contentus esset (fr. 6 uid. fr. 12. 23. c. adnot.).[1] Deinde idem Antias res quasdam, quae adcurate descriptae ei traditae erant, ut melius consilio suo conuenirent, etiam inmutare ausus est, id quod de Scipionum potissimum iudicio (fr. 45) ostendit Mommsen (Herm. I p. 206). id enim totum transformauit, ut maior Scipionum et admiratio et miseratio concitaretur. similiter uirtutis Fabricii laudem, qua consilium a Timochare sibi oblatum Pyrrhum ueneno necandi aspernatus est, ad totum senatum rettulit et cumulauit ea fictione, ut a senatu, cum regem de insidiis contra uitam eius structis certiorem facere et cauere iuberet, Timocharis nomen suppressum esse scriberet (Mommsen l. s. s. p. 210). aliaque similis studii exempla multis libri sui locis Nissen adnotauit.

Denique posthabita ueritate Valerius nimis gentis suae gloriae indulsit, cum aut res a Valeriis gestas ementitus in narrationis tenorem intruderet aut alienas laudes detractas Valeriis adderet. sed de hac re postea uberius agendum erit. nunc id unum restat, ut uideamus, num haec omnia Valerii Antiatis fictioni tribuamus, an res iam ab aliis traditas temere eum propagasse censeamus. atque illud quidem Liebaldtio, Valerii patrono, concedendum est, studium numeros augendi illa aetate etiam in aliis scriptoribus fuisse[2]), duobusque locis numeros Valerianos etiam cedere Claudio Quadrigario (cf. supra p. CCLXXXXII), uno et Claudio, Acilii interpreti, et Pisoni (fr. 23): at, ni horum commentorum palma ad eum deferenda esset, num futurum fuisse putas, ut Antiatem potissimum propter haec mendacia Liuius tanta acerbitate exagitaret? similiter res se habet de laudibus, quibus apud eum falso Valeria gens exornata inuenitur. nam etiam hae forsitan magnam partem ad Valeriae gentis commen-

---

[1]) Quae a Liebaldtio p. 8 sq. contra hanc rem disputata sunt, in libro, qui de origine gentis Romanae fictus est, nituntur.

[2]) Nitzsch, ap. *Sybel histor. Zeitschr.* XI p. 20.

tarios domesticos referendae sint. quamquam illud haud abnuerim, quaedam ex illis ab ipso Antiate efficta et addita esse. Denique hoc et a Gellio et a Liuio conpluribus locis diserte conmemoratur, de quibusdam rebus aliter Antiatem rettulisse atque ceteros omnes scriptores. cf. ap. Gell. fr. 25 *His ego uersibus credo adductum Valerium Antiatem aduersus ceteros omnis scriptores de Scipionis moribus sensisse.* ap. Liu. fr. 31 *Valerius Antias intrasse saltum Villium tradit. — ceteri Graeci Romanique auctores, quorum quidem ego legi annales, nihil memorabile a Villio actum — tradunt.* ap. Liu. fr. 42 *Rumoris huius quia neminem alium auctorem habeo* (quam Antiatem), *neque adfirmata res mea opinione sit nec pro uana praetermissa.* ap. Gell. adn. ad fr. 45[s] *Valerius autem Antias contra hanc decretorum memoriam contraque auctoritates ueterum annalium — dixit.* Quae cum ita sint, etsi conplures fontes eum adhibuisse indicia habemus in fr. 12, ubi quod et Plutarchus et Dionysius de Ocresia duplicem famam exhibet, ad Antiatis auctoritatem referendum est, etsi id ei cum Liuio crimini non uertam, quod nec magistratuum libros (uid. adn. ad fr. 45[c]) nec Catonis orationem quandam legerit (fr. 48), tamen Antiatis fides merito tam suspecta est, ut historicis, ubicunque eius uestigia inueniunt, summa cum prudentia et cautione utendum sit.

Sua autem aetate multos esse nanctus uidetur, qui eum legerent et admirarentur. nec id mirum. delectabantur enim tum Romani talibus fabulis et narratiunculis, quae animos uariis motibus perfunderent sensusque quasi titillarent, et qui Sisennae Milesias lectitarent, etiam hosce annales cupidissime adripuisse probabile est. Cicero tamen nusquam Antiatis mentionem iniecit, primus, quod sciamus, eum conmemorauit Varro, si quidem aliquot locis (Censor. fr. 10. 18. Ascon. fr. 17) ita cum Antiate coniunctus profertur, ut Antiatis auctoritas ex Varrone translata esse uideatur.[1]) Tum uero a Dionysio (I 7) cum Catone, Fabio Maximo, Licinio Macro, Aeliis, Gelliis, Calpurniis in nobilibus (ἐπαινουμένοις) rerum Romanarum scriptoribus ponitur eaque aetate ceteris eiusdem generis scriptoribus remotis tantam auctoritatem uidetur consecutus esse, ut Liuius, cum eius mendacia

[1]) Atticus de Hannibalis morte cum Antiate consentiens forsitan Polybium potius quam Antiatem adhibuerit. adn. ad fr. 49.

perspexisset[1]) ciuesque ueriore rerum a maioribus gestarum cognitione instruere cuperet, huius potissimum conmenta ueritati obstare arbitratus saepissime inpugnaret erroris que conuinceret aut eius testimonia cum dubitatione quadam proferret. noli enim existimare, Liuium aemulatione et inuidia ductum tam grauiter in eum inuectum esse, quae multorum fuit opinio (ut Krausii, Liebaldtii, Kiesslingii de D. f. p. 20), immo ueritatis potissimum studio animus eius sincerus et simplex in Antiatis mendacia exacerbatus erat (Nissen *Untersuch.* p. 46). Nihilo tamen minus quamuis multis locis eius fidem insectaretur, in conpluribus libris Antiatis annales ante oculos habuit eiusque narrationem in librum suum transtulit. etenim etiam Liuio accidit, ut in antiquitatis Romanae memoria rerum, quas enarraret, inopia premeretur, quam ob rem, quamquam in uniuersum uetustiores auctores sequebatur, tamen haud raro coactus est inuito animo ex fontibus recentioribus minusque limpidis haurire, ut quas apud auctores suos primarios lacunas inuenerat, inde expleret (Nissen l. s.). urbis uero originem regumque res, si nos audis (p. LXXII), iam Fabius aliique illius aetatis scriptores pluribus enarrauerant neque opus erat Liuio in primo libro conscribendo recentiores auctores quaerere. etiam in secundo libro antiquiores auctores praetulisse uidetur, quo factum est, ut multa, quae prolixe Dionysius et Plutarchus, Liuius paucis uerbis conmemoraret, maximeque quas res Antias Valeriorum laudibus aut auctis aut fictis conmutauit (uid. infra p. CCCXVIIII sq.), simpliciter magisque ad uerum exponeret[2]) et saepe Valeriorum etiam nomen supprimeret. Tum uero in tertio libro cap. 5 (fr. 19) primum

[1]) Raro occasionem Liuius praetermisit, quin aliquot saltem uerbis mentiendi inpudenter crimen in Antiatem coniceret. cf. fr. 9. 19. 29. 32. 44. 47. 51.

[2]) Schwegler II p. 126 not. uestigium quoddam narrationis Valerianae iam in secundo libro indagauit, ubi breuiter (c. 18, 6) is reicitur, qui pro T. Larcio M.' Valerium, Marci filium, Volesi nepotem, qui nondum consul fuisset, primum dictatorem fuisse prodiderit. quocum auctore consentiunt Festus p. 98 et elogium XXIII p. 281 Momms. (cf. Mommsen a. h. l.). a Schwegleri sententia exorsus Nitzsch mus. Rh. n. XXIIII p. 147. 153 sqq. 173 sqq. libri secundi cap. 22—29 et c. 51 — III 4 ex ipso Valerio, c. 29—32 (p. 155) per Licinium Macrum ex eo fluxisse censuit. uid. adn. seq.

eum nomine laudauit multumque in ceteris primae decadis libris uidetur adhibuisse, in primis in libro tertio, ubi hic auctor solus citatus est, plurimaque in priore potissimum parte usus Valeriani uestigia nobis occurrunt (Schwegler II p. 717).[1] quid? quod ita eius auctoritatem in hac historiarum suarum parte amplexus est, ut etiam Dionysium haud raro superaret numerorum magnitudine narrationisque prolixitate. ut aliquot exempla proferamus, ipse Liuius c. 8, 10 eum significauit: *Ibi* (a Lucretio consule a. 462. 292) *Volscum nomen prope deletum est. tredecim milia quadringentos septuaginta cecidisse in acie ac fuga, mille septingentos quinquaginta uiuos captos, signa*[2] *uiginti septem militaria relata in quibusdam annalibus inuenio. ubi etsi adiectum aliquid numero sit, magna certe clades fuit.* tum ingentes et adcurati numeri capitum, quae Romae iam antiquis temporibus censa sint, quae omnem fidem excedunt, Antiatem sapiunt: c. 3, 9 *Census deinde* (*a.* 465. 289) *actus et conditum ab Quinctio lustrum. censa ciuium capita* $\overline{\textit{CIIII}}$ *DCCXIIII dicuntur praeter orbos orbasque.* c. 24, 10 *Census, res priore anno inchoata, perficitur* (459. 295), *idque lustrum ab origine urbis decimum conditum ferunt. censa ciuium capita centum septemdecim milia trecenta undeuiginti.* (cf. Schwegler II p. 689 sq.)

---

[1]) Hoc iam perspexit Niebuhr praelect. I p. 32. tum de libris II et III adcuratissime egit K. W. Nitzsch *Quellenanalyse von Livius* II 1 — IIII 8 *u. Dionysius Halikarnassensis* V 1 — XI 63 in mus. Rhen. n. XXIII (1868) p. 600—631. XXIIII p. 145 sqq. XXV p. 75 sqq. cui tamen non adsentior, quod quas saepe habemus apud Liuium Dionysiumque narrationes ex duobus auctoribus contaminatas, eas a Licinio Macro secundum Valerium Antiatem, primarium auctorem, et alium auctorem nobis ignotum conpositas esse et solo Licinio Liuium Dionysiumque usos esse uideri statuit. nam cur Liuium id fecisse negemus, quod Licinius Macer fecisse creditur, ut etiam minora quaedam frustula ex diuersis auctoribus decerpta contaminaret, praesertim cum Liuium initio operis etiam aliis locis in fontibus adhibendis maiore diligentia usum esse uiderimus (cf. supra p. LXXXXII)? tum, quoniam Licinius et Valerius Antias eisdem fere temporibus scripsisse uidentur, parum ueri simile est, Valerium Licinio primarium auctorem fuisse. itaque equidem, quibuscunque locis Licinium Valerii auctoritate niti inuenimus, Antiatis narrationem non per Licinium Macrum in Liuii libros fluxisse arbitror sed ipsum Valerium Liuio in manibus fuisse.

[2]) Etiam aliis locis Valerius signorum militarium potissimum numerum addere solet.

denique a. 455. 299 cum in Algido cum Aequis pugnatum esset, 'supra septem milia hostium caesa sunt, alii fugati, praeda parta ingens' (c. 31, 4).

Iterum laudatur Antias in libro quarto (fr. 20), postea uero in prima decade nusquam. neque tamen Antiatem Liuius totum abiecisse uidetur. nam quae M. Valerium Maximum dictatorem a. 302. 452 magnifice in Etruria gerentem facit X 3—5, de his, cum fine narrationis suae subderet: *Habeo auctores sine ullo memorabili proelio pacatam ab dictatore Etruriam esse seditionibus tantum Arretinorum conpositis et Cilnio genere cum plebe in gratiam reducto*, ipse haec originem ducere ex auctore aliquo, qui Valeriae genti faueret, significauit.[1]) primarium tamen ducem, cum librum quintum scriberet, Liuius elegit Claudium Quadrigarium, quam ob rem, quoniam haud minus inmodicus ille fuit in numeris augendis quam Antias, dubium est, ad utrum Liuii uerba (X 30, 4) sint referenda: *Magna eius diei, quo in Sentinati agro bellatum, fama est etiam uero stanti, sed superiecere quidam augendo fidem, qui in hostium exercitu peditum deciens centena milia*[2]), *equitum sex et quadraginta milia, mille carpentorum scripsere fuisse, scilicet cum Vmbris Tuscisque, quos et ipsos pugnae adfuisse.*[3]) nec minus inter utrumque ambigendum est de aliis numeris, uelut lib. VII 36, 13, ubi P. Decius (a. 343. 411) postquam Samnites fugauit, castris expugnatis triginta hostium milia cecidit, c. 37, 16, ubi M. Valerius consul eodem anno ad Suessulam quadraginta milia scutorum et signa militaria ad centum septuaginta cepit, VIIII 19, 2, ubi Alexandri Magni copias Romanis conparans quasi per transitum a. fere 319. 435 ducenta quinquaginta milia capitum censa esse scripsit, X 47, 2, ubi lustra, postquam a libro tertio in narrationis ordine praetermisit, denuo commemorauit: *Lustrum conditum eo anno* (293. 461) *est a P. Cornelio Aruina C. Marcio Rutilo censoribus. censa capitum milia CCLXII. CCCXXI. censores uicesimi sexti a primis censoribus, lustrum undeuicesimum fuit.*

In tertia decade Liuius Antiatem saepius citauit, septem locis

---

[1]) Cf. Ihne hist. Rom. I p. 387 sq.

[2]) De codd. scriptura uid. Weissenborn. in ed. Weidm. a. h. l.

[3]) In ipsa tamen narratione hunc auctorem non est secutus, nam cap. 27, 10 eos expertes fuisse pugnae scripserat.

librorum XXV (fr. 23), XXVI (24), XXVIII (26), XXVIIII (27), XXX (28. 29. 30); haec causa fuit Nitzschio (mus. Rhen. n. XXIII p. 604 sqq.), ut in altera eius decadis parte Coelium propter poeticos quos adhibuisset fontes a Liuio sepositum Antiati cessisse existimaret. quin etiam hanc suspicionem idem proposuit (p. 605), quae ex Polybio apud Liuium originem ducere uiderentur, de rebus potissimum, quae in Africa gestae essent, non ex ipso Polybio petita esse sed per Valerium Antiatem in Liuii libros transiisse. sed haec omnino nullis nituntur fundamentis. nimirum uir ille doctissimus eorum sententia animo praeoccupatus, qui in his libris Polybium Liuio in fontibus fuisse negant, cum quaedam ita apud Liuium conparata esse intellegeret, ut non possent non fluxisse ex Polybio, recto itinere spreto ad has ambages confugit, in quas ut secutus aberrarem mihi quidem non persuasit. ego quidem in ea sententia perseuero, ut, in quibus rebus Polybius et Liuius consentiant, eas a Liuio ex ipso Polybio uersa esse dicam. itaque nec Coelius nec Valerius dux primarius Liuio in hac decade fuit — nam hunc locum obtinet Polybius —, sed ut in quarta decade Claudius Quadrigarius et Valerius, ita in hac Coelius et Valerius in subsidium tantum uocati sunt. nec illud probo, in altera huius decadis parte Coelium, cum poetas plus quam historico conduceret, in scribendo consuleret (p. 608 cf. supra p. CCXXIII), a Liuio prae Valerio abiectum esse. nam nec hoc ullis argumentis Nitzsch probauit, a Coelio procedente opere poetas adhiberi coeptos esse, quod tamquam pro uero adfirmauit, et in eis ipsis libris, de quibus sermo est (XXV—XXX), Valerius septies, Coelius sexies citatus est, ut ab hac quidem parte uterque eodem iure horum librorum auctoritatem sibi uindicare possit. itaque quamquam ex Valerio esse sumpti uidentur qui numeri ingentes exhibentur a Liuio XXX c. 6, 8 et c. 36, 8[1]), tamen eius ipsius rei, quam ex horum annorum spatio a Valerio narratam esse aliunde co-

---

[1]) Numeri Romanorum Poenorumque ad Zamam caesorum a Liuio (XXX 35, 3) adlati sunt Polybii (XV 15, 9). Nitzsch p. 605 praeterea hos locos adnotauit, qui, cum caesorum numeris quot signa militaria capta essent, additum esset, ad Valerii auctoritatem redirent: XXIII 35, 19. 37, 11. 40, 11. XXVI 6, 8. XXVII 12, 12. 42, 7. numeri tamen ipsi satis modici sunt.

gnitum habemus (fr. 25), Liuius non modo mentionem non fecit sed etiam prorsus contraria (XXVI 50) exposuit, idque posteaquam eum cap. 49 nominatim citauit. unde Liuium Valerio non perpetuo usum esse facile adparet.

De ceteris libris res paucis transigi potest, quoniam iam supra in uniuersum nos cum Nissenio facere confessi eas partes conmemorauimus, quas aut ex Claudio aut ex Valerio sumptas Liuius Polybio inseruisset (uid. p. CCLXXXXIII sq. c. not.). nec tamen solis eis libris qui aetatem tulerunt, Valerii usus continebatur. etenim in libro XXXXVIIII cum de ludis saecularibus ageret, Valerii auctoritatem eum secutum esse adnotauimus ad fr. 22, tum in libris LVI et LXVI eam etiam citatam esse discimus ex Orosio (fr. 56. 63), qui sua debet Liuio. itaque per sex decades (I. III. IIII. V. VI. VII.) apud Liuium Valerii indicia habemus, id quod de nullo alio Liuii auctore dici potest.

Pergimus ad Dionysium Halicarnasensem, Liuii aequalem, qui Valerium Antiatem in nobilissimorum historicorum Romanorum numero recenset (I 7), uno loco libri alterius nominatim laudauit (fr. 2), multis tacite exscripsisse uidetur. plurima enim apud eum Antiatis uestigia sagaciter inuestigauit et indicauit Kiessling (de Dion. font. p. 20—29). atque primum quidem quae de miraculo, quo futura Seruii Tulli dignitas portenta est, secundum Antiatem narrauit Plutarchus, eadem redeunt apud Dionysium (in lib. IIII. fr. 12 c. adn.), et quae de Valerii Maximi honoribus Asconius, apud eundem in libro V (fr. 17 c. adn.). tum in libro primo Dionysius eam de Celere famam profert, quam Valerii fuisse ipse postea addidit (fr. 2 c. adn.). deinde Poplicolae uitam a Plutarcho conscriptam cum totam a Valerio pendere uideri infra ostendemus, tum ex eis duabus narrationibus, quae de Numae cum dis conmercio insertae sunt, priorem ex eo desumptam esse fragmento quodam (fr. 6), quod seruauit Arnobius, conparato uidemus. nemo igitur, quin utraque narratio ad auctoritatem Antiatis referenda sit, dubitabit, et, cum prior eodem modo apud Dionysium exposita exstaret, etiam hanc ab eo ex illo depromptam esse Kiessling p. 21 suspicatus est. sed utriusque uerba hic adponam — nam infra in fragmenta recipere consilio huius operis prohibemur —, ut quam similia sint clare adpareat:

Plutarchus:	Dionysius:
λέγεται γοῦν ποτε καλέσας ἐπὶ τὴν τράπεζαν οὐκ ὀλίγους τῶν πολιτῶν σκεύη τε φαῦλα καὶ δεῖπνον εὐτελὲς πάνυ προθέσθαι καὶ δημοτικόν. ἀρξαμένων δὲ δειπνεῖν ἐμβαλὼν λόγον, ὡς ἡ θεὸς, ᾗ σύνεστιν, ἥκοι πρὸς αὐτὸν, αἰφνίδιον ἐπιδεῖξαι τόν τε οἶκον ἐκπωμάτων πλήρη πολυτελῶν καὶ τὰς τραπέζας ὄψων τε παντοδαπῶν καὶ παρασκευῆς δαψιλοῦς γεμούσας.	καλέσαντα Ῥωμαίων πολλοὺς καὶ ἀγαθοὺς εἰς τὴν οἰκίαν, ἐν ᾗ διαιτώμενος ἐτύγχανεν, ἔπειτα δείξαντα τοῖς ἐλθοῦσι τὰ ἔνδον τῇ τε ἄλλῃ κατασκευῇ φαύλως κεχορηγημένα καὶ δὴ καὶ τῶν εἰς ἑστίασιν ὀχλικὴν ἐπιτηδείων ἄπορα, τότε μὲν ἀπαλλάττεσθαι κελεύειν, εἰς ἑσπέραν δὲ καλεῖν αὐτοὺς ἐπὶ τὸ δεῖπνον· παραγενομένοις δὲ κατὰ τὴν ἀποδειχθεῖσαν ὥραν ἐπιδεῖξαι στρωμνάς τε πολυτελεῖς καὶ τραπέζας ἐκπωμάτων γεμούσας πολλῶν καὶ καλῶν, ἑστίασίν τε αὐτοῖς παραθεῖναι κατακλιθεῖσιν ἁπάσης ἐδωδῆς, ἣν οὐδ' ἂν ἐκ πολλοῦ πάνυ χρόνου παρασκευάσασθαι — ῥᾴδιον ἦν.

Maxime uero quae Valerii cum Sabinis gesserunt bella, quam quasi prouinciam illa gens sibi depoposcisse uidetur, copiose et prolixe cum effusa Valeriorum laude pertexuit Dionysius (V 37. 39 a. 505. 249. V 40. 43 a. 504. 250. VI 41. 43 a. 494. 260. VIIII 34. 35 a. 475. 279), cum Liuius ea aut perpaucis uerbis aut omnino non conmemoraret (II 16, 1; 6. 31, 3), in priore alterius libri parte antiquiores auctores secutus. qua de causa haud iniuria illarum rerum enarrationem Dionysianam ad Antiatis auctoritatem rettulit Schwegler II p. 733 sq. accedit quod quem inmodicum Sabinorum in altero bello occisorum numerum (13,500 c. 42) Dionysius indicauit, eundem etiam apud Plutarchum habes (c. 20), quamquam hic per errorem primo bello tot hostes caesos esse scripsit. etiam iuuenum, qui Romae censi sint, ingentes numeri apud Dionysium inueniuntur V 20 (a. 246. 508 εὑρέθη τῶν ἐν ἥβῃ Ῥωμαίων περὶ τρισκαίδεκα μυριάδας, quocum numero consentit Plutarch. Popl. 12), 75 (a. 256. 498: 150,700), VI 96 (a. 261. 493: 111,000, qui numerus multo minor confirmatur VIIII 25), VIIII 36 (a. 280. 474: 133,000, sic enim ex cod. Vrb. scribendum est. cf. Schwegler II p. 689 sq.), aliique numeri Romanorum hostiumque, qui inter se conflixerint

(II 37. VI 5) et qui occisi captique sint (V 49. VI 12. 17) maiores, quam quibus fides haberi possit (Kiessling p. 23). Denique, ut alia quae argumentis minus certis Kiessling stabiliuit — hoc enim tantum modo eis probatur recentioribus fontibus quam Liuium usum esse Dionysium — praeteream, Dionysius iam quinque annis ante plebis secessionem M. Valerium, Poplicolae filium, in senatu ad plebis miseriam leuandam prodeuntem fecit (Dion. V 63 sqq. Nitzsch l. s. p. 529), eidemque secessione facta iuxta Menenium partes aliquas in reducenda a monte sacro plebe (VI 71. 88) et, cum rediisset, in reconcilianda concordia patrum et plebis tribuit (VI 81. Schwegler II p. 246 sqq.).[1]) tum etiam in Coriolani historiam Valeriam intrusit (VIII 39)[2]), ut partem gloriae urbis Romae ex hostium manibus ereptae ad suam gentem traheret, cuius studii postea etiam plura exempla inueniemus.

Sed exoritur quaestio, utrum ipsum Antiatem Dionysius ante oculos habuerit an alium scriptorem qui iam Valerium descripserit. etsi enim quibusdam locis Antiatem in eius libris agnoscere nobis uidemur, tamen in talibus quoque narrationibus nobis occurrunt, quae cum Valerio minus concinant, maxime Poplicolae res multo magis ab Antiate auctas et exornatas esse ex Plutarcho discimus quam a Dionysio factum est, quamuis etiam hic non sit parcus in eius laudibus (Nitzsch p. 618 sqq.). iam, si de Plutarcho quidem sermo esset, sine dubitatione ab eo scriptore, quem hic secutus est, Valerium cum iudicio quodam exscriptum et cum alio auctore contaminatum esse diceremus, de Dionysio uero, quia deest nobis certum adminiculum, quo nixi qua ratione fontibus suis usus sit statuamus, admodum difficile est certum iudicium proferre. uerum tamen cum nusquam apud Dionysium recentioris alicuius auctoris, a quo Antiatem exscriptum esse probabile sit, uestigia exstent, si quisquam duorum auctorum narrationes inter se confudit et copulauit, nonne ueri est similius, Dionysium hac diligentia et hoc iudicio usum id fecisse, quam

---

[1]) Etiam magis auget eius merita elogium XXIII p. 284 Momms.: *Plebem de sacro monte deduxit, gratiam cum patribus reconciliauit, faenore graui populum senatus hoc eius rei auctore liberauit.*

[2]) Huius enim consilio mulieres ad Coriolanum migrasse refert. Liuius hic Valerium non inspexit, cum scriberet II 40, 1 *Tum matronae ad Veturiam, matrem Coriolani, Volumniamque uxorem frequentes coeunt. id publicum consilium an muliebris timor fuerit, parum inuenio* et q. s.

alium scriptorem Romanum, qui ante eum fuerit? quam ob rem magis inclino ad Kiesslingii sententiam, qui ipsum Valerium a Dionysio in usum uocatum esse censet quam ad Nitzschium, qui de V 1—VIIII 71 alteram sententiam proposuit, librum tamen decimum secundum ipsum Antiatem pertextum esse concessit (p. 630).

Praeterea ex Liuii Dionysiique aequalibus Antiate usus est, cum fastos conponeret, Ouidius. uid. adnot. ad fr. 6 et Merkel prolegg. ad fast. p. LXXXIII sq., qui tamen quod quae Ouidius IIII 255—348 et Arnobius V c. 46 inter se consentientes de magna matre e Phrygia arcessita tradunt, cum ab utroque Antiatem lectitatum esse constaret, ex eo fluxisse conclusit, liberius ingenio suo indulsit.

Insequenti aetate Valerius Maximus solus de Pyrrhi proditione cum Valerio Antiate congruit (fr. 21 c. adn.), ut gentilem ab eo conpilatum esse existimes. idem uero, cum Antiatem transscribere posset, Liuium praetulit, uid. adn. ad fr. 23. 45[d. n. x], atque hoc tantum gentilitati tribuit, ut II 9, 3 de Lucii Flaminini flagitio, de quo duplicem famam Liuius protulerat, Antiatem praeferret (fr. 48 c. adn.). itaque etiam eo, quem primum posuimus, loco Liuii libros non Antiatis inspectos esse probabilius est. sed Claudium Quadrigarium periocha teste Liuium secutum esse dices (cf. adn. ad Claud. fr. 40). recte id quidem. at quid obstat, quominus etiam hic utriusque famam a Liuio una insertam et a Maximo Valerianam electam esse arbitremur? mihi quidem propius ad ueritatem id accedere uidetur, quam unam narratiunculam a Maximo ex ipso Antiate, ceteras, quas item posset, ex Liuio translatas esse.

Tum Asconius Pedianus duobus locis (fr. 17. 37) Antiatem citauit, Plinius maior in naturali historia quinque (fr. 8. 11. 15. 64. adn. ad fr. 23). praeterea indicibus testibus in hisce libris eius uerba latent: XII, XXI uel XXII (unum enim indicem habent), XXVIII, XXVIIII, XXXIII. uno tamen loco indicis auxilio contigit Kiesslingio, ut ipsa Antiatis uerba enuclearet, quae postea adscribam. in libro XXXIII haec Antiatis esse suspicarer: *Ergo ut maxume ∞ ∞ tantum pondo, cum capta est Roma, anno CCCLXIIII fuere, cum iam capitum liberorum censa essent CLII milia DLXXIII* (cf. supra p. CCCXI), ni iam

exstarent in § 16, indice autem Antiatis testimonium inter §§ 38—51 latere significaretur. denique haec, quae ad Annii Fetialis, qui item in indicibus libr. XVI. XXXIII. XXXVI conmemoratur, ceterum ignotus est, auctoritatem rettulit in libro XXXIIII 29, libenter ex Antiate sumpta esse existimem: *Annius Fetialis equestrem, quae fuerit contra Iouis Statoris aedem in uestibulo Superbi domus, Valeriae fuisse Publicolae consulis filiae, eamque solam refugisse Tiberimque transnatauisse ceteris obsidibus qui Porsinae mittebantur Tarquini insidiis.* nam eadem Plutarchus quoque Cloeliae laude inminuta tradidit (Poplic. 19). itaque aut per Annium Fetialem haec ex Antiate in Plinii libros manasse arbitror aut errorem uel Plinii uel librariorum subesse, quae opinio ea re confirmari uidetur, quod Annii Fetialis nomen in huius libri indice non exstat, Antias autem (ut hic Annius) et in indice et ante in § 15 a Plinio cum L. Pisone coniunctus adlatus est.

Sequitur Plutarchus, qui Antiatem sibi non ignotum fuisse ipse testatur (fr. 3. 7. 12. adn. ad fr. 48). sed non solum eas res, quibus eius auctoritatem adscripsit, ex eo sumpsit, sed etiam totam Poplicolae uitam perpaucis rebus ex aliis auctoribus inspersis secundum Antiatem persecutus est, id quod post Kiesslingium p. 21 sq. nos pluribus exposuimus nouisque argumentis stabiliuimus *de font. Plut.* p. 45—51. primum enim quo honore Valerium post Sabinos deuictos adfectum esse Antias tradiderat, eundem inuenimus apud Plutarchum (cf. fr. 17 c. adn. et *de font. Plut.* p. 46); tum haec Plinii uerba ad Antiatem redire Kiessling indicis ope conclusit XXVIII 16: *Iterum id accidisse tradunt, cum in fastigium eiusdem delubri praeparatae quadrigae fictiles in fornace creuissent, iterum simili modo retentum augurium,* eademque narrasse Plutarchum monuit (c. 13): *Τῶν δὲ Τυῤῥηνῶν διαπεπλασμένον τὸ τέθριππον ἐμβαλόντων εἰς κάμινον οὐκ ἔπαθεν, ἃ προσῆκε πάσχειν πηλὸν ἐν πυρὶ, πυκνοῦσθαι καὶ συνιζάνειν, ἐκτηκομένης τῆς ὑγρότητος· ἀλλ' ἐξέστη καὶ ᾤδησε καὶ μέγεθος ἔσχεν ἅμα ῥώμῃ καὶ σκληρότητι τοσοῦτον κ. τ. λ.* denique ex more illo quo Gellius eundem auctorem per conplura capita conpilare solebat, etiam ea, quae Antiatis fr. 1 in eodem capite antecedunt, ex eodem hausta esse ueri simile est, atque cum eadem fabula etiam a Plutarcho

exposita sit, et quae de Gellii et quae de Plutarchi fonte arbitrati sumus, denuo confirmantur. loci hice sunt:

Gell. VII 7

Accae Larentiae et Gaiae Taraciae siue illa Fufetia est, nomina in antiquis annalibus celebria sunt. Earum alterae post mortem, Taraciae autem uiuae amplissimi honores a populo Romano habiti. Et Taraciam quidem uirginem Vestae fuisse lex Horatia testis est, quae super ea ad populum lata. qua lege ei plurimi honores fiunt, inter quos ius quoque testimonii dicendi tribuitur, 'testabilis'que una omnium feminarum ut sit datur. — ius ei potestasque exaugurandi atque nubendi facta est munificentiae et beneficii gratia, quod campum Tiberinum siue Martium populo condonasset.

Plut. 8

Ἔνιοι δὲ τοῦτο συμπεσεῖν ἱστοροῦσιν οὐχ ὅτε Ταρκυνίου καθιερώθη τὸ πεδίον, ἀλλὰ χρόνοις ὕστερον ἄλλο χωρίον ὁμοροῦν ἐκείνῳ Ταῤῥακίας ἀνείσης. ἡ δὲ Ταῤῥακία παρθένος ἦν ἱέρεια μία τῶν ἑστιάδων, ἔσχε δὲ τιμὰς ἀντὶ τούτου μεγάλας, ἐν αἷς ἦν καὶ τὸ μαρτυρίαν αὐτῆς δέχεσθαι μόνης γυναικῶν. τὸ δ' ἐξεῖναι γαμεῖσθαι ψηφισαμένων οὐ προσεδέξατο.

Quae cum ita sint, nemini, opinor, dubium erit, quin ex Valerio profectum sit, quod ad Arsiam siluam 11,300 hostes, 11,299 Romani (c. 9), in pugna quadam, qua Poplicola Sabinos fudit, 13,000 Sabinorum occisi sunt, cum nemo Romanus desideraretur (c. 20). prorsus enim illius fictionem absurdam sapiunt.

Itaque cum per omnes uitae partes (c. 8. 13. 20) Antiatis uestigia cognouerimus, uita autem tota secundum unum auctorem pertexta esse uideatur, iure nostro quaecunque in ea legimus, nisi diserte Plutarchus ad alios auctores prouocat (c. 8. 9. 14. 17), Antiatis esse existimabimus.

Ex hoc autem libro, qua ratione Valerius gentis suae laudes auxerit atque ornauerit, perspicue intellegimus. omnes enim res, quae tum praeclare gestae sunt, ad Poplicolam eiusque gentem referuntur (uid. Schwegler II p. 8 sq.). ut exempla aliquot adferam, legatio Tarquiniorum, ut plebem commoueret et pelliceret, Romam missa, cuius nemo scriptor praeter Plutarchum mentionem fecit, cum consules non prohiberent, sola Poplicolae prudentia et constantia ad irritum redacta est (c. 2. Nitzsch

p. 618). deinde iterum legatis missis Vindicius seruus cum iuuenum coniuratorum sermones excepisset, rem non ad consules sed ad Valerium detulit, qui aduocato Marco fratre coniurationem patefecit (c. 4. 5).[1] iuuenibus sceleris conuictis Brutus consul de filiis supplicium sumpsit, tum uero Plutarchus eum, ut domus suae calamitate fractum, admodum inscite de foro remouet, ut Poplicolae partes quasdam tribuat. paene enim in eo fuisse scribit, ut Collatinus Aquillios, item coniurationis socios, sororis suae filios, ex poena eximeret, ni Poplicola restitisset et rem usque ad aduentum Bruti, qui continuo arcessitur, distulisset (c. 7).[2] etiam in Porsenae bello egregiam operam rei publicae nauat Poplicola, neque prius ad pontem sublicium Tusci penetrant, quam ille consul propugnans graui uulnere adflictus ex pugna asportatus est. (c. 16 = Dion. V 23). breui tamen post optima ualetudine usus excursione facta quinque hostium milia occidit (c. 17). pax solis Poplicolae consiliis et arte conciliatur, idque tam aequis condicionibus, ut non modo septem uicos, qui uocabantur, rex non postulet (Dion. V 31) sed etiam castra omnibus copiis referta Romanis relinquat (c. 18. 19). pace facta Appium Claudium Romam aduocat (c. 21)[3] et, posteaquam iterum res ad arma cum Sabinis uenit, bellum ita gerit, ut uictoriam omnes ad unum Poplicolam referant (ἑνὸς ἔργον ἡγοῦντο τοῦ στρατηγοῦ γεγονέναι c. 22. 23). Praeterea idem primus ex consulibus triumphauit et laudationum morem instituit (c. 9) idemque multas rogauit leges populares, quae ab aliis scriptoribus certioribus paene omnes ad alios auctores referuntur (Schwegler II p. 9. Nitzsch p. 622).

Sed etiam eorum quae ceteri Valerii de re publica bene

---

[1]) Dionysius V 7, qui Valerio item esse usus uidetur, haec eodem modo narrat, de fratre tamen tacet. apud Liuium (II 4) res ad consules delata est.

[2]) De hac Valerii opera nihil habet Dionysius. apud hunc enim Brutus ἀποκτείνας τοὺς υἱοὺς εὐθὺς ἐκάλει τοὺς ἀδελφιδοῦς τοῦ συνάρχοντος Ἀκυλλίους V 9. Liuius antiquiorem suum auctorem secutus simpliciter haec narrat.

[3]) ταῦτ᾽ οὖν ὁ Ποπλικόλας οὐ μόνον εἰδέναι ποιούμενος ἔργον ἀλλὰ καὶ κινεῖν καὶ συνεξορμᾶν τὴν στάσιν εἶχεν ἄνδρας ἐπιτηδείους, οἳ τῷ Κλαύσῳ διελέγοντο παρ᾽ αὐτοῦ τοιαῦτα κ. τ. λ. de his conloquiis tacet Dionysius.

meriti sint, Plutarchus non est inmemor. unus enim ex hac gente Romulum et Tatium reges inter se placauit amicosque reddidit (c. 1). Poplicolae gener, Postumius Balbus, cuius apud alios scriptores obscura est memoria, in bello illo Sabinorum soceri adiutor est magnamque habet in praeclara uictoria partem (c. 22), maxime uero Valeria, Poplicolae filia, cum inter obsides Porsenae tradita esset (hoc quidem etiam Dionysius V 32 rettulit) et in Tarquiniorum insidias incidisset, tanta uirtute usa est, ut per medios hostes feliciter euaderet et salua ad suos perueniret. quid? quod Valerius Antias ita rem exposuisse uidetur, ut, Valeriae laudis augendae gratia, Cloeliae facinus plane non conmemoraret et quam ceteri Cloeliae statuam esse dicebant, in Valeriae honorem positam esse fingeret. cf. supra p. CCCXVIII. certe Plutarchus aperte Cloeliae nomen ex alio auctore inseruit (c. 19. uid. *de Plut. font.* p. 49 sq.).

In ceteris uitis etsi hic illic quaedam ex Valerio Antiate inspersit (in uit. Rom. fr. 3. Num. fr. 7. cf. adnot. ad fr. 6. de fort. Rom. fr. 12), tamen primarium ducem, quod sciamus, eum nusquam secutus est. neque deest causa, cur in Valerii potissimum uita describenda eum elegerit. nimirum placebat Plutarcho copiosa illa Poplicolae laudatio et praedicatio, ut ipse hoc labore supersedere posset. sed lectio eius supra prima rei publicae liberae tempora non uidetur esse progressa, nam in uita Titi Flaminini (adn. ad fr. 48), ubi Valerium testem profert, non ipsum inspexit sed eius nomen ex Liuio transtulit (*de Plut. font.* p. 4).

Similiter A. Gellius Antiatis testimonia partim ex ipso partim ex aliis scriptoribus inseruisse uidetur. uel leuiter enim contemplanti eorum discrimen adparet, cum alia rerum causa librorum numeris omissis (fr. 1. 21. 25. adn. ad fr. 45 s), alia propter formam aliquam adcurate cum librorum numeris descripta sint (fr. 57. 59. 60. 62. 65). haec tamen diligentia non fuit Gellii, sed Valerii Probi, ex cuius libris[1]), quoniam unum exemplum (fr. 57) se sumpsisse ipse profitetur Gellius, etiam reliqua ad eum referre non dubitamus, praesertim cum duo (60. 62) in eadem exemplorum collectione (formarum *peposci*, *memordi*, si-

[1]) Ex quo libro Probi hausta essent, Gellius non adscripsit. uix tamen Berytius Antiatis commentarium conposuit.

milium) effuderit, in qua cetera, quae ipse ad Probum adfert, tertium (fr. 59) amicum aliquem proferentem fingat. cetera autem exempla, quae librorum numeris carent, certa causa non exstat cur ab alio auctore Gellio tradita esse dicamus, quamquam haud temere Mercklin (*Citiermethode d. G.* p. 645) fragm. 1 Gellium Masurii Sabini libris memorialium debere suspicatus est.

Restant scriptores aliquot, qui quin ipsum Antiatem non uiderint, nemo dubitabit, Censorinus, a quo cum multa tum etiam Antiatis testimonia (fr. 18 c. adn. 22. 55) ex Varrone translata esse ueri simile est, Charisius, qui duo exempla coniuncta (14. 58) s. u. nouissime protulit, Priscianus (fr. 16. 61), Arnobius (6. 13), Macrobius (4. 5), qui item bina. hic unum (fr. 4), ut ipse testatur, excerpsit ex Iulii Modesti, Hygini liberti, de feriis libro, ceteri quorum beneficiis sua acceperint, non liquet.[1])

De fragmentis, quae Antiati adsignauimus, uix lis oriatur. unum seclusimus Arnobii, qui de matris magnae sacris agens (V 7) haec scribit: *Virgo sponsa quae fuerat, quam Valerius pontifex Iam nomine fuisse conscribit, exanimati pectus lanis mollioribus uelat, dat lacrimas cum Agdesti interfecitque se ipsam.* nam qui hic adfertur Valerius pontifex, non fuit Antias, ut censet Hildebrand a. h. l., sed M. Valerius Messalla (cons. 53. 701), qui per annos quinquaginta et quinque augur fuit (Macrob. sat. I 9, 14) et de auspiciis librum conposuit, cuius relliquias habes apud Eggerum serm. lat. uet. rel. p. 46 sq.

---

[1]) Mommsen Herm. I p. 168 Aurelio Victori largum fontem Antiatem fuisse coniecit (uid. adn. ad 45^a. 48). ego tamen uehementer dubito, num ad illam aetatem eius annales seruati sint.

L. CORNELIVS SISENNA[1]

De uita L. Cornelii Sisennae[2]) certissimum habemus testimonium senatus consultum aeri incisum de Asclepiade, Polystrato, Menisco in amicorum formulam referendis, quod hodie in museo regio Neapolitano adseruatur.[3]) conscriptum erat et Latine et Graece sed uersionis Latinae prior pars tota deperiit, altera fere dimidia, Graeca perpaucis litteris deletis integra ad nos peruenit. huius igitur hoc est initium[4]):

Ἐπὶ ὑπάτων Κοΐντου Λυτατίου Κοΐντου υἱοῦ Κάτλου καὶ Μάρκου Αἰμι[λίου Κοΐντου] υἱοῦ Μάρκου, υἱωνοῦ Λεπίδου [Λιπέδου aes], *στρατηγοῦ δὲ κατὰ πόλιν καὶ ἐπὶ τῶν ξένων Λευκίου Κορνηλίο[υ . . . . υἱοῦ] Σισέννα, μηνὸς Μαΐου.*

ex quibus uerbis a. 78. 676 L. Cornelium Sisennam praetorem fuisse et iuris dictione et urbana et peregrina[5]) functum esse intellegimus.

---

[1]) *Sisenniana siue L. C. S. rerum Romanarum scriptoris uita et quae supersunt operum fragmenta scr. I. A. Wernicke.* Thorun. 1839. A. Riese, *über das Geschichtswerk des L. C. S.* in *Festschrift zur Begrüssung der* 24. *Versammlung deutscher Philologen . . . zu Heidelberg.* 1865.

[2]) *L. Cornelii S. historici Romani uitam conscripsit C. L. Roth.* Basil. 1834. is caute et diligenter rem transegit atque in plerisque me habuit adsentientem. Wernicke neglegentissime prouincia sua functus est neque Rothii conmentarium, cuius ne mentionem quidem fecit, exscribere erubuit. quare hunc fere totum neglexi.

[3]) Itaque iniuria quod apud Gruterum (inscr. p. 503 sq.) dubia Vrsini auctoritate uteretur, hunc titulum in suspicionem uocauit Maduig opusc. p. 100.

[4]) Mommsen C. I. L. I p. 111.

[5]) Falso de sola iuris dictione peregrina intellexerunt Vrsinus, Gruter, Popma. cf. Roth p. 17.

Hunc uero Sisennam eundem esse atque eum, qui scripsit historias, ex fragmento quodam orationis Ciceronis Cornelianae eisque quae addidit Asconius uidemus. tulerat enim C. Cornelius tribunus plebis a. 67. 687 legem, ut praetores ex edictis eius perpetuis ius dicerent (Ascon. argum. in Corn. p. 58 Bait.). quae lex quam apta esset, ita demonstrasse Ciceronem recte animaduertit Baiter (p. 73), ut aliquot praetores adferret, qui 'uarie ius dicere' soliti essent, idque eos facturos fuisse negaret, si iam tum lex illa Cornelia lata esset: *Non Cn. Dolabella,* Cicero inquit, *C. Volcatium, honestissimum uirum conmuni et quotidiano iure priuasset, non denique homo illorum et uita et prudentia longe dissimilis, sed tamen nimis in gratificando iure liber, L. Sisenna, honorum Cn. Cornelii possessionem ex edicto suo L. Scipioni, adulescenti summa nobilitate, eximia uirtute praedito, non dedisset.* Cum uero Dolabella qui priore loco conlocatus est, a. 81. 673 (Drumann II p. 563) praetor fuerit, lex illa data sit a. 67. 687, hoc temporis spatio hunc L. Sisennam, qui ultimus reprehensus est, praetura functum esse sequitur eundemque esse atque eum, cuius praeturae a. 78. 676 titulus ille mentionem facit. denique Asconius ad Ciceronis uerba adnotauit (p. 74): *hunc esse L. Sisennam, qui res Romanas scripsit,* ut hoc pro certo adfirmare liceat, L. Cornelium Sisennam historicum praetorem fuisse a. 78. 676. Etiam ex Varrone (ap. Gell. II 25, 9) et Quintiliano (inst. I 5, 13) conpertum habemus, eum in senatu sententiam dixisse.

Hinc igitur proficiscendum est. Atque primum eum natum esse ante a. 118. 636 ex eis, quae lege Villia annali constituta erant, adparet, neque tamen multo ante hunc terminum inde quod Cicero (Brut. 64, 228) eum interiectum fuisse dicit inter duas aetates Hortensii et Sulpicii. Hortensius uero natus est anno 114. 640, Sulpicius decem annis ante (Brut. 88, 301). itaque, quoniam Sisenna minor natu fuit quam Sulpicius, eum inter annos 124. 630 et 118. 636 natum esse certo statuemus. cum hoc uero tempore egregie conueniunt et amicorum, quorum familiaritate usus est, aetates — nam Atticus, qui in Ciceronis Bruto (75, 260) familiarem suum Sisennam dicit, natus est a. 109. 645, Lucullus et Hortensius, quibuscum conloquentem Sisennam facit Plutarchus (Lucull. c. 1), aliquot annis ante (cf. Roth p. 5 sq.) — et alius quidem locus Bruti (74, 259), ubi Cicero a

C. Aurelio Cotta nato a. 124. 630 ad Sisennam transit, inde ad C. Iulium Caesarem, natum a. 100. 654.

Itaque aliter interpretabimur uerba Velleii II 9, atque fere fieri solet. Postquam enim ille res deduxit usque ad Cimbros Teutonosque triumphumque, quem a. 108. 646 Minucius ex Scordiscis egit, breui eos Romanos recenset, qui 'eodem tractu temporum nituerunt' eloquentia et carminibus, et haec de Lucilio, qui claudit poetarum agmen, uerba facit: *Celebre et Lucili nomen fuit, qui sub P. Africano Numantino bello eques militauerat. quo quidem tempore iuuenes adhuc Iugurtha ac Marius sub eodem Africano militantes in isdem castris didicere, quae postea in contrariis facerent.* Deinde sic pergit: *Historiarum auctor iam tum Sisenna erat iuuenis; sed opus belli ciuilis Sullanique post aliquot annos ab eo seniore editum est.* haec uerba plerique ita intellexerunt, ut belli Numantini aetate Sisenna esset iuuenis, natus igitur esset anno fere 151. 603, quae fuit ratio Weicherti (*de L. Licinio Caluo* p. 99 sqq.).[1] id autem neque cum titulo illo conciliari potest, cum praetor septuaginta trium annorum euaderet, neque cum disertis Ciceronis testimoniis, de quibus modo locuti sumus, neque cum ipsis Velleii uerbis, qui 'opus belli ciuilis Sullanique post aliquot annos ab eo seniore' editum esse adiciat, annos autem fere quinquaginta, qui intercessere inter bella Numantinum et ciuile, *aliquot* dicere uix potuerit. Recte igitur Roth (p. 9) particulum *tum* non ad Lucilii aetatem referendam esse uidit sed ad Minucii triumphum, unde declinauit oratio ad hanc disputationem. primum enim Velleius oratores enumerauit, qui 'e o d e m t r a c t u t e m p o r u m' insignes fuissent, deinde quae 'clara fuissent p e r i d e m a e u i s p a t i u m ingenia poetarum'. tum eum pergentem ad historicos exorsum esse ab eodem temporis spatio, a quo in ceteris, et per se est ueri simile et argumentis supra adlatis conuincitur. accedit alia res. Velleius enim postea quam Coelium Sisenna uetustiorem fuisse scripsit, aequales autem Sisennae Rutilium Claudiumque Quadrigarium et Valerium Antiatem, hisce uerbis huic digressioni finem inponit: *Sane non ignoremus eadem aetate fuisse*

---

[1]) Quam falso Weichert uerba Ciceronis Bruti ut cum hac ratione conciliaret, interpretatus sit, demonstrauit Maduig opusc. p. 100. Miror quod Weichertum secutus est Liebaldt de Lic. Macr. p. 5.

Pomponium. in quibus qui Sisennam bello Numantino iuuenem fuisse a Velleio dictum uolunt, facere non poterunt, quin hunc Pomponium eadem aetate fuisse statuant, pugnabuntque cum Eusebio, qui a. 90. 664 Pomponium clarum habitum esse prodidit. at uero si Rothii sententiae adsensi erimus, omnis controuersia tolletur.[1])

Quibus gradibus ad praeturam escenderit, nescimus. ueri simile tamen est quaestura eum antea functum esse. nam creatus est praetor Sulla uiuo, qui duobus annis ante legem de magistratibus dederat, ne quis praetor fieret, nisi antea quaestor fuisset (App. b. c. I 100), sed certi nihil de hoc magistratu proponere possumus.[2]) Idem cadit in aedilitatem curulem. post Ernestium enim (ad Cic. Verr. IIII 15, 33) Zumpt (ex eo Krause p. 300) inde quod ludis circensibus anni 70. 684 apud L. Sisennam 'uirum primarium' triclinia strata argentumque exposita esse Cicero in Verrinis (l. s.) commemorauit, cum aedilitatis curulis esset ludos facere, huic anno Sisennae aedilitatem tribuit. at et Ciceronem uel illo loco uel alibi in Verrinis, ubi de Sisenna loquitur, aedilitatis eius, si eo anno obtinuisset, mentionem additurum fuisse recte Roth p. 13 contra dixit, et uix Sisenna, homo primarius, octauo anno post praeturam, cum consul esse posset, aedilitatem petiit.

Post praeturam cum imperio in Siciliam abiisse uidetur, quamquam etiam hic coniecturis opus est, cum nusquam diserte eius rei mentio fiat. sed Cicero Verr. II 45, 110 a Sthenio quodam Thermitano Verrem domum inuitatum esse dicit, qui C. Marii, Cn. Pompeii, C. Marcelli, L. Sisennae, ceterorum uirorum fortissimorum hospes fuisset atque esset. atqui Cn. Pompeius a. 82. 672 a Sulla cum imperio in Siciliam missus hospitium coniunxit cum Sthenio (Drumann IIII p. 330), C. Claudius Marcellus autem pro praetore fuit in Sicilia a. 79. 675 (cf. Drumann II p. 399. Orelli onom. Tull. p. 155). ergo cum probabilitate

---

[1]) Itaque etiam eae difficultates remotae sunt, quibus ductus O. Iahn Herm. II p. 234 pro *historiarum auctor* proposuit *milesiarum auctor*.

[2]) Pighius III p. 290 eum in quaestoribus a. 78. 676 recenset idque conclusit ex loco quodam Dionis Cassii, apud quem a. 68. 686 Sisennam praetorem fuisse legisse sibi uisus est. fundamentum tamen nullum esse infra ostendemus.

quadam inde conclusit Roth (p. 12) Pighium in plerisque secutus, cum Cicero hoc loco eos conmemoraret Sthenii hospites, qui cum inperio in Sicilia fuissent, eoque ordine, quo eo uenissent, Sisennam post Marcellum a. 79. 675 ante Verrem 73. 681 in Sicilia aliquod munus administrasse, qua cum re id congruit, quod conplures familiares in eadem prouincia Sisennam habuisse ex Verr. IIII 20, 43 discimus. haec uero si recte disputata sunt, si a. 78. 676 Sisennam praeturam obtinuisse memineris, pro praetore eum in Siciliam missum esse facile concedes.

Ad haec negotia publica accedebat opera forensis. sed quamuis doctus uir et studiis optimis deditus, bene Latine loquens, gnarus rei publicae, non sine facetiis, tamen, cum neque laboris multi nec satis uersatus in causis esset, interiectus inter duas aetates Hortensii et Sulpicii, nec maiorem consequi potuit et minori cedere necesse fuit, ut Cicero (Brut. 64, 228. de legg. I 2, 7) scripsit. Cum uero Hortensius primum in foro dixerit L. Crasso Q. Scaeuola consulibus a. 95. 659 (Brut. 84, 229), iam antea initium dicendi fecisse Sisennam adparet. ex causis tamen, quas egerit, duae tantum modo nobis notae sunt. quarum unam quo anno orarit pro C. Rutilio quodam (Cic. pro Brut. 74, 260), memoriae proditum non est, alteram iam prouectus aetate a. 70. 684 pro C. Verre dixit cum Hortensio aliisque contra Ciceronem (Cic. act. sec. II 45, 110. IIII 20, 43). ad quam causam ea potissimum re idoneus esse uidebatur, quod cum magistratu in Sicilia fuerat, itaque a Verre quasi inescatus et ad partes suas tractus, ut Sisennae familiaribus erepta redderet (Verr. IIII 20, 43).

Triennio, quo Sisenna Verris patronus exstiterat, cum ad Pompeium lege Gabinia summum imperium belli piratici delatum esset, ille in tredecim legatis, qui maximam partem ex optimatibus erant, quibus mare mediterraneum tuendum dispertiuit, etiam L. Sisennam elegit eique tradidit Euboeam, Thessaliam, Macedoniam, Boeotiam (App. Mithr. 95, cf. Flor. I 41 [III 6]). deinde discidio inter Pompeium et Metellum Creticum orto constat Cretenses, ut Metelli saeuitiam et crudelitatem effugerent, ad Pompeium misisse, qui se suaque in eius fidem dederent. Cretenses a Pompeio rediere cum L. Octauio legato, qui urbes reciperet. Metellus tamen eum neglexit, cum sine exercitu esset, neque saeue in Cretenses ut in hostes consulere desiit. tum uero his

rebus cognitis Cornelius Sisenna cum exercitu in Cretam uenit suasitque Metello, ut ciuitatibus parceret. sed ne is quidem persuasit. antequam tamen ut inuitus obtemperaret, ui et armis illum cogere et urbibus, quae premebantur, opitulari coepisset, in morbum incidit et morte belli ciuilis necessitati ereptus est a. 67. 687.[1]) quo mortuo Octauius Sisennae exercitus inperium suscepit et palam contra Metellum arma tulit, sed infelicissime re gesta a Metello captus est.

Hic igitur L. Cornelius Sisenna, uir primarius et diuitissimus, scripsit historias, haec enim uera fuit inscriptio, non historia, quae uox apud Nonium ex conpendio hist. male intellecto, apud Gellium (fr. 131) ex neglegentia nata est, cum hic eis tribus locis, quibus addito libri numero inscriptionem adfert, historias dicat. constabant ex libris minimum uiginti tribus, fragmenta plura ad nos peruenerunt ex libris I. II. III. IIII. VI, singula ex l. VIIII. XII. XXIII. exorsus est a Troia euersa paucisque res usque ad suam aetatem libri primi praefatione deduxisse uidetur, id quod postea fecit etiam Sallustius in coniur. Catil. c. 6 sqq. (Roth hist. rel. p. 369. Gerlach *Geschichtschr.* p. 91). Riese quidem p. 56, quod origo belli Marsici ad optimatium superbiam et auaritiam referenda esset, Sisennam, qui nobilium causam ageret, tale prooemium scripsisse ueri simile esse negauit et quattuor fragmenta, quibus res superiores tangerentur (fr. 1—4), ex libris, qui inscriberentur *ab urbe condita*, deprompta esse arbitratus est, quorum mentionem faceret Nonius (fr. 3) de Aeneae morte agens. at, si tum culpa belli ad optimates uulgo conferebatur, haec ipsa Sisennae causa

---

[1]) Quae supra exposuimus, debemus Cassio Dioni XXXVI 1, qui haec de Sisenna refert: *καὶ Κορνήλιος Σισέννας, ὁ τῆς Ἑλλάδος ἄρχων, ἦλθε μὲν ἐς τὴν Κρήτην, ὡς ταῦτ᾽ ἐπύθετο, καὶ παρῄνεσε τῷ Μετέλλῳ φείσασθαι τῶν δήμων, οὐ μέντοι καὶ ἀντέπραξέ τι μὴ πείσας. — ἀγανακτήσας οὖν ἐπὶ τούτῳ ὁ Ὀκταούιος οὐκέθ᾽ ἡσύχασεν, ἀλλὰ πρότερον μὲν τῷ τοῦ Σισέννου στρατῷ, νοσήσας γὰρ ἐκεῖνος ἐτεθνήκει, χρώμενος ἐπεβοήθει.* Weichert quidem l. s. p. 102 hunc Sisennam Gnaeum appellat diuersumque esse ab hoc Lucio putat. decipi tamen se passus est ab Vrsino, qui sine ulla auctoritate hunc Sisennam confuderat cum Cn. Sisenna quodam, quem ex denario nouimus ('Cn. Cornel. L. f. Sisena' Mommsen C. I. L. I p. 133. *Münzwesen* p. 137). hic legatus Pompeii quin Lucii praenomine usus sit, propter Appianum nemo poterit dubitare. Gnaeus ille fortasse filius fuit huius Lucii. cf. Roth. p. 19.

esse poterat, ut ex rebus, quae antecedebant, hanc opinionem falsam esse demonstraret altiusque res repeteret. atque ille solus Nonii locus, quamuis is diligens esse plerumque soleat in inscriptionibus laudandis, uix nos coget peculiarem librum 'ab urbe condita' a Sisenna conpositum esse existimare. facile enim aut Nonius aut, si mauis, ipse Sisenna historiarum librum primum propter res, quae continebantur, sic appellare potuit. nam etiam alia eius apud historicos moris exempla habemus, ut singulos quosdam libros peculiari inscriptione insignirent. cf. supra p. CLXVIII.

Sed, si recte Nonius fr. 6 ex libro primo sumptum esse adscripsit, iam libro primo Sisenna ad bellum Marsicum peruenisse uidetur, quam ob causam huic adsignauimus, quae ostenta initio eius facta esse exposuerat (fr. 5). libro altero iam Marsi pugnant cum hostibus (fr. 7), tertio, ut incerta et dubia omittam, 'Aesernini duplici fossa ualloque circumdati frumento adeso, quod ex arcis in oppidum portatum erat' se hostibus tradunt, sic enim sine dubio quae desunt, supplenda sunt. hinc res anni 90. 664 i. e. primi, quo bellum Marsicum armis gestum est, conprehensas esse libris II et III euadit. adcuratiora suspicari nolumus neque probamus Riesii (p. 60) coniecturam, qui, quod postea Kiene fecit, iam tum Sisennam fecisse opinatus est, ut diligenter res dirimeret, quae in Picentibus, Marsis, Marrucinis, ab eis, quae in Samnitibus et Lucanis gestae essent, et illas libro altero, has tertio exponeret. libro quarto progressus ad annum belli secundum 89. 665 (cf. fr. 51. 52. 53) non solum res bellicas sed etiam domesticas tractauit. utrum ei anno hoc libro an quinto finem inposuerit, non liquet, cum ex libro quinto nihil nobis traditum sit. Libro sexto sequebatur Marii fuga (fr. 125) et bellum Mithridaticum, quod ita enarrauerat Sisenna, ut res in Asia et Graecia gestas continentes mandaret, 'ne uellicatim ac saltuatim scribendo lectorum animos impediret' (fr. 127). qui liber proelium ad Ianiculum a. 87. 667 commissum continuerit, Tacitus, qui ex eo rem quandam tetigit, non adicit. omnino fragmenta ex hac annalium parte perrara sunt, restat unum, de quo certum iudicium ferri possit, fr. 132 ex libro XXIII [1]), quo summum omnium dictaturae desiderium describitur. pertinere

[1]) De numero sine causa dubitauit Riese p. 63.

igitur uidetur ad a. 82. 672. num etiam ultra id tempus progressus sit Sisenna, testimonia desunt. uerum tamen nil obstat, quominus eum usque ad mortem Sullae, cuius res eum optime et diligentissime scripsisse Sallustius (Iug. 95, 2) dicit, peruenisse arbitremur. absoluit enim librum suum Velleio (l. s. l.) teste iam 'senior', ergo post Sullae mortem, quo tempore summum quadraginta sex annos expleuerat. itaque ueri simile est eum Sullae dictaturam, quam inchoauerat (fr. 132), ad finem perduxisse. Quamquam fieri potuit, ut iam diu historiae scribendae consilium caperet bellumque Marsicum statim postquam confectum est, scribere animum induceret. atque nescio an cum hoc eius consilio cohaereat, quod anno fere 88. 666 (Roth p. 5) Lucullus Hortensio Sisennaeque *ἐκ παιδιᾶς τινος εἰς σπουδὴν προελθούσης* pollicitus est se bellum Marsicum seu Graece seu Latine, seu uersibus seu oratione pedestri expositurum esse (cf. supra p. CCLXXXV). caue tamen inde cum Krausio concludas, eum primum solum bellum Marsicum tractasse, tum a sexto libro seniorem, hoc est ferme quinquagenarium (circiter a. 69. 685), bellum ciuile Sullanum.

Quoniam quae conplexus sit Sisenna libris suis, quoad fieri potuit, explanauimus, iam intellegemus Velleium, qui 'opus belli ciuilis Sullanique' a Sisenna editum esse scripsit (nisi cum Manutio mutas belli ciuilis Sullani), minus adcurate locutum esse, cum aut bellum sociale seu Marsicum 'ciuile' diceret (sic praeter alios Kritz Sall. hist. fr. XVII, Linker *Sall. hist. prooem.* p. 12) aut bellum Sullanum id, quod contra Mithridatem in Graecia Asiaque gestum est, mentionem belli socialis, quod quasi per prooemium libris tribus uel quattuor transegit, omittens (Riese p. 54).

De Sisennae fide auctoris locupletissimi testimonium exstat, Sallustii, qui in bello Iugurth. 95, 2, quod de Sullae natura ingenioque pauca proposuerit, ita excusat: *Neque enim alio loco de Sullae rebus dicturi sumus, et L. Sisenna optume et diligentissime omnium qui eas res dixere persecutus parum mihi libero ore locutus uidetur.*[1] Quamquam

[1]) Mirum est quod Gerlach Sall. uol. III p. 48 haec uerba ita non intellexit, ut Sallustium in historiis scribendis id egisse opinaretur, ut Sisennae librum continuaret. sed satis eum iam refutauerunt Kritz in praefat. ad Sall. fr. XVII et Linker l. s. p. 12. — Sisennam etiam alio

igitur Sisenna eis rebus, quas describit, aut ipse testis oculatus interfuit aut ex eis qui interfuerunt, audire eas potuit — num Sullae conmentarios aut aliorum libros adhibuerit, non est conpertum, neque uero id abhorret a probabilitate —, quamquam in rebus suae aetatis litteris mandandis singulari adiutus est memoria (Senec. controu. I p. 54 Burs.), tamen fides ei abroganda fuit, cum etiam in historia obnoxius esset principi gentis Corneliae, cuius et ipse esset, eiusque partibus nimis faueret (cf. fr. 132. Kritz ad Sall. hist. fr. I 57).

At uero laudat Sallustius diligentiam, qua res Sullae persecutus sit, concinitque Fronto, qui (epist. ad Ver. I p. 114 N.) 'longinque' Sisennam historiam scripsisse iudicauit. Atque haec iudicia ipsis fragmentis confirmantur, quae non solum copiosissimae rerum narrationis uestigia praebent sed etiam orationum (fr. 10. 109. 110. 112. 113) uel in ea librorum parte, quam minus adcurate tractasse uidetur Sisenna. Sed idem alia in historiam inuexit, ut legentes oblectaret atque in formam fabularum romanensium, quas nunc uocamus, historiam mutauit et exornauit. Sic de rebus philosophiae egit (fr. 5. 123), in qua Epicureorum disciplinae addictus fuit; e priore enim loco adparet, eum contra somnia disputasse, ex altero eum Epicureorum de dis doctrinam proposuisse. (cf. Senec. de ben. IIII 4, 1. Zeller, *Philos. d. Griech.* III p. 239.) Tum uero etiam rebus minus honestis legentium animos permulsit atque, ut tum erant hominum iudicia, plausum omnium tulit. haec enim de eo Ouidius trist. II 443:

Vertit Aristiden Sisenna. nec obfuit illi
historiae turpes inseruisse iocos.

quid? quod, cum ceteris in rebus laboris non multi eum fuisse censuerit Cicero, Fronto (ep. ad Caes. IIII 3 p. 62 N.) cum paucis eum adfert, quod diligens fuerit in huius generis uerbis eligendis conlocandisque: *Nam praeter hos partim scriptorem animaduertas particulatim elegantis Nouium et Pomponium et id genus in uerbis rusticanis et iocularibus et ridiculariis, Attam in muliebribus, Sisennam in lasciuiis, Lucilium in cuiusque artis ac*

---

loco a Sallustio significatum esse Kritz (histor. I fr. 4 p. 4) censuit, cum apud Charisium II p. 192 P. 216 K. pro *scrip*, quod est in codice, proponeret *scripsit*. res tamen prorsus incerta est.

negotii propriis. quae uerba ne de Milesiis dicta esse arbitremur, orationis nexu prohibemur.

Accedimus ad genus scribendi. atqui de orationibus quod iudicium Cicero uno loco Bruti (64, 228) tulerit, iam supra (p. CCCXXVII). indicauimus, altero (74, 259 sq.) cum reprehendit, quod recte loqui putarit inusitate loqui atque haud raro risus audientium mouerit. simillima tamen eis fuit historia, cum Cicero priore loco Brutum et Atticum, ut Sisennae genus dicendi cognoscerent, releget ad historiam, ex qua omnis Sisennae facultas perspici possit. nihilo setius, quamuis eum ut oratorem Hortensii et Sulpicii gloria obscuratum esse existimet, tamen in historia ei principatum tribuit. nimirum aberat ex Ciceronis sententia historia, in qua diiudicanda solam artem rhetoricam respicit, litteris Latinis, atque quae scribendi laudes nondum sufficiebant ad nomen oratoris, eae palmam deferebant in historia. itaque Cicero l. s. s. hisce uerbis pergit: *quae* (*historia*) *cum facile omnis uincat superiores, tum indicat tamen, quantum absit a summo, quamque genus hoc scriptionis nondum sit satis Latinis litteris illustratum.* idemque iudicium facit de legg. I 2, 7 *Sisenna — omnes adhuc nostros scriptores, nisi qui forte nondum ediderunt, de quibus existimare non possumus, facile superauit.* in seqq. tamen hanc laudem diminuit: *is tamen neque orator in numero uestro umquam est habitus et in historia puerile quiddam consectatur, ut unum Clitarchum neque praeterea quemquam de Graecis legisse uideatur, eum tamen uelle dumtaxat imitari: quem si adsequi posset, aliquantum ab optumo tamen abesset.* Atque hercle quae prodita sunt de Clitarcho Aeolensi (cf. Geier, Alex. M. hist. script. p. 151 sqq.), pleraque conueniunt cum hoc Ciceronis de Sisenna iudicio. nam etiam Clitarchi probari ingenium, fidem infamari Quintilianus (inst. X 1, 74) scribit, idemque a Longino (siue Dionysio de sublim. 3, 2 p. 13 Iahn.) dicitur φλοιώδης ἀνὴρ καὶ φυσῶν κατὰ τὸν Σοφοκλέα μικροῖς μὲν αὐλίσκοισι, φορβειᾶς ἄτερ, et a Demetrio de eloc. 304 propter inuenustum dicendi genus uituperatur. quae iudicia satis confirmantur Clitarchi relliquiis. at num Ciceroni sic iudicanti fides sit habenda, dolendum sane quod adcurate explorare non possumus. admodum enim exigua sunt fragmenta paucorumque uerborum. unum tamen ex his adparet, quod Cicero reprehendit in orationibus, cum etiam in historia multum usum esse

inusitatis uocabulis. quam ob rem non casu factum esse existimabimus, quod idem Plauti commentarios scripsit, cum id ageret, ut inspersis uerbis priscis et inusitatis emendator sermonis usitati esset (Cic. Brut. 74, 259).

Verum tamen quamquam doctrina quaedam et eruditio ei non deerat, carebat elegantia et acri iudicio in calamistris inurendis, neque feliciter ei opus cessit. Varro quidem, quod eum praeter ceteros historia florere arbitrabatur, unum ex logistoricis inscripsit *Sisenna uel de historia* summasque ei in dialogo partes tribuit (cf. Ritschl, ind. lect. Bonn. 1845 p. VIII. Riese Varr. sat. praef. p. 35. 256), atque etiam Ciceronem historias laudasse ceterisque, qui ante scripserant, praetulisse supra uidimus (p. CCCXXXII), nihilo tamen minus, qui in historia eius uestigia legerent, habuisse non uidetur. ne usus quidem eius, si Caecilium (Calactinum), qui in libris grammaticis de eo egisse uidetur (cf. adn. ad fr. 103), et Festi locum (fr. 124) admodum dubium exceperis, ex primo saeculo p. Chr. n. certa uestigia conparent. quod nescio utrum inde factum sit, quia quae de bello Marsico Sullanoque conperta habemus, omnino perpauca sunt eaque pleraque a scriptoribus secundariis inferioris temporis nobis tradita, an inde quod diu neglectus iacuit. Tum demum uero posteaquam amor uetusti generis dicendi resuscitatus est, etiam Sisennae libri propter uoces priscas et inusitatas, quae apud eum erant, prolati, lectitati, excerpti sunt. itaque iam Tacitus, qui in historiis narrationis cuiusdam Sisennae mentionem iniecit (fr. 129), in dialogo c. 23 Aprum inridentem facit eos, quibus eloquentia Aufidii Bassi et Seruilii Noniani ex conparatione Sisennae aut Varronis sordeat; Gellius autem adsidue, ut ipse dicit (XII 15, 1), Sisennae historias lectitauit conpluraque fragmenta ex eis noctibus suis inseruit. plurima uero (plus centum uiginti [1])) debemus Nonio. Sed quin is ex magna scriptorum copia, ex quibus exempla protulit, minimam partem ipse inspexerit, nemo qui Hertzii (Iahn. annal. 1862 p. 711 sqq.), Schottmuelleri (symbol.

[1]) Vnum fragmentum seu librariorum incuria seu temporis iniquitate deperiit. p. enim 556 post quaedam Sisennae uerba sic pergitur: *Idem lib. IIII mater et agrauia bellica. Sisenna hist. lib. III* et q. s., ubi *materes tela grauia bellica* (sic enim cum Mercero legendum est) insequens lemma est. lacuna autem in cod. Leidensi etiam indicata est spatio uacuo relicto.

Ritschel. p. 823 sqq.), P. Schmidtii (*De Nonii Marcelli auctoribus grammaticis.* Lips. 1868) ea de re conmentationes legerit, dubitabit. immo multo plura exempla originem ducunt ex conmentariis ad Plauti, Lucretii, Attii, Pomponii, aliorum scriptorum libros conpositis, ex quibus et ipse ille locus, qui explicabatur, et ea exempla, quae ad illum explicandum congesta erant, translata sunt. nolo nunc quaerere, utrum ipse Nonius illos conmentarios adierit an thesauros aliorum, qui id fecerant, in librum suum excusserit — leuitas enim et neglegentia Nonii tanta est, ut quam minimum studium ab ipso in scribendo conlocatum esse statuendum sit —: illud mihi constare uidetur, etiam Sisennae historiarum conmentarios uel ab ipso uel, quod malo, ab eius auctore conpilatos esse. nam ut ceterorum scriptorum, quorum conmentarios adhibitos esse certum est, ita etiam Sisennae exempla, quae exceptis duodecim locis uel — si, ubi per *idem* aliud exemplum adnectitur (fr. 134—138), ex eodem libro id sumptum esse censes — nouem ex tertio aut quarto libro decerpta sunt, primario loco posita sunt atque ita ordinata, ut conplura (in primo Nonii capite semel p. 57 sq., in altero septies p. 68. 91. 107. 130. 141. 161, in sexto semel p. 449 cf. Schmidt p. 133) etiam loco inter se iuncta sint. unde quoniam ex eis scriptoribus, qui aetatem tulerant, Schottmueller et Schmidt rectissime demonstrarunt, apud Nonium exempla primaria (quae ille *Stammcitate* nominat) eodem ordine inter se excipere quo apud ipsos auctores, idem in Sisennam cadere sequitur. fuit igitur ordo uerborum Sisennae hice:

Non. cap. I p. 57. (ex Sisennae libro II[1]). fr. 9. (ex lib. III) 33. 14. (ex lib. IIII) 72. 58. 68.
II (litt. a) p. 68. (ex Sisennae lib. IIII) fr. 116. 94.
(litt. c) p. 91. (ex Sis. lib. IIII) fr. 93. 118. 107. 123. 79.
(litt. e) p. 107. (ex Sis. lib. III) [120].[2]) 110. 66.
(litt. f) p. 113. (ex Sis. lib. IIII) fr. 60. 86.

---

[1]) Quia nusquam in altero capite Nonius exempla Sisenniana ex lib. II coniunxit cum exemplis ex lib. III uel IIII petitis, Riese p. 58 scripsit *lib. III.*

[2]) Casu quodam exemplum Sisennae post Vergilianum positum est, id quod haud raro accidit, cf. Schmidt p. 8. potius primarium id esse ex Ciceronis uicinitate adparet. uid. infra.

Non. cap. II (litt. i) p. 130. (ex Sis. lib. III) 43. 47. (ex Sis. lib. IIII) 119.
(litt. m) p. 141. (ex Sis. lib. III) 24. 31. 18. (ex lib. IIII) 72.
(litt. p) p. 161. (ex Sis. lib. IIII) 117.[1]) (ex lib. III) 25. 32.[2]) (ex lib. IIII) 93.

Ita uero hoc unum intelleximus, quis fuerit uerborum ordo in singulis Nonii partibus, illud autem agentibus nobis, ut soluta hac partium conpage suo quodque libro fragmentum tribueremus, hoc auxilium fere nullum erat. ut exemplo utar, hoc quidem pro certo licuit adfirmare, uerba fr. 18 in libro III Sisennam scripsisse post 31, hoc post fr. 24, sed quae ratio intercesserit inter illa fragmenta et fr. 43 et 47, utrum haec continua post illa, an ante illa, an inter illa scripta, an inter se inplicata fuerint, nescimus. quare melius esse duximus, ut infra in fragmentis disponendis hoc ordine omnino neglecto eandem uiam ingressi quam in ceteris scriptoribus primo loco conlocaremus ea fragmenta, quae aliqua cum probabilitate ad certas res referri poterant, ad temporum ordinem digesta, deinde cetera ex rerum similitudine adiungeremus.

Ex eis duodecim uel nouem fragmentis, quae ex aliis Sisennae libris a Nonio adlata sunt, tria (Non. p. 87. 168. 187. 486) ad Gellii auctoritatem redire Hertz l. s. s. ostendit. deinde duo[3]), quae alteri libro inserta sunt ex alio fonte atque ex eo ex quo fr. libri III et IIII hausta esse inde conligitur, quod horum librorum exempla Sisenniana plerumque secuntur uerba Ciceronis ex libris de oratore deprompta, antecedunt exempla ex libris de finibus (cf. p. 91. 113. 130. 141. 161, etiam p. 70. 101. Riese p. 51), in horum autem uicinitate neutri libri occurrunt. denique quae in ceteris Nonii capitibus ex aliis libris Sisennianis fragmenta exstant, non sunt ea exempla primaria sed aliorum scriptorum exemplis (p. 376 Afranii, p. 392 Vergilii, p. 468 Plauti) subiuncta atque ex horum commentariis originem ducunt. Quid plura? Nonius Sisennae historiarum solos libros

---

[1]) Vt ordinem restitueret, Riese p. 58 pro *IIII* scripsit *III*.

[2]) Consilio omisi fr. 85, quod subiunxit fr. 32 Nonius, quia supra primariorum tantum modo exemplorum rationem habui.

[3]) de fr. ex libro II, quod p. 57 Sisenna inseruit, uid. p. CCCXXXIIII not.

III et IIII nouit, aut, quod ueri similius duco, horum librorum commentarios. de fide tamen uerborum ab eo transscriptorum uehementer dubitandum est. nam in eis tribus exemplis, quae Gellio debet (ex quibus unum, fr. 127, bis posuit), unum numerum omnino omisit (Non. p. 187 fr. 127), duos corrupit, cum pro *VI* priore loco scriberet *V* (Non. p. 87 fr. 126), altero *I* (Non. p. 168 fr. 127). cf. supra p. LXIII.

Apud alios scriptores perpauca notitiae Sisennianae indicia adparent. Seruius enim tribus locis (fr. 1. 2. 4) in rebus antiquis Romanis Sisennae auctoritate utitur, Macrobius bis (fr. 7. 8) eius uerba quaedam ex libro II, unum locum ex libro duodecimo (fr. 131) Priscianus, denique unum Ioannes Lydus inscriptione omissa (fr. 133) citauit. hic tamen ipse Sisennae librum se uidisse negat[1]), idemque etiam de aliis scriptoribus, quos modo conmemoraui, conici potest.[2])

Vt uero totius Sisennae doctrinae et eruditionis conspectum haberes, quasi corollarium dedi ceterorum eius librorum fragmenta, primum Milesiarum, quos libros — minimum tredecim — lasciuos et inpuros, cum uerteret ex Graeco Aristidem secutus (Ouid. trist. II 442), aetatis suae auribus et iudicio obtemperauit (uid. mus. Heluet. n. VI p. 8)[3]), deinde conmentariorum Plautinorum, ex quibus idem quod ex historiis

[1]) Quod Fenestellam atque Sisennam a Varrone in libro de rebus humanis (ἐπὶ ἀνθρωπίνων πραγμάτων) laudatos esse Lydus dixit, neglegenter auctorem, cui haec debet, exscripsit. Fenestella enim Varrone, non Varro Fenestella uti potuit.

[2]) In fr. incertae sedis neglexi unum locum, quem adposuit Krause p. 317. haec enim sunt Varronis uerba apud Gellium II 25, 9: *Adsentior tamen fere omnes dicunt. Sisenna unus 'adsentio' in senatu dicebat et eum postea multi secuti.* eademque refert Quintilianus inst. I 5, 13. sua autem sponte adparet, haec non posse referri ad Sisennae scripta.

[3]) Milesiarum relliquias, quae supersunt ex solo libro tertio decimo, debemus Charisio. Quod fragmentum praeter ea, quae nos infra recepimus, Forcellini s. u. adingero I p. 61 (ed. Schneeberg.) suppeditare uidetur, falso ad Sisennam relatum est. haec enim ille: *Translate Sisenn. Milesiar. apud Seru. 2, teste Falstero* (*qui loc. Seru. non designat*)*: non dignus in quem debeam satiram calente ui adingerere.* qui locus cum diu me multum uexasset, tandem repperi, locum illum exstare non apud Seruium sed apud scholiastam Iuuenalis (ad sat. IIII 2) et in libris sic scriptum esse *Sesenus libro II ait: non dignus* et q. s. quod nomen corruptum sine dubio recte restituit Achaintre, quem secutus est Lachmann

elucet studium antiquitatis uerborumque priscorum atque inusitatorum.[1] fragmenta supersunt ex conmentariis Poenuli, Rudentis, Amphitruonis, Captiuorum, Aululariae, seruata a Rufino et Charisio. uidetur autem Sisenna in conmentariis et uerborum explicationis et rerum grammaticarum et metricarum rationem habuisse, sed spero in ceteris melius rem ei successisse quam in metricis. nam in eis paucis, quae aetatem tulerunt, notis uno loco (fr. 3) aperte eum errasse Ritschl parerg. I p. 383 docuit, altero (fr. 7) se non intellexisse metra anapaestica ipse professus est (cf. G. Hermann elem. doctr. metr. p. 411 sq.). atque haec quidem hactenus. breui enim praecidam, cum prouocare liceat ad Fr. Ritschelii *de Sisennae conmentariis* dissertationem in parerg. 374—386.

Num alia scripta grammatica conposuerit, caute dubitat Bernhardy hist. litt. Rom. p. 228. quae fr. (inc. 3. 4) argumenti sunt grammatici, fieri potuit, ut ex conmentariis Plautinis fluerent.

Orationes eius litteris mandatas in manibus aequalium Taciti fuisse, ex dialog. c. 23 (uid. supra p. CCCXXXIII) effici mihi uidetur, qui locus fugit Meyerum. ibi enim loquitur Aper de eis, qui sua aetate eloquentiam Aufidii Bassi et Seruilii Noniani prae Sisenna et Varrone contemnant, sed qui fieri potuit, ut illi, nisi orationes Sisennae legerent, eius eloquentiam nossent? quamquam confiteor, non abhorrere a probabilitate illud iudicium sumptum esse ex orationibus, quas Sisenna historiis inseruerit. quas causas dixerit, iam supra recensuimus Ciceronisque iudicia adposuimus. orationum fragmenta non supersunt.

---

comment. ad Lucret. p. 124, cum coniceret *Serenus.* est enim uersus iambicus Septimii Sereni poetae. cf. L. Mueller d. r. metr. p. 98.

[1]) Quamquam Th. Bergk, *Beiträge z. lat. Gramm.* I *p.* 124 hos conmentarios Plautinos a recentiore aliquo Sisenna, aequali fere Terentii Scauri, conpositos esse iudicat. frustra tamen eius sententiae certa argumenta quaesiui; immo optime conuenit hoc Plauti studium cum eo quem supra adumbrauimus scriptore.

C. LICINIVS MACER[1])

In historicis Latinis Cicero de legg. I 2, 7 ponit etiam Macrum, cuius plenum nomen fuisse C. Licinii Macri ex eis quibus eius libri adferuntur locis uidemus, dicitque eum amicum fuisse Sisennae. atqui Sisenna natus est haud ita multo ante a. 118. 636, praetura functus a. 78. 676, mortuus 67. 687. quam ob rem uix quisquam dubitabit, quin qui C. Licinius Macer anno 73. 681 tribunus pl.[2]) fuit et anno post Sisennam (ergo anno 66. 688) diem supremum obiit, idem historicus ille sit, neque prae hoc diserto testimonio magni faciet quod Cicero, ubi de Macri tribuni facultate oratoria disputat (Brut. 67, 238) historiae eius mentionem omisit, praesertim cum idem etiam aliis rerum scriptoribus in Bruto acciderit, ut C. Tuditano (25, 95) et Rutilio (30, 113).

Familia eius erat plebeia illa quidem sed nobilissima, ex qua et qui primus tribunus militum consulari potestate de plebe factus est (Liu. V 12, 9), et qui L. Sextii conlega, ut alter consul de plebe crearetur, rogatione sua effecit, originem ducebant, pater Lucius, de quo nil nisi nomen memoriae traditum est[3]), filius, ut hoc nunc uerbo moneam, C. Licinius Macer Caluus, et poeta et orator.[4])

---

[1]) Liebaldt, *C. Licinius Macer.* progr. Numburg. 1848.

[2]) De hac re, cum quidam tribunum illum historici filium fuisse arbitrati essent, pluribus, quam opus erat, disputauit Weichert poet. lat. rel. p. 92 sqq. et post eum Liebaldt p. 3 sqq., uterque tamen a falsa opinione, qua de Sisennae anno natali occupati erant, profecti sunt.

[3]) In denario enim, quem inter a. 84. 670 et 81. 673 percussum esse Mommsen statuit, thesauri Montecodruzzensis a. 81. 673 defossi haec exstant *C. Licinius L. f. Macer.* Mommsen C. I. L. I p. 137 n. 434. *Münzwesen* p. 235.

[4]) Natus is est a. 82. 672 a. d. V kal. Iun. Plin. n. h. VII 165. ceterum ex filii nomine Liebaldt p. 2 etiam patri Calui cognomen fuisse

De anno historici natali hoc unum licet statuere, eum natum esse ante a. 107. 647[1]), si quidem a. 66. 688, quo mortuus est, uir praetorius fuit. nomen eius inclaruit in tribunatu a. 73. 681. Postquam enim frustra M. Aemilius Lepidus consul, L. Sicinius, L. Quintius tribuni plebis deinceps nobilitatis potentiam Sullae dominatione stabilitam euertere aut labefactare conati sunt, re non desperata C. Licinius Macer familiae laudis haud inmemor, quamquam omnes conlegae aduersariorum partes amplexi erant, et discordias ab eo excitari nobiles criminabantur uehementesque in eum concitabantur turbae (Sall. hist. fr. III 82, 11; 17 Kr.), magno cum ardore et constantia denuo id agere coepit, ut plebi potestatem a Sulla ademptam restitueret, in primis potestatem tribuniciam, plebique hoc persuadere studebat, ut, nisi telum illud, ut aiebat, a maioribus libertati paratum redderetur, detrectarent militiam neue, cum nulla pars fructus eis esset, ampliussanguinem suum praeberent. exstat oratio eius, qua Sallustius in historiis (l. s.) eum plebem cohortantem facit, quae etsi non uerba Macri, lineamenta tamen et sententias repraesentat.[2]) inde non solum fuisse uidetur acerrimus nobilitatis aduersarius sed

---

conlegit. quae opinio inde confirmatur, quod ubi Liuius propriae familiae laudem a Licinio quaesitam esse exprobrat, de C. quodam Licinio Caluo agitur (fr. 16).

[1]) Quod Liebaldt p. 7 eum circiter a. 124. 630 natum esse posuit, sola motus est falsa opinione, quam habet de Sisennae amici aetate.

[2]) Cf. Lentuli epistulam ad Catilinam datam

apud Sallust. Cat. 44:	et Cicer. in Cat. III 5, 12:
Quis sim, ex eo quem ad te misi cognosces. fac cogites, in quanta calamitate sis et memineris te uirum esse. consideres, quid tuae rationes postulent. auxilium petas ab omnibus, etiam ab infimis.	*Quis sim, scies ex hoc quem ad te misi. cura ut uir sis et cogita, quem in locum sis progressus: uide, quid tibi iam sit necesse, et cura ut omnium tibi auxilia adiungas, etiam infimorum.*

ubi Cicero adcuratius uidetur uerba Catilinae exhibuisse. similiter iudicauit Egger, *Examen critique des historiens d'Auguste* p. 349 de Memmii oratione (Iug. 3). Idem igitur Sallustio fuit propositum quod Thucydidi (I 22): *Καὶ ὅσα μὲν λόγῳ εἶπον ἕκαστοι ἢ μέλλοντες πολεμήσειν ἢ ἐν αὐτῷ ἤδη ὄντες, χαλεπὸν τὴν ἀκρίβειαν αὐτὴν τῶν λεγόντων διαμνημονεῦσαι ἦν ἐμοί τε ὧν αὐτὸς ἤκουσα καὶ τοῖς ἄλλοθέν ποθεν ἐμοὶ ἀπαγγέλλουσιν. ὡς δ' ἂν ἐδόκουν ἐμοὶ ἕκαστοι περὶ τῶν ἀεὶ παρόντων τὰ δέοντα μάλιστα εἰπεῖν, ἐχομένῳ ὅτι ἐγγύτατα τῆς συμπάσης γνώμης τῶν ἀληθῶς λεχθέντων, οὕτως εἴρηται.*

etiam homo acutus et sagax, quem non fugeret, in primis per plebem stetisse, quominus, quae antea eius patronis proposita fuerant, prospero euentu carerent. itaque et uehementer inuehitur in scelestum seruitium a nobilitate inpositum et grauiter incusat plebis ignauiam et torpedinem, quae non ultra contionis locum memor esset libertatis et, quod seruitium esset, otium appellaret. idemque ne credat recte monet nobilitatis delenimentis, quibus eius desideria in aduentum Cn. Pompeii differat. neque tamen oratione sua quidquam profecit. nam plebs artibus illis capta in aduentum Pompeii se differri et decipi passa est. Macer uero etiam alia ratione nobilitatis opes infringebat, ut accusauit C. Rabirium, qui princeps fuerat in armis contra Saturninum capiendis eumque interfecisse insimulabatur, quod loca ab eo religiosa et luci, in Saturnino opinor oppugnando, uiolati essent (Cic. pro Rabir. p. r. 2, 7). quamquam etiam hanc operam frustra consumpsit. maior enim tum erat nobilitatis potentia, quam ut unus ex eo numero in iudicium ab aduersariis uocatus condemnaretur, atque ne decem quidem annis post cum auctore Caesare a T. Labieno trib. pl. Saturnini occisi crimine postulatus esset, ut meritum de eo supplicium sumeretur, hoc effici potuit (C. Peter h. R. II p. 184 sqq. Drumann III p. 161 sqq.). denique cum in multis causis et publicis et priuatis uersatus est (Cic. Brut. 67, 238), tum — incertum est quo anno — Tuscorum patrocinium suscepit, ut hunc populum a Sulla agris spoliatum asperequc uexatum corroboraret, corroboratum cum plebe reconciliaret (Meyer or. Rom. rel. p. 387). His autem rebus, etsi pleraeque minus prospere ei cesserunt, tantam sibi conparauit auctoritatem, ut quamuis acriter repugnantibus optimatibus praetor crearetur (Val. Max. VIIII 12, 7). tum pro praetore in prouinciam est missus. neque tamen ibi exercitui praefuit, quod Krause p. 234 existimauit. quod enim in eius rei testimonium uulgo haec uerba, quae exstant apud Nonium s. u. contendere (p. 259) adferri solent: *Licinius Macer in epistula ad senatum: 'Illi suam uitam mecum contendunt, quorum in corpore ita crebra sunt uolnera uitae, nouae cicatrici ut locus non sit'*[1]), non de uul-

[1]) Vehementer dubito, num Licinii Macri epistulae uel ab ipso uel ab amicis separatim editae sint. mihi epistula illa, ex qua quaedam Nonius laudauit, a Sallustio esse ficta et ex eius historiis sumpta uidetur, in quibus conplures epistulae inueniuntur, ut epistula Cn. Pompeii

neribus in pugnis acceptis sermo est, sed metaphorice de maculis, quibus aduersarii domi ex uita foedissima et turpi obsiti sint. post decessum autem ex prouincia a. 66. 688 Cicero praetor tam grauibus argumentis usus eum repetundarum accusauit, ut Macer, etsi a Licinio Crasso gentili, uiro magnae auctoritatis, adiuuabatur, cum spes absolutionis non esset, ipse mortem sibi consisceret. de hac re duplex est fama, altera Valerii Maximi VIIII 12, 7: *Consimili impetu mortis C. Licinius Macer, uir praetorius, Calui pater, repetundarum reus, dum sententiae diriberentur, in maenianum conscendit. si quidem cum M. Ciceronem, qui id iudicium cogebat, praetextam ponentem uidisset, misit ad eum qui diceret se non damnatum, sed reum perisse, nec sua bona hastae posse subici, ac protinus sudario, quod forte in manu habebat, ore et faucibus suis coartatis incluso spiritu poenam morte praecucurrit. qua cognita re Cicero de eo nihil pronuntiauit. igitur inlustris ingenii orator et ab inopia rei familiaris et a crimine domesticae damnationis inusitato paterni fati genere uindicatus est.* altera Plutarchi in uit. Cic. 9: *Λέγεται δὲ καὶ Λικίννιος Μάκερ, ἀνὴρ καὶ καθ' αὑτὸν ἰσχύων ἐν τῇ πόλει μέγα καὶ Κράσσῳ χρώμενος βοηθῷ, κρινόμενος κλοπῆς ὑπ' αὐτοῦ* (*Κικέρωνος*), *τῇ δυνάμει καὶ σπουδῇ πεποιθὼς, ἔτι τὴν ψῆφον τῶν κριτῶν διαφερόντων, ἀπαλλαγεὶς οἴκαδε κείρασθαί τε τὴν κεφαλὴν κατὰ τάχος καὶ καθαρὸν ἱμάτιον ὡς νενικηκὼς λαβὼν αὖθις εἰς ἀγορὰν προϊέναι· τοῦ δὲ Κράσσου περὶ τὴν αὔλειον ἀπαντήσαντος αὐτῷ καὶ φράσαντος, ὅτι πάσαις ἑάλωκε ταῖς ψήφοις, ἀναστρέψας καὶ κατακλινεὶς ἀποθανεῖν. τὸ δὲ πρᾶγμα τῷ Κικέρωνι δόξαν ἤνεγκεν ὡς ἐπιμελῶς βραβεύσαντι τὸ δικαστήριον.* prior tamen narratio et per se minus probabilis est Valeriique artem sapit, et extrema Plutarchi uerba confirmantur ab ipso Cicerone, qui (I 4, 2) ad Atticum haec scripsit: *Nos hic incredibili ac singulari populi uoluntate de C. Macro transegimus. cui cum aequi fuissemus, tamen multo maiorem fructum ex populi existimatione illo damnato cepimus quam ex ipsius, si absolutus esset, gratia cepissemus.* quo consensu etiam earum rerum, quae antea narratae sunt, auctoritas augetur.

Qua aetate annales conposuerit, non liquet, nisi ex ea re,

---

ad senatum III 1, regis Mithridatis ad regem Arsacen IIII 19 Kr. accedit quod fr. illud inter fragmenta Sallustiana apud Nonium exstat.

quod in oratione, quam Sallustius eum habentem facit, adcurata conparet rerum Romanarum cognitio ac scientia[1]), iam tum historiae eum studuisse conligere uelis. inscriptio binis locis a Nonio (fr. 6. 21) et a Prisciano (7. 22) tradita est annalium, singulis historiarum a Macrobio (fr. 1), rerum Romanarum a Nonio (fr. 23). trahimur igitur auctorum numero ad annales, qui titulus etiam propter librorum naturam probabilior esse mihi uidetur. Libri fuerunt minimum unus et uiginti (fr. 23), sed quae fragmenta seruata sunt, perpaucis et admodum tenuibus (fr. 22 et 23. inc. sed. 24. 25) exceptis ex solis duobus primis libris excerpta sunt. In his exorsus a Romuli Remique pueritia res Romanas minimum usque ad Pyrrhum deduxerat (fr. 20)[2]), de ceteris libris, quae est testimoniorum inopia, omni certo iudicio abstinendum est, etsi propter librorum numerum Macrum usque ad suam aetatem descendisse et procedente opere copiosius res exposuisse ueri simile est.[3])

Nunc ut ad genus scribendi pergamus, cum Macri uerba perpauca ad nos peruenerint, confugiendum est ad Ciceronis iudicia, qui de orationibus sic scripsit in Bruto 67, 238: *C. Macer auctoritate semper eguit, sed fuit patronus propemodum diligentissimus. huius si uita, si mores, si uultus denique non omnem commendationem ingeni euerteret, maius nomen in patronis fuisset. non erat abundans, non inops tamen, non ualde nitens, non plane horrida oratio; uox, gestus et omnis actio sine lepore; at in inueniendis componendisque rebus mira accuratio, ut non facile in ullo diligentiorem maioremque cognouerim, sed eam, ut citius ueteratoriam quam oratoriam diceres. his etsi etiam in publicis causis probabatur, tamen in priuatis illustriorem obtinebat locum.* de historia sic de legg. I 2, 7: *Nam quid Macrum numerem? cuius loquacitas habet aliquid argutiarum, nec id tamen ex illa erudita Graecorum copia sed ex librariolis Latinis, in orationibus autem multa sed inepta elatio, summa inpudentia.*[4]) Hoc

[1]) Cf. Niebuhr, praelect. I p. 33. 227. h. R. I p. 350 not. 793.

[2]) Quas res primus, quas alter liber continuerit, non potest discerni. quam ob rem fragmenta ex alterutro horum librorum a Liuio Dionysioue seruata infra coniuncta edidimus.

[3]) Quae enim de fr. 23 suspicatus est Linker (uid. adn.), incertiora sunt, quam ut inde quidquam conligamus.

[4]) Sic enim Mommsen hunc locum multum temptatum scripsit (chronol. p. 90 n. 146). codd. haec exhibent: *multas et* [*et* ex corr. add.)

igitur etiam Cicero, quamuis infensus esset animo in Macrum, non potuit negare, summa eum usum esse in rebus conligendis et conponendis diligentia, nec orationem, etsi Graecorum artificia spreta essent[1]), omni arte aut ornamentis caruisse. quod uero in historia neglecta Coelii ratione scribendi rhetorica ad antiquorum simplicitatem et ieiunitatem rediit, nescio an consilio factum sit, ut non solum res ex antiquissimis auctoribus sumeret sed etiam eorum scriptionem imitaretur. hoc tamen suae aetatis historiae concessisse uidetur, ut orationes a se fictas insereret. in quibus, cum fieri non potuerit quin Macer, utpote plebi totus deditus, ab his partibus staret, non est mirum quod Atticus uel Cicero ineptam elationem summamque inpudentiam ei exprobrauit. noli enim cum Weicherto p. 95 sq. opinari, illo loco de orationibus a Licinio in causis publicis uel priuatis agi. nam de sola historia Romana illo loco loquitur Cicero neque alii iudicio hic est locus quam de orationibus quae historiis insertae sint, id quod factum esse discimus ex fr. 20. 22. neque cogitari potest alia de orationibus a Licinio habitis iudicasse Ciceronem, cum de claris oratoribus, alia cum de legibus scriberet. ualde enim haec iudicia inter se discrepant.

Sed utcumque de genere eius scribendi existimamus, hac certe re singularem inter aetatis suae scriptores obtinet locum, quod antiquitatis studiis tum efflorescentibus excitatus non satis habuit ueteres annales exscripsisse sed etiam, ut erat homo uel Cicerone teste diligentissimus, alia antiqua monumenta indagata et explorata in usum suum conuertit. ut foedus Ardeatinum a. 444. 310 ictum in manibus habuit (fr. 13 c. adn.) maximeque libros quosdam linteos multum adhibuit et laudauit (fr. 13. 14. 15).

---

ineptus datio summā inpudentiā. unde alii alia elicuerunt, ut A. W. Zumpt *multus et ineptus et adeo summa inpudentia*, Bake *multus et ineptus est, clamator summa inpudentia*, Nipperdey Philol. 1851. VI p. 137 *multa, in epistulis relatis summa inpudentia*, Halm *multa sunt inepta usque ad summam inpudentiam*, Pluess in Iahn. ann. 99 p. 586 *in orationibus autem multas inde perturbationes* (*heftige Affecte*). proxime tamen Mommseni coniectura ad codd. uestigia accedere uidetur.

[1]) Sic enim interpretanda esse uerba *ex librariolis Latinis* ex eis quae antecedunt *cuius loquacitas habet aliquid argutiarum, nec id tamen ex illa eruditorum Graecorum copia* discimus, unde de auctoribus ab eo adhibitis, quod uoluerunt Teuffel, *Litteraturgesch.* p. 206 et Schwegler I 93 (qui uertit *librarioli Bücherschränke*), cogitare uetamur.

in his uero libris, qui in aede Iunonis Monetae in arce repositi erant, magistratuum nomina per annos digesta fuisse, claro Liuii testimonio satis constat. haec enim ille IIII 20, 8 (fr. 15): *qui si ea in re sit error, quod tum ueteres annales quodque magistratuum libri, quos linteos in aede repositos Monetae Macer Licinius citat identidem auctores, decimo post demum anno cum T. Quinctio Penno A. Cornelium Cossum consulem habeant* et q. s. quamquam fuerunt (Lachmann de f. Liu. I p. 13. Becker ant. Rom. I p. 17. Hertz in ed. Liuiana), qui, cum alio loco (IIII 7, 10 fr. 13) Liuius distingueret libros linteos et magistratuum libros, magis credendum esse arbitrati Liuii iudicio quam librariorum leuitati, priore loco scriberent aut *quosque linteos* aut (Mommsen chronol. p. 208) *libri librique quos*, tresque auctores a Liuio putarent laudatos esse. at idem quod in cap. 20, significauit Liuius c. 13, 7: *et Lucius Minucius praefectus annonae seu refectus seu, quoad res posceret, in incertum creatus. nihil enim constat, nisi in libros linteos utroque anno* (440. 314 et 439. 315) *relatum inter magistratus praefecti nomen*, tum in c. 20 Liuius non opposuit libris linteis librorum magistratuum testimonium sed Licinio Macro, qui linteorum auctoritate usus esset. quid igitur inpedit, quominus statuamus libros magistratuum appellatos esse a Liuio eos indices [1]), quos ipse ante oculos haberet (cf. VIIII 18, 12. XXVIIII 52, 4 [2])), libros linteos, quos Licinius [3]) adhibuerit et in utrisque magistratuum nomina fuisse? praesertim cum Liuius, ubicunque ad Macrum eiusque libros linteos prouocauit, de solis magistratuum nominibus testimonia ex eis prompserit.

Propter hoc autem studium cum Licinii Macri auctoritatem plurimi aestimasset Niebuhr (h. R. I p. 255. 556. II p. 11. praelect. I p. 33) et post eum ceteri (Lachmann de f. L. I p. 39.

---

[1]) Falso Beaufort I c. 7 priuatos annales hosce libros fuisse suspicatus est. cf. Naegele *Studien* p. 287 sq.

[2]) Falso enim Liebaldt p. 14 ut quam plurimos auctores Licinii enumeraret, etiam hosce locos ex eo a Liuio sumptos esse opinatus est.

[3]) In linteis etiam libri Sibyllini scripti erant. Symmach. ep. IIII 84. apud Liuium X 38, 4 a Samnitibus 'ex libro uetere linteo lecto' sacrificatur (a. 293. 461) multosque uidit M. Aurelius Anagniae libros linteos ad sacra pertinentes (Front. ep. IIII 4 p. 67 Nab.). cf. Vopisc. Aur. 8, 1. Plin. n. h. XIII 69 *Postea publica monimenta plumbeis uoluminibus, mox et priuata linteis confici coepta aut ceris.*

Liebaldt p. 14 sq.), nuper Th. Mommsen (*Monatsber. der Berl. Akad.* 1861 p. 335 sqq. = *Röm. Forsch.* I p. 315 sqq.) grauissimis eum cumulauit criminibus. inpudentissimum enim in modum eum non solum furatum esse sed etiam res fictas et conmenticias pro ueris uendidisse et quae ex libris linteis proferret testimonia, mera mendacia esse. profectus autem est ille uir doctissimus a loco quodam Liuii (fr. 13. uid. chronol. p. 88 sqq.), quo quae ille Licinii librorum linteorum auctoritate nisus de tribunorum mil. cons. pot. abdicatione et de L. Papirii Mugilani et L. Sempronii Atratini consulum subrogatione narrauerit, ita cum more et consuetudine illius aetatis (444. 310) pugnare arbitratur, ut fieri non possit, quin falso ex recentiore aetate in antiquitatem illam translata sint. nec contra hanc quidem Mommseni disputationem habeo quae opponam. quod uero pergit ipsum Licinium libros linteos ementitum esse, ut memoriam ex plebis studio uitiatam talium librorum ficta auctoritate firmaret, eius rei certa argumenta et indicia non adtulit. etsi enim ut in uita publica sic etiam in historia plebis partibus Licinium fauisse[1]) ueri est simillimum, tamen omnino non est, cur eum fraudis insimulemus. tantaene eum fuisse censes inpudentiae, ut de rebus a se fictis prouocaret ad sacros libros (ἐκ τῶν ἱερῶν τε καὶ ἀποθέτων Dion. adn. ad fr. 13), qui in arcis templo repositi essent, cum semper ei uerendum esset, ne quis ex aduersariorum grege siue ex magno, qui tum his studiis uacabat, antiquariorum numero templi tablino inspecto manufestae fraudis eum coargueret et conuinceret famamque eius et publicam et priuatam prorsus subuerteret? ne rumorem quidem eius fraudis tum exstitisse putas? an, si exstitit, ad Ciceronis aures auide talia de aduersariis corripientis non peruenisse? an hunc, qua arderet in Macrum ira et inuidia, suppressisse? sed superest res

---

[1]) Neque hoc mihi persuasit Mommsen l. s. a Licinio Macro ueterum Claudiorum studia popularia obscurata esse. Rectius Ihne h. R. I p. 365: *Mommsen hat den Charakter der Claudier richtig beurtheilt. Nur möchte die Veranlassung zu den Entstellungen der Annalisten nicht, wie Mommsen vermuthet, in dem Parteihasse eines demokratischen Gegners, wie etwa des Licinius Macer, zu suchen sein, sondern in demselben Grimme, der auch einen Sp. Cassius, Sp. Manlius, M. Maelius, weil sie Volksfreunde waren, als Tyrannen verschrieen und sogar das Bestreben der Gracchen in ähnlicher Weise zu schwärzen versucht hat.* cf. p. 394.

grauissima. etenim etiam Q. Aelius Tubero (fr. 6) de consulibus anni 434. 320 testimonium librorum linteorum, atque ex Liuii quidem opinione eorundem, adtulerat, neque eum sua sumpsisse a Macro inde euincitur, quod, etsi uterque libros linteos auctores citauerat, tamen diuersa consulum nomina in eundem annum ediderant. quae cum ita sint, quoniam utrumque libros linteos ementitum esse uix contendes, liberandus est Licinius fraudis illius crimine. immo hi libri ex eorum numero fuisse uidentur, qui post incendium Gallicum ad rerum Romanarum memoriam restituendam descripti sunt, ut qui hos libros conposuere, aut fraudis aut erroris insimulandi sint, non Licinius. Itaque quibus maculis ingenium ac naturam Licinii adspersit Mommsen, hos quidem abstersisse nobis uidemur, auctoritas autem eius, cum aliorum conmentis se decipi passus sit, in primis ubi ex libris linteis testimonia repetit, leuior est.

Minoris facio quod Liuius (fr. 16), posteaquam a. 364. 390 a C. Licinio Caluo T. Quintium Pennum dictatorem dictum esse secundum Macrum rettulit, haec addidit: *Quaesita ea propriae familiae laus leuiorem auctorem Licinium facit.* nimirum ad hanc solam memoriae diuersitatem expediendam illa excogitauit Liuius, neque ex eis adparet, omnino propter hoc familiae studium Liuio Macri auctoritatem leuem uisam esse. Etiam minore negotio Dionysii criminibus eum absoluemus. is enim cum magna sui acuminis admiratione castigat cum multos scriptores, qui temporum rationis parum studiosi quaedam naturae uitaeque humanae legibus repugnantia exposuerint, tum Licinium Macrum, quippe qui Anco Marcio octauum annum regnante Tarquinium Priscum Romam demigrasse (fr. 8), Tarquinium Superbum ipsum in pugna Regillensi pugnasse (fr. 11 *οὐδὲν ἐξητακότες οὔτε τῶν εἰκότων οὔτε τῶν δυνατῶν*), a. 492. 262 Syracusis tyrannum fuisse Dionysium (fr. 12 *οὐδὲν ἐξητακότες τῶν περὶ τοὺς χρόνους ἀκριβῶς, ὡς αὐτὸ δηλοῖ τοὖργον, ἀλλ' εἰκῇ τὸ προστυχὸν ἀποφαινόμενοι*) memoriae tradere non dubitauerit. ex his uero ipsis rebus ad Fabios aliosque illius aetatis scriptores, qui uulgi fabulas repraesentarent, in antiquitatis memoria pertexenda Macrum redire maluisse cognoscimus quam recentiorum artificia, quibus illae res remotae erant, recoquere. qua ratione sequentes aetates inlustrauerit, in tanta fragmentorum paucitate certo discerni nequit.

Denique ut breui dicam quid sentiam, magna cum diligentia in historiae Romanae fontes inquisiuisse uidetur Licinius Macer neque tamen, cum in auctorum grauitate ponderanda acri caruerit iudicio, dignus esse, cui praeter ceteros egregiam fidem habeamus.

Primam uero huius scriptoris notitiam habemus apud Ciceronem l. s. s.[1]), a quo, si Mommsenum sequeremur (chronol. p. 90 sq.), etiam in epistula quadam ad Paetum data Macrum descriptum esse existimandum esset (uid. adn. ad fr. 13). at cum consulum nomina, quos Cicero adfert, ad librorum linteorum auctoritatem redeant, atque etiam alii historici praeter Macrum, ut Q. Aelius Tubero, eisdem usi sint, res admodum dubia et incerta est. quam inique enim Cicero de Macri historia iudicaret, iam uidimus. quid igitur hunc potissimum fontem eum adiisse arbitremur?

Ex insequentis aetatis scriptoribus Liuius septem (fr. 13—19), Dionysius sex locis (fr. 5. 8—12) nominatim Licinium Macrum laudarunt, atque hic eum in nobilium historicorum Romanorum numero posuit (I 7 *οἱ πρὸς αὐτῶν ἐπαινούμενοι Ῥωμαίων*), quorum libros in scribendo adhibuisset. Apud Liuium uero eius usus continetur prima decade, in cuius libris IIII. VII. VIIII. X tantum modo eius mentio facta est. quaeritur, num aliis locis eum consuluisse uideatur. ac de primo quidem et altero libro iam supra antiquiores scriptores Liuio duces primarios fuisse exposuimus[2]), in tertio, credo quia apud illos non satis larga suppetebat materia, ad recentiores degressus esse uidetur primumque ad Valerium Antiatem, cui maiorem libri tertii partem debere uidetur. haud ignoro equidem a Nitzschio (uid. supra p. CCCXI) etiam hanc magnam partem ad Licinii auctoritatem relatam esse, neque tamen, quod iam supra monuimus, mihi id persuasit uir ille doctissimus. nam ut nunc, qua ille inbutus est opinione de Liuii ratione fontes exscribendi, eam minus probandam esse taceam, ne ipsi quidem loci, quibus ma-

---

[1]) Gellio — quae est sententia Kiesslingii de Dion. f. p. 31 — Licinium praecipuum auctorem fuisse, demonstrari non potest. cf. supra p. CCXXXX.

[2]) Nitzsch m. Rh. n. XXIIII p. 155 etiam secundi libri c. 29—32 ad Licinii auctoritatem redire suspicatus est. at uid. supra p. CCCXI.

xime nititur, ut iam in hoc libro Licinium in usum uocatum esse demonstret, quidquam ualent. itaque certa Licinii uestigia non habemus nisi a libro quarto, in quo nescio an hac de causa ad eum Liuius adierit, quod cum intestinas dissensiones descripturus esset, hic potissimum et orationes et largam materiam praebebat. sed utut haec res se habet, in quarto libro praeter Aelium Tuberonem et Valerium Antiatem, qui uno loco de eadem re, de qua etiam Macer, citati sunt, solus Licinius Macer tribus locis — isque semper cum librorum linteorum auctoritate coniunctus — nobis occurrit, aliaque tacite ex eodem sumpta esse uidentur, ut IIII 13, 7 librorum linteorum conmemoratio, quos certe ipsos Liuius non inspexit (cf. fr. 14)[1], c. 8, 7 L. Papirii Mugilani et L. Sempronii Atratini censura, quae tam arte cum eorum consulatu (fr. 13) conexa est, ut utraque res non possit non esse repetita ex eodem auctore (Mommsen chronol. p. 90 sq.). deinde quoniam ceteris locis Liuius haud ita plebi fauet totusque patrum partes amplecti solet, iure uehementer offendunt quae c. 51, 5 de patrum aperta iniuria conqueritur: *Aptissimum tempus fuerat uindicatis seditionibus delenimentum animis Bolani agri diuisionem obici, quo pacto minuissent desiderium agrariae legis, quae possesso per iniuriam agro publico patres pellebat: tunc haec ipsa indignitas angebat animos, non in retinendis modo publicis agris, quos ui teneret, pertinacem nobilitatem esse, sed ne uacuum quidem agrum nuper ex hostibus captum plebi diuidere, mox paucis ut cetera futurum praedae.* quae uerba, nisi secum ipsum pugnasse Liuium putas, explicari non possunt nisi ita, ut temere plebeium aliquem auctorem, i. e. Licinium Macrum, ab eo exscriptum esse existimemus. tum etiam in eis, quae apud Liuium c. 1—7 de lege Canuleia aguntur, multa insunt, quae Macrum auctorem prodere uideantur. neque enim ipse Liuius tales orationes totas finxit. immo plerumque in orationibus conponendis nihil aliud quam lineamenta ab aliis tradita exornauit atque inluminauit (uid. supra p. CCXVIIII). Denique alia si cum Dionysio, qui in libro XI ad Licinium rediit, conparauerimus, Licinii esse uidebimus. in primis quae uterque (Liu.

---

[1]) Infra hunc locum Licinii relliquiis subiunximus, et quia dubitari uix poterit, quin ex Macro sumptus sit, et ut omnia librorum linteorum fragmenta coniuncta haberes.

IIII 12—16. Dionys. XII 1. 2 exc. Esc. p. XXX—XXXV Muell.) de Sp. Maelii causa et nece memoriae prodidit, in multis rebus ita consentiunt[1]), ut sine dubio ex eodem auctore hausta sint. quem, quoniam in his ipsis libris eum ab utroque adhibitum esse constat, et in hac Liuii narratione etiam librorum linteorum facta est mentio (c. 13, 7), quam Macro deberi iam supra conmemorauimus, Macrum fuisse ueri simillimum est. una res, num uerum statuerimus, dubitationem mouet, quod et Liuius et Dionysius Maelium de regno agitasse quasi pro certo ponunt et neuter eius partes defendit. plebeium auctorem id facturum fuisse negabis. recte id quidem. at nonne ipsi illi historici, cum a patribus starent, cum multa tum haec in huius partis gratiam inmutare potuerunt? quam ob rem ut quae apud eos in diuersam partem scripta exstant, plebeii alicuius auctoris, ex quo quasi inuitis ipsis illa fluxerunt, prope certa indicia sunt, ita si in quibus partibus senatui fauent, plebeium auctorem non esse usurpatum uix conliges. accedit quod ipse Liuius in his capitibus uno loco (c. 12, 7) e duobus auctoribus, quos de hac re inspexit[2]) (cf. c. 16, 3), alterum magis plebi studuisse significauit, cum scriberet: *coepere a fame mala, seu aduersus annus frugibus fuit, seu dulcedine contionum et urbis deserto agrorum cultu. nam utrumque traditur*, idemque quosdam tribunos de indigna nece Maelii queri non destitisse conmemorauit (c. 16, 5).

Quae tamen indagauimus Licinii Macri uestigia, omnia conparent in priore libri quarti parte (c. 1—23, 3), in altera, quae bella cum Aequis, Volscis, Veientibus, Fidenatibus aliisque ciuitatibus gesta, raro res intestinas exponit, alium auctorem uidetur secutus esse. nec in sequentibus libris ullo loco Macrum exscriptum esse cernimus praeter eos locos librorum VII. VIIII.[3]) X,

---

[1]) Neque enim magni momenti est, quod apud Liuium c. 12, 7 tribuni plebem haud aduersante senatu perpulerunt, ut L. Minucius praefectus annonae crearetur, apud Dionys. p. XXXI senatus consulto id factum est.

[2]) Ibidem Liuius de L. Minucio rem quandam, quam apud quosdam auctores se inuenisse scribit, ex 'falso imaginis titulo' refellit. quae laudatio ut a Liuii fontium studio abhorret, ita Licinii antiquitatis studium prodit. itaque forsitan tota haec de L. Minucii tribunatu et conmemoratio et refutatio ex Macro manauerit.

[3]) Vbi in hoc libro (fr. 18) Macer laudatus est, tenor narrationis

quibus nominatim laudatur, et alium libri X locum, quo et Licinius et Tubero significantur. est is in cap. 11, 9, ubi quod haec scripsit de anno 299. 455: *Caritas etiam annonae sollicitam ciuitatem habuit, uentumque ad inopiae ultimum foret, ut scripsere quibus aedilem fuisse eo anno Fabium Maximum placet, ni eius uiri cura, qualis in bellicis rebus multis tempestatibus fuerat, talis domi tum in annonae dispensatione praeparando ac conuehendo frumento fuisset*, aperte ad illos auctores respicit, ex quibus in cap. 9 (fr. 19) in eum annum Q. Fabium aedilem factum esse rettulerat. atque haec quidem hactenus.

Multo uero plura Licinii fragmenta ex Liuio elicere eidemque certiora de annalium eius indole credo proferre possemus, nisi casu ita accidisset, ut tum demum Liuius eis uti coepisset, ubi integri Dionysii libri desunt. nunc uno tantum modo loco, qui est in fine libri XI Dionysii et in principio libri IIII Liuii (fr. 13 c. adn.), quae partes ab illis historicis secundum Macrum pertextae sunt, inter se contingunt. Sed D i o n y s i u s eum citauit (tribus locis fr. 8. 11. 12 cum Gellio consociatum) in libris II. IIII. V (bis). VI. VII et sine dubio exscripsit extr. lib. XI (uid. adn. fr. 13). tum quae de bellis ab Anco gestis II 38 et 39 memoriae tradidit, aut ex Macro aut ex Gellio tracta esse fragmento 8 conparato conputauit Kiesssling d. Dion. font. p. 30 sq. idemque p. 33 cum Liebaldtio p. 15 foedus Gabinum (IIII 58) et Schweglerum (II p. 308) secutus foedus a Cassio cum Latinis ictum (VI 95) ad Macri auctoritatem de coniectura rettulit. hoc enim monumentum in columna aenea insculptum Cicero cum pro Balbo (23, 53) diceret, meminit *post rostra incisum et perscriptum fuisse*, tum igitur ipse uidere non potuit, multoque minus quinquaginta fere annis post Dionysius. qui quod nihilo minus, quid in illo scriptum esset, inseruit, aperte alii auctori eius notitiam debet. hunc uero auctorem neminem certe ueri est similius fuisse quam Macrum. Etiam longius progressus Nitzsch (m. Rh. n. XXIII p. 614. XXIIII p. 145 sqq.) totos libros V—VIIII magnam partem auctoritate Macri niti suspicatus est. qua coniectura uerum se adsecutum esse uereor, ut multis conprobet et

secundum Pisonem pertextus sit. etiam in libro X postquam c. 9 (fr. 19) Macrum nominatim adtulit, c. 13 Pisonem tacite exscribere uidetur. uid. supra p. CLXXXXVIIII.

persuadeat. magis enim incerta et lubrica est res, quam in qua certi aliquid statuatur, etsi facile concedo, multo pluribus locis a Dionysio Licinium Macrum excerptum esse quam nunc dignosci potest.

Ex eis scriptoribus, qui Hadriani aetate hos antiquos historicos Liuio praelatos lectitabant et excerpebant thesaurosque suos ad nostram aetatem propagauere, nemo Licinium laudauit. nam qui praeter Liuium et Dionysium eius fragmenta seruauerunt, omnes multo post illos fuere. quin etiam unum ex his (fr. 2) etiam in Malalae libros, unde in chronicon Paschale receptum est (uid. adn.), manauit, ita tamen ut, quibus riuulis manauerit, cerni nequeat. cetera fragmenta habes apud Diomedem (adn. ad fr. 22), Priscianum (fr. 7. 20. 22. 26)[1]), Nonium (21. 23. 24. 25), quae nescio an debeantur grammaticorum, qui post Probum Berytium exemplis ex diuersis scriptoribus conligendis operam dedere, diligentiae et adsiduitati, denique apud Censorinum (3) et Macrobium (1. 4), qui eis locis, ubi inserta sunt, Varrone uidentur usi esse.

Denique ne neglegentiae nos insimules, hoc moneo consilio e numero fragmentorum, quae habes apud Krausium et Rothium, explosum esse hocce, quod est apud Solinum (c. 2, 12): *Licinio placet a Messapo Graeco Messapiae datam originem, uersam postmodum in nomen Calabriae quam in exordio Oenotri frater Peucetius Peucetiam nominauerat.* ubi de nomine auctoris has adnotauit discrepantias Mommsen: '*Liciniano* L²G B P. *liciano* L². *Luciniano* A. *Lutiniano* S. *lucinio* H.' quibus heptadis Bonnensis opinio firmari uideatur in Granii Liciniani fragmentis illa uerba ponentis (p. 47). at eandem rem habes expositam in Plinii naturali historia III 99: *Graeci Messapiam a duce appellauere et ante Peucetiam a Peucetio Oenotri fratre in Sallentino agro.* uides igitur ex ea quae intercedit inter Plinium et Solinum cognatione, eundem auctorem esse descriptum a Plinio quem a Solino. in Plinii autem auctoribus non inuenitur Granius Licinianus, contra saepissime ab eo est adhibitus Licinius Mucianus, modo sic

---

[1]) Liebaldt p. 14 etiam alium locum, ut opinabatur, ex Prisciano citauit (I p. 545 P. 13 H.): *Auctoritas quoque tam Varronis quam Macri teste Censorino nec k nec q nec h in numero adhibet literarum.* is tamen non est Licinius sed Pompeius Macer, 'cui ordinandas bibliothecas delegauerat' Augustus (Sueton. Caes. 56). cf. Hertz a. h. l.

(in ind. libr. III. IIII. V. VI. VII. V 83. VII 36. VIIII 68), modo simpliciter Mucianus appellatus, qui librum Pliniano simillimum de naturali historia conposuerat atque etiam in tertii libri indice, in quo illa de Messapiae nomine protulit Plinius, recensetur. itaque nullus dubito, quin apud Solinum quoque hic Licinius Mucianus sit intellegendus, et apud eum aut *Licinio* sit scribendum aut, quod mihi magis placet, *Licini*[*o Muci*]*ano*. quae scriptura nescio an conmendetur quorundam codicum scripturis *luciniano* uel *lutiniano* uel *lucinio*. neque quidquam ualet contra hanc sententiam Isidori inscientia, qui rem ipsam ad uerbum ex Solino transtulit, pro auctoris tamen nomine nescio quem historicum in animo habens scripsit *historiis* [an *historicis?*] *placet*.

Contra alia fragmenta, etsi a quibusdam inpugnata esse non ignorabamus, suos locos obtinere uoluimus, primum fr. 23, quod Vossius (de hist. lat. I c. 8) et Weichert (poet. lat. rel. p. 93) propter tituli similitudinem (uid. supra p. CCLXXXVIII) ad Clodii Licini res Romanas rettulere. sed cum hunc Clodium Licinum, scriptorem perraro conmemoratum, Nonius, apud quem illud fr. exstat, non nouerit, certe nusquam citauerit, ex Licinio Macro autem etiam alia exempla adtulerit, illa uarietas in titulo laudando non est tanta, ut pro Licinii nomine scribendum sit Licini, praesertim cum hic aut Clodius aut Clodius Licinus nominari soleat (Liebaldt p. 11 adn. 1). Difficilius lis est dirimenda inter Licinium Macrum et Aemilium Macrum poetam, qui haud raro inter se confusi sunt. atque apud Nonium quidem (s. u. prosecta p. 220) nulla est dubitatio, quin, cum *Licinium Macrum in Hornithogonia* adferret, Nicandri illum imitatorem suis uerbis spoliauerit, nec apud Priscianum (fr. 22), quoniam annalium inscriptio (cf. fr. 7) addita est, Weicherto (p. L. rel. p. 92) pro Aemilio Macro Licinium Macrum, quamquam Diomedes Aemilii nomen tueri uideatur, substituenti non adstipulaberis. Num uero Plinii uerba mutanda sint, controuersia est. in huius enim indicibus libr. VIIII. X. XI. XVII exstat Aemilii Macri nomen, in ind. libr. XVIIII. XXI. XXII. XXVIII. XXVIIII. XXX. XXXII Licinii Macri, quae diuisio, quamquam per se sane mira est, tamen nos de librorum deprauatione cogitare non coget. iam ei loci, quibus in ipsa enarratione Aemilii uel Licinii auctoritates nobis occurrunt, sunt hice libri XXXII 9: *Homines quibus inpactus* (*lepus marinus*) *est piscem olent, hoc primo argumento ueneficium id*

deprehenditur. ceterum moriuntur totidem in diebus quot uixerit lepus, incertique temporis ueneficium id esse auctor est Licinius Macer. et § 14: *Licinius Macer murenas feminini tantum sexus esse tradit et concipere e serpentibus, ut diximus; ob id sibilo a piscatoribus tamquam a serpentibus euocari et capi, et pinguescere iactatu, fusti non interimi, easdem ferula protinus.* quorum uerborum argumenta ut prorsus abhorrent ab annalibus, ita optime quadrant in carmina scriptoris alicuius, qui Nicandrum imitatus (Quint. inst. X 1, 56) talia conposuerit qualia ille, *Θηριακὰ* uel *Ἀλεξιφάρμακα.* cf. Ouid. trist. IIII 10, 43:

Saepe suas uolucres legit mihi grandior aeuo
quaeque necet serpens, quae iuuet herba, Macer.

tum pro hac sententia faciunt argumenta librorum, in quorum indicibus Licinius Macer auctor inuenitur: XVIIII de herbarum quarundam et radicum naturis. XXI continentur naturae florum et coronamentorum. XXII auctoritas herbarum. XXVIII—XXX medicinae ex animalibus. XXXII medicinae ex aquatilibus. Possis suspicari Licinium Macrum quendam de eisdem rebus scripsisse de quibus Aemilium. sed id et per se parum est credibile et ea re refellitur, quod is locus, quo § 14 respicit Plinius, est in libro VIIII (§ 76), in huius autem libri elencho non Licinii sed Aemilii Macri nomen adlatum est. quid plura? quamuis repugnante Liebaldtio (p. 12 sq.) haud iniuria Ungerum (*de Aemil. Macro* p. 15. *de Valgio Rufo* p. 211) omnibus illis locis Licinii nomine expuncto, quod siue ipsius Plinii siue librariorum errore intrusum sit, Aemilium Macrum reponendum esse iudicabis.[1])

---

[1]) Eadem est sententia Brunnii *de ind. Plin.* p. 30 et Rothii.

L. VOLTACILIVS PLOTVS

Quae de hoc scriptore accepimus, uno Suetonii loco continentur, cuius haec sunt uerba (*de gram. et rhet.* 27 p. 124 Rf.): *L. Voltacilius Plotus seruisse dicitur atque etiam ostiarius uetere more in catena fuisse, donec ob ingenium et studium litterarum manu missus accusanti patrono subscripsit. deinde rhetoricam professus Cn. Pompeium Magnum docuit patrisque eius res gestas nec minus ipsius compluribus libris exposuit, primus omnium libertinorum, ut Cornelius Nepos opinatur, scribere historiam orsus, nonnisi ab honestissimo quoque scribi solitam ad id tempus.* ex quo sua descripsit Hieronymus (ad ol. 174, 4; a. u. c. 673; a Chr. n. 81), falso[1]) Cn. Pompeii libertum eum fuisse adiciens: *Voltacilius Plotus latinus rhetor Cn. Pompei libertus et doctor scholam Romae aperuit.* Fuit igitur Sullae fere aequalis, nam Cn. Pompeius natus est a. 106. 648, atque ex eorum scriptorum grege fuisse existimandus est, qui Magni res, quoad uiuebat, in eius honorem magno cum studio enarrarent. quam ob rem quod eius memoria paene tota deperiit, haud ita dolendum esse uideatur.

Nomen tamen diu Otacilius Pilutus scribebatur, donec C. L. Roth secutus Perizonium pro Otacilio Voltacilium ex indice, qui Suetonii de gram. et rhet. libro praemissus est, et ex Hieronymo substituit, pro Piluto, quae est scriptura librorum mss. Suetonianorum, Reifferscheid ex Hieronymo Plotum.[2])

---

[1]) Mommsen *Abhandl. d. sächs. Gesellsch. d. Wiss.* I (1850) p. 675.

[2]) Hic adposui librorum mss. uarietatem ex Reifferscheidi editione: in indice p. 99 *Volcacilius* cod. Ottobon. *Voltatilius* Vatic. 1518. *Pilutus* Vatic. 1862. Gudian. *plut'* Ottob. *Pilatus* Leid. — in contextu p. 124 *Oltacilius* Vatic. 1862 Ottob. *Octacilius* Neap. Gud. Vat. 1518. *Otacilius* Leid. *Vultacius* cod. Hieron. B. *Vulcacilius* cod. Hieron. P. — *Pilutus* libri Suet.

Q. AELIVS TVBERO

Aeliorum Tuberonum familia per conplura saecula floruit et doctrinae et litterarum laude, primusque, de quo conpertum habeamus, Q. Aelius Tubero, Aemiliae Africanae minoris sororis filius, L. Aemilii Pauli nepos, inclaruit. is totum se addixerat Stoicae uitae ac disciplinae, usque adeo, ut non solum domi seuerus ac parcus esset sed etiam publice, cum Africani mors honestanda esset, summam ostentaret simplicitatem. in re publica stabat ab optimatibus, ut Tib. Gracchum, cum eius amicus fuisset, rem p. uexantem derelinqueret et postea in Gaium fratrem haud frustra conplures orationes haberet. neque tamen, ut ait Cicero, maiorum honoribus respondere potuit. erat enim ut uita sic etiam oratione durus, incultus, horridus, neque placuit Stoica eius iactatio populo, qui peruersam illam sapientiam in morte Africani celebranda tam grauiter tulit, ut praeturae spe eum deiceret. num postea eam adeptus sit et ad summum honorem escenderit, nescimus. nam apud Ciceronem, cui pleraque de eo debemus (Brut. 31, 117. p. Muren. 36, 75. Lael. 11, 37. 27. 101), nusquam eius magistratuum fit mentio, nisi eum tribunatu functum esse.[1]) itaque uix fides est habenda Pomponio (de orig. iur. 40 p. 4 Momms.), eum consulem fuisse scribenti, cum, praeterquam quod nusquam alibi in consulibus eius nomen refertur, cum Ciceronis uerbis, quae supra adtigimus, discrepet.

Multo maius eius fuit nomen in litteris, quibus dies noctesque summa cum adsiduitate operam dabat. atque primum quidem audiebat Publium Mucium et Brutum et Manilium, qui ius ciuile fundauerant (Pompon. l. s. s.), tum uero Panaetium philosophum, inter cuius discipulos praecipuum locum obtinuisse

---

[1]) Recte enim Schuetz Brut. l. s. pro triumuiratu, quae codicum scriptura explicari nequit, substituit tribunatum.

uidetur, cum non solum eius condiscipuli sed etiam ipse Panaetius libros quosdam ad eum miserint.[1])

Huius forsitan nepos fuerit L. Tubero, ei et uita et doctrina similis, cum Cicerone una domi eruditus, in militia contubernalis, post adfinis[2]), eorundem studiorum uinculo coniunctus, in omni denique uita familiaris (Cic. pro Ligar. 4, 10). is Q. Ciceronem, cum a. 61. 693 in Africam prouinciam abiret, legatus secutus est (Cic. ad Quint. fr. I 1, 3, 10) et quattuor annis post ex Africa decedens ea re de Marco bene meritus est, quod quas insidias ab exulibus coniuratis ei paratas esse audiuerat, ad eum Thessalonicam detulit (Cic. pro Planc. 41, 100. cf. Drumann V p. 642). bello ciuili exorto ex senatus consulto Africam prouinciam sortitus cum filio iuuene eo profectus est. interea tamen P. Attius Varus prouinciam iam occupauerat, eiusque iussu Q. Ligarius Tuberonem Vticam uenientem, etsi filius ualetudine adfectus erat, portu atque oppido prohibuit, quare ille sublatis ancoris ad Cn. Pompeium in Macedoniam se contulit, ubi filius armatus pugnae Pharsalicae interfuit (Caes. b. c. I 6. Cic. p. Ligar. 8, 23 sqq.). tum uero uenia a Caesare uictore inpetrata Romam reuersi Q. Ligarii odio ita indulserunt, ut, cum ne ex exilio reuocaretur, timerent, Q. Tubero apud eundem Caesarem dictatorem, quocum ipse armis congressus erat, Q. Ligarium, quod in aduersariorum parte fuisset, accusaret (a. 46. 708). atque hic quidem et Caesaris clementia et Ciceronis deprecatione absolutus est, Q. autem Tubero cum rem non obtinuisset apud Caesarem, a causis agendis ad ius ciuile transiit (Pompon. d. or. iur. § 46. Zimmern, *Geschichte d. röm. Privatrechts* p. 282 sq. 300 sq.).

De ceteris eorum uitis nihil est memoriae traditum. nam is Q. Tubero, qui consul fuit a. 11. 743 (C. I. L. I n. 799) temere confusus est cum Quinto Lucii filio (Krause p. 324). fuit enim Quinti filius (fast. Momms. p. 547), uideturque ad eundem Dionysius Halicarnasensis ab ipso admonitus librum, qui inscribitur *περὶ τοῦ Θουκυδίδου χαρακτῆρος*, misisse (c. 1, 2. 55, 3. cf. *quae*

---

[1]) Cic. de orat. III 23, 87. de offic. III 15, 63. de fin. IIII 9, 23. Tuscul. IIII 2, 4 cf. acad. II 44, 135.

[2]) De hac adfinitate cf. Drumann V p. 214 n. 55.

Thucyd. propr. sint 1, 1). Sed reuertamur ad L. Tuberonis studia litterarum. fuit enim etiam hic, ut Quintus maior, philosophus neque is ignobilis, id quod uidemus et ex Photii bibl. cod. 212 p. 169 Bk.: *γράφει δὲ τοὺς λόγους* (*Πυῤῥωνίους*) *Αἰνησίδημος προσφωνῶν αὐτοὺς τῶν ἐξ Ἀκαδημίας τινὶ συναιρεσιώτῃ Λευκίῳ Τοβέρωνι* (sic enim cod. A., *Νέρωνι* uulgabatur), *γένος μὲν Ῥωμαίῳ, δόξῃ δὲ λαμπρῷ ἐκ προγόνων καὶ πολιτικὰς ἀρχὰς οὐ τὰς τυχούσας μετιόντι*, et ex eo quod Varro unum ex logistoricis inscripsit *Tubero de origine humana* (Ritschl *de logist.* ind. lect. hib. 1845. Bonn. p. IIII. XI). Sed eundem historiae operam dedisse discimus ex eis quae a. 60. 694 Cicero ad Q. fratrem scripsit (I 1, 3, 10): *Quamquam legatos habes eos, qui ipsi per se habituri sint rationem dignitatis tuae, de quibus honore et dignitate et aetate praestat Tubero, quem ego arbitror, praesertim cum scribat historiam, multos ex suis annalibus posse deligere, quos uelit et possit imitari.*[1]) Denique de Quinti filii studiis hoc habemus Pomponii testimonium (de or. § 46): *Post hos Quintus* [sic emendauit Mommsen, *quoque* libri] *Tubero fuit, qui Ofilio operam dedit. fuit autem patricius* [*patronus* scr. Mommsen] *et transiit a causis agendis ad ius ciuile, maxime postquam Q. Ligarium accusauit nec optinuit apud Gaium Caesarem.* (cf. Quint. XI 1, 23. XI 1, 78, Meyer orat. rel. p. 501 sq.). — *Tubero doctissimus quidem habitus est iuris publici et priuati et complures utriusque operis libros reliquit: sermone etiam* [*tamen* Momms.] *antiquo usus affectauit scribere et ideo parum libri eius grati habentur.*

Iam quaeritur, ad quosnam Tuberones pertineant libri, quorum notitia ad nos peruenit. in qua quaestione proficiscimur ab

---

[1]) A Plutarcho in uit. Luc. 39 Tuberonis Stoici (*τοῦ Στωϊκοῦ Τουβέρωνος*) dictum aliquod adfertur, quo cum Licinii Luculli opera et substructiones Neapoli uidisset, eum Xerxem togatum adpellauerat. sed cum illa aetate is Tubero, qui praeter ceteros Stoicus nominabatur, iam diu mortuus esset, pro *Στωϊκὸς* Ruhnken ad Vell. II 33 substituit *ἱστορικός*. atque in hoc quidem recte Stoicum illum non posse intellegi Ruhnken animaduertit, neque debebat Sintenis in ed. mai. a. h. l. rursus de eo cogitare, coniectura autem eius non est probanda. ego per errorem a Plutarcho hunc Lucium, qui erat academicus, Stoicum dictum esse censeo. Ceterum Plinius n. h. VIIII 170 hoc apophthegma Pompeio Magno uindicat.

hoc Gellii loco (I 22, 7): *M. autem Cicero in libro, qui inscriptus est 'de iure ciuili in artem redigendo,' uerba haec posuit: 'Nec uero scientia iuris maioribus suis Q. Aelius Tubero defuit, doctrina etiam superfuit.' in quo loco 'superfuit' significare uidetur 'supra fuit et praestitit superauitque maiores suos doctrina sua, superfluenti tamen et nimis abundanti.' disciplinas enim Tubero stoicas et dialecticas percalluerat.* Hic fuerunt quidem qui Q. Aelium minorem a Cicerone dictum esse arbitrarentur, at nullo pacto sic loqui potuit Cicero de homine etiam tum uiuente (Nipperdey Philol. VI p. 137), neque cum intellexit Gellius, cum stoicum eum fuisse adderet. habuit igitur in animo Cicero Q. Aelium maiorem stoicum. sed supersunt tres alii Gellii loci, de quibus nunc disputandum est. eorum uno (XIIII 8, 2) haec sunt uerba in Hertzii editione: *M. autem Varro in quarto epistulicarum quaestionum et Ateius Capito in coniectaneorum* (*col*) *VIIII, ius esse praefecto senatus habendi dicunt; deque ea re adsensum esse Capito* [*Varro*]*nem Tuberoni contra sententiam Iunii refert: 'Nam et tribunis' inquit 'plebis senatus habendi ius erat, quamquam senatores non essent, ante Atinium plebiscitum'.* unde, quoniam sine dubio haec scriptura uulgatae praeferenda est, hinc autem Varroni illum Tuberonis locum notum fuisse adparet, non solum hic Quinti Aelii maioris librum aliquem excerptum esse conligitur, sed etiam capite antecedente § 12: *Sed quod ait* (Varro) *senatus consultum duobus modis fieri solere, aut conquisitis sententiis aut per discessionem, parum conuenire uidetur cum eo, quod Ateius Capito in coniectaneis scriptum reliquit. nam in libro* (*col*) *VIIII Tuberonem dicere ait, nullum senatus consultum fieri posse non discessione facta, quia in omnibus senatus consultis, etiam in iis, quae per relationem fierent, discessio esset necessaria, idque ipse Capito uerum esse adfirmat.* uter tamen Aelius Tubero praecepta de officio iudicis, quae Gellius XIIII 2, 20 se nuperrime legisse adfirmat, conposuerit, discerni non potest. at in digestis (XXXII 29, 4. XXXIII 6, 7. 10, 7, 1. 2, quos locos sumpsi ex Teuffel. *Röm. Litteraturgesch.* p. 341) minorem Tuberonem dictum esse ueri similius est. quem ad modum enim a Pomponio (l. s.) Quintus Aelius minor, sic hic uno loco (XXXIII 6, 7) post Ofilium et Cascellium, scriptores Caesaris aequales, recensetur.

Praeter hos uero libros de iure conscriptos etiam historiae

Tuberonis alicuius a Liuio, Dionysio, Gellio[1]), Charisio, Nonio laudantur. Lucii Aelii, Ciceronis aequalis, inquies memor loci illius Ciceronis, quippe quo hunc historiae operam dedisse compertum habeamus; at obstat, quod Liuius Quinti nomen adscripsit[2]), neque ulla est causa, cur historiarum fragmenta illa diuisa alia ad Quintum, alia ad Lucium referamus. immo Dionysius (fr. 3), qui arta consuetudine coniunctus erat cum Tuberonum familia, unum tantum modo rerum scriptorem, cui nomen esset Aelio Tuberoni, uidetur nouisse. nam si plures, non sic simpliciter praenomine omisso scripsisset *Τουβέρων Αἴλιος, δεινὸς ἀνὴρ καὶ περὶ τὴν συναγωγὴν τῆς ἱστορίας ἐπιμελής.*[3]) itaque non esse editas historias a Lucio existimandum est[4]), atque historias illas, quarum fragmenta habemus, referenda ad Q. alicuius Tuberonis auctoritatem. ex quibus ut Quintum minorem praeferrem, non tam hoc me inpulit, quod Cicero ubi de Quinti maioris studio litterarum disputauit, nihil de eius historia dixit — hoc enim etiam aliis rerum scriptoribus accidit, uid. supra p. CCCXXXVIII —, quam quod Liuius utroque loco post scriptores, qui Quinto stoico multo erant minores, eum posuit et illa Gracchorum aetate quemquam tales fontes, quales libri lintei erant, adhibuisse parum credibile est. Haec uero si probaueris, etiam Suetonio quaedam de Caesaris testamento secundum Q. Tuberonem narranti hunc eundem ante oculos fuisse concedes.[5])

Tum liber quidam Aelii Tuberonis ad C. Oppium scriptus a Probo Berytio (ap. Gell. VI (VII) 9, 11) citatus est, qui quin ab

---

[1]) In quibusdam codd. fr. 4 nescio quo casu *K* ante Tuberonis nomen intrusum est. uid. conm. crit.

[2]) Hunc Liuii locum neglexit Vossius I c. 12 p. 56, cum Lucium has historias condidisse diceret. eum redarguit Lachmann de f. L. I p. 40. II p. 26. ego in plerisque secutus sum Nipperdeyum Phil. VI p. 137 sq.

[3]) Lib. I c. 7 ubi Aelios, Gellios, Calpurnios auctores sibi fuisse scripsit, singulos illorum nominum scriptores intellegendos esse iam identidem monuimus.

[4]) Is L. Aelius, quem Gellius V 21, 6 post M. Catonem, Q. Claudium, Valerium Antiatem cum P. Nigidio et M. Varrone testem citat, non est Tubero, ut Krausio p. 322 placet, sed Stilo. cf. Kretzschmer *de Gell. font.* p. 41.

[5]) Nihil enim est cur haec cum Bernhardyio hist. litt. Rom. p. 646 non ex historiis sed ex alio eius libro fluxisse arbitreris.

hoc conpositus sit uix dubitabitur, praesertim cum forma antiqua *occecurrerit* usus sit. sed quod eius fuerit argumentum, incertum est. Denique ante Plinii aetatem aliquis Q. Tubero de astris uel de simili re scripsit. cf. Plin. XVIII 235: *VIII kalendas* (Februarias) *stella regia appellata Tuberoni in pectore leonis occidit matutino et pridie nonas Februarias fidicula uesperi*, et schol. German. p. 132 Breys. *Illa autem, quae in pectore eius est, clara et magna appellatur* regia *Tuberoni.* nam haec in historiarum relliquiis ponere et argumento uetamur et societate adiuncta L. Tarutii, 'qui Graece de astris scripsit,' et Caesaris dictatoris, 'qui item', quibuscum in indice eius libri coniunctus a Plinio prolatus est. hinc uero etiam in libr. II et XXXVIII indicibus Q. Tuberonis non historias sed astronomicum aliquem librum significatum esse adparet.[1])

Sed Q. Tuberonis libros historias inscriptos esse, omnium scriptorum consensu (Gell. fr. 4. 8. 9. Charis. 5. Non. 1. 10), qui inscriptionem addiderunt, constat. libri minimum fuerunt quattuordecim, res Romanae a Troia euersa repetitae (fr. 2) — tum enim magno cum studio in res Troianas inquirebatur, a Tuberone autem, ut uidetur, ita ut mythicum colorem abstergeret (fr. 2) — et deductae sunt usque ad belli ciuilis inter Caesarem et Pompeii gesti initium (fr. 11). primo autem libro peruenerat minimum usque ad Seruium Tullium (fr. 4), sed qua ratione ceteras res in singulos libros diuiserit, incertum est. fragmento enim 4 excepto unum, quod ad quam rem pertineat cernimus, addito libri numero ad nos propagatum est, fr. 8, quo Atilii Reguli supplicium crudelissimum expositum est. exstat enim hoc in cap. quarto libri Gelliani VII (VI) sic inscripto: *Quid idem Tubero nouae historiae de Atilio Regulo a Karthaginiensibus capto litteris mandauerit*, ubi, cum quid sibi uellet *nouae historiae* perspici nequiret, Gronouius cum magna probabilitatis specie *nona historia* coniecit fragmentumque illud suo libro tribuit.

'Sermone tamen antiquo usus affectauit scribere', ut ait Pomponius l. s. l., confirmaturque hoc iudicium eis formis, quas Nonius et Charisius ex historiis notauerunt. Auctoritas uero eius magni a Dionysio aestimata est, cum diceret (fr. 3) *Του-*

---

[1]) In lib. II ind. sequitur Tubero Titum Caesarem imperatorem, qui de acontia cometa perscripsit praeclaro carmine (II 89).

βέρων Αἴλιος, δεινὸς ἀνὴρ καὶ περὶ τὴν συναγωγὴν τῆς ἱστορίας ἐπιμελής. et quamuis librorum linteorum, quos tamen caute adhibuit (fr. 6), fides leuis esse uideatur, tamen hinc adparet ab eo, cum non satis haberet annales descripsisse, etiam alia monumenta indagata et in usum uocata esse. Praeterea ne Ciceronis de Lucii Tuberonis historia uerba illa prorsus contempta iacerent, Lachmann (d. f. L. I p. 40 sq.), Gerlach (*Geschichtschr.* p. 115), alii historias a Lucio patre inchoatas a Quinto filio a finem perductas esse suspicati sunt. sed haec coniectura omni certo fundamento caret. quae enim res ad Quinti Tuberonis auctoritatem a Liuio relata est (fr. 6), est ex anno 434. 320 (Nipperdey l. s.). quamquam ea quae pater conlegerat a filio non neglecta esse ueri simile est.

Prima Q. Tuberonis uestigia habemus apud Dionysium, qui in libro I semel (fr. 3), et apud Liuium, qui in libris IIII et X singulis locis (fr. 6. 7) nominatim eum citauit. num autem in auctorum, quos frequenter adhibuerunt, numero ponendus sit, in tanta fragmentorum tenuitate diiudicari non potest. nam Liuius lib. X c. 11, ubi famae cuiusdam, quam antea (fr. 7) ex Licinio Macro et Tuberone protulerat, meminit, etiam Licinium solum ante se habere potuit (uid. supra p. CCCL), nec in libro XVIII Tuberonem exscriptum esse pro certo adfirmauerim (adn. ad fr. 9). hoc unum constat, ab utroque eius auctoritatem haud esse spretam. tum a Suetonio eius mentio fit (fr. 11), sed Hadriani aetate, quamquam alii eiusdem generis scriptores resuscitabantur, si Pomponio (cf. l. s. l.) fides est, cum nimis antiquitatem prae se ferret, haud ita amatus et lectitatus est. quam ob rem solus Gellius (4. 8. 9) tria historiarum fragmenta ex eo adtulit. etiam apud posteriores scriptores rara nobis eius uestigia occurrunt, apud Charisium (fr. 5) et Seruium singulis locis (fr. 2), apud Nonium duobus (fr. 1. 10). praeterea per argumentum nil obstat, quominus duo fragmenta, quae libro non addito sub Tuberonis auctoritate ad nos peruenerunt, unum apud Seruium (13), alterum apud Donatum (fr. 12), ex historiis excerpta esse existimemus.

PROCILIVS

Varro in eis libris, quos de lingua latina conposuit, bis Procilii cuiusdam scriptoris auctoritate nititur atque secundum eum et fabulam illam notissimam de Curtii morte narrat (fr. 1), et, unde intimus circus *ad Murcim* uocatus sit, refert (fr. 3). praeterea eundem Procilium, ut uidetur, de Pompeii triumpho Africo adhibet Plinius (fr. 2)[1], denique Asconius (fr. 4), qui eum consociat cum Oppio rerum scriptore, apud eum se legisse scribit, apud quaesturam aut legationem prouincialium querelas depositas esse; ex quorum testimoniorum coniuncta ui in historicorum Romanorum numero Procilium esse ponendum magna cum probabilitate efficitur. accedit quod Cicero (ad Att. II 2, 2 scr. a. 60. 694) postquam Dicaearchi *Πελληναίων* mentionem fecit, haec ad Dicaearchum laudandum addit: *O magnum hominem et a quo multo plura didiceris quam de Procilio. Κορινθίων et Ἀθηναίων puto me Romae habere*, itaque significauit, Procilium libros scripsisse, qui illis Dicaearchi similes essent, id est *πολιτείας* uel historias[2]) (Mueller *fr. hist. Gr.* II p. 241).

Adcuratiora de eis uix poterunt definiri, nisi, si res Romanae temporum ratione pertextae erant, antiquitates non esse neglectas, quod studium et multum exercitatum est a Dicaearcho (Mueller l. s. p. 228) et illa aetate Romae uigebat. scripsit enim Procilius inter annos 81. 673, quo anno Pompeius triumphum Africum egit (fr. 2), et a. 60. 694, quo anno Cicero eum ut scriptorem tum satis notum conmemorat.

---

[1]) Praeterea eum recenset Plinius in libr. XII et XIII indicibus, neque tamen probo, quae Brunn *de indic. Plin.* p. 21 de Fabii et Procilii nominibus coniungendis disputauit.

[2]) Quod Orelli onomast. p. 497 ex hoc ipso loco geographica a Procilio scripta esse conlegit, orationis tenorem neglexit. alio loco ad Attic. VI 2, 3 Cicero Dicaearchum *ἱστορικώτατον* fuisse dicit.

Atque hi quidem sunt loci, quibus eius librorum mentio facta sit, quibus ut alios, ubi eius certa uestigia deprehendissem, adiungerem non contigit, sed facere non possum, quin eadem illa aetate etiam in re publica Procilium quendam uersatum esse addam, quem, cum Procilii nomen tam rarum fuerit, ut Manutius quidem Prociliam familiam ex familiarum Romanarum numero omnino eicere uellet, eundem fuisse cum scriptore illo non abhorret a ueri similitudine. is enim fuit tribunus pl. a. 56. 698 cum C. Catone et Nonio Sufenate, qui, ut Pompeius et Crassus consulatum adipiscerentur, multa per uim fecerant, ex quibus tertio anno post, cum ea de causa postulati essent, Sufenas et Cato sunt absoluti, Procilius condemnatus. accusauerat P. Clodius, cuius animum offendere Cicero ueritus filiae morbo quodam praetexto reo defuit eumque defendendum reliquit Hortensio (Cic. ad Att. IIII 15, 4, cf. Drumann II p. 334. III p. 99 sq.). praeterea forsitan eiusdem nomen extiterit in titulo quodam a. 59. 695 (Momms. C. I. L. I n. 729), et in numo quodam inter annos 74. 680 et 69. 685 defosso (n. 455. p. 138), ex quo Lucio ei praenomen fuisse intellexerimus.[1])

---

[1]) Quaestura eius, qua a. 61. 693 eum functum esse scribunt Orelli onom. p. 497, Gerlach *Geschichtschr.* p. 92, alii, ad Pighii ingenium redit (ann. III p. 343).

SCRIBONIVS LIBO

Cicero ut sciret, qui decem legati Mummio post euersam Corinthum (a. 146. 608) fuissent, duobus locis epistularum suarum (fr. 1. 2) Libonis annalem se in manus sumpsisse dicit, qui quidem annalis nusquam alibi conmemoratur, ut nihil nisi hoc unum certo constet, eum scriptum esse ante a. 45. 709, quo illae litterae ad Atticum datae sunt. amplus igitur patet coniecturis campus. atque Vossius quidem, quem secuti sunt Krause p. 138, Baehr, *Röm. Litteraturg.* II p. 20. 212, Closset p. 464, alii, de L. Scribonio Libone cogitauit, qui acerrime suadente Galba a. 149. 605 tribunus plebis rogationem promulgauit, 'ut Lusitani, qui in fidem populi Romani dediti ab Ser. Galba in Galliam uenissent, in libertatem restituerentur' (Liu. per. 49), quem non infantem fuisse ex orationibus intellegi posse Cicero in Bruto (23, 90) adfirmat. rectius tamen Schweighaeuser ad Appian. b. c. III 77 L. Scribonium Libonem, Sexti Pompeii socerum, illum annalem condidisse coniecit probauitque M. Hertzio, qui docta et diligenti disputatione eam rem, quoad fieri potuit, stabiliuit (*de Liu. fragm. conment. part. II.* ind. lect. hib. Vratisl. 1864 p. 13—17). ille enim amicus fuit Pompeii Magni belloque ciuili orto eius partes secutus est. in ipso bello classi cuidam praefectus primo Dolabellam ex Dalmatia pepulit Gaiumque Antonium cepit, tum uero frustra inpedire studuit, ut Antonius Brundusio in Graeciam traiceret. gratissimam tamen operam et Pompeio et rei publicae hanc praebuit, ut paci conciliandae operam daret, primo frustra inter Caesarem et Pompeium Magnum, tum meliore successu inter Sextum Pompeium generum et Octauianum Antoniumque, denique ad Antonium transgressus a. 34. 720 consul factus est. [1])

---

[1]) Vide de hoc Orelli onom. p. 528 et quae diligenter conlegit Haackh, *Pauly Realencykl.* VI p. 881 sq.

Quamquam autem hunc Libonem ipsum in litteris uersatum esse non est traditum, tamen, si ex amicis licet concludere, ab eis non uidetur alienus fuisse. nimirum utebatur ille familiaritate M. Marii (Cic. ad fam. VII 4), hominis humanissimi et doctissimi (Orelli onom. p. 387. Teuffel *Realencykl.* IIII p. 1565) et arta litterarum societate coniunctus erat cum ipso Cicerone et cum Varrone, qui quaecunque scribebat cum eo conmunicasse uidetur atque etiam libros quosdam ad eum misit (Cic. ad fam. VII 4. acad. post. I 1, 3. Macrob. III 18, 3). a tali igitur homine annalis conscribendi consilium abhorrere uix quisquam contendet. sed etiam ratio, qua Cicero eum testem citauit, scriptorem significare mihi uidetur, qui utrique et ipsi et Attico bene notus sit, quem a Cicerone usque ad id tempus nondum esse nominatum maximo opere miraremur, nisi liber, quem etiam in epist. 44 a. 45. 709 secum esse scribit, paulo ante in manus ei uenit. denique aptissimum hunc Libonem Cottae Cascaeque Pompeianorum societati, quorum libris legendis tum simul operam dabat Cicero, scite animaduertit Hertz p. 15. Hic tamen uir doctus etiam tertium locum Liboni uindicare conatus est. est Appiani b. c. III 77: *Τῷ δ' αὐτῷ χρόνῳ περί τε Συρίαν καὶ Μακεδονίαν τοιάδε ἐγίγνετο. Γάιος Καῖσαρ ὅτε Συρίαν διώδευε, τέλος ἐν αὐτῇ καταλελοίπει, τὰ ἐς Παρθυαίους ἤδη διανοούμενος. τούτου τὴν μὲν ἐπιμέλειαν Καικίλιος Βάσσος εἶχε, τὸ δὲ ἀξίωμα Ἰούλιος Σέξτος, μειράκιον αὐτοῦ Καίσαρος συγγενές, ὅπερ ἐκδιαιτώμενον ἐς τρυφὴν τὸ τέλος ἀσχημόνως ἐπήγετο πανταχοῦ. μεμψαμένῳ δὲ τῷ Βάσσῳ ποτὲ ἐνύβρισε· καὶ καλῶν αὐτὸν ὕστερον, ἐπεὶ βραδέως ὑπήκουσεν, ἄγειν ἐκέλευσεν ἕλκοντας. θορύβου δὲ καὶ πληγῶν γενομένων, ἡ στρατιὰ τὴν ὕβριν οὐ φέρουσα τὸν Ἰούλιον κατηκόντισε. καὶ εὐθὺς ἦν μετάνοια καὶ δέος ἐκ τοῦ Καίσαρος. συνομόσαντες οὖν, εἰ μή τις αὐτοῖς συγγνώμη καὶ πίστις γένοιτο, μέχρι θανάτου διαγωνιεῖσθαι, καὶ ἐς αὐτὸ Βάσσον ἀναγκάσαντες, ἄλλο συνέλεξαν τέλος καὶ συνεγύμνασαν. ὧδε μέν τισι περὶ τοῦ Βάσσου δοκεῖ, Λίβωνι δ' ὅτι τῆς Πομπηίου στρατιᾶς γενόμενος καὶ μετὰ τὴν ἧτταν ἰδιωτεύων ἐν Τύρῳ, διέφθειρέ τινας τοῦ τέλους, καὶ διεχρήσαντο τὸν Σέξτον, καὶ τῷ Βάσσῳ σφᾶς ἐνεχείρισαν.* Quare, cum res pertineat ad a. 46. 608 (Drumann II p. 126. III 554), nihil inpedit, quominus eam conmemoratam esse censeamus a Libone illo (Haackh, *Realencykl.* VI p. 882), cuius libri insequenti anno

a Cicerone mentio fiat, tametsi id mihi quidem haud ita esse ueri simile uidetur. at uero omnia faciunt cum Perizonii (animadu. hist. cap. IIII p. 183) coniectura pro *Λίβωνι* proponentis *Λιβίῳ*. cum multa enim narrauit Appianus cum Liuio consentiens, ut ex eo hausta esse Wijnnio (*de App. fid. et auct.* p. 12 sqq.) uideantur, tum Liuius hic eandem de Basso famam secutus est, quam ex Libone adtulit Appianus. id quod cognoscimus et ex periocha (114), in qua summatim de ea re haec relata sunt: *Bellum in Syria Caecilius Bassus eques Romanus Pompeianarum partium excitauit, relicto a legione Sexto Caesare, quae ad Bassum transierat, occisoque eo,* et ex Cassii Dionis (XXXXVII 26 et 27) consensu, qui in conpluribus historiarum partibus Liuium ducem primarium habuit (cf. Wilmans *de Cass. Dion. font.* p. 14 sqq.). cf. inprimis haec Dionis uerba cum Appiano: c. 26, 3 *Καικίλιος Βάσσος ἱππεὺς στρατεύσας τε τῷ Πομπηίῳ καὶ ἀναχωρήσας ἐς Τύρον, ἐκεῖ ἐν τῷ ἐμπορίῳ τὰς διατριβὰς λανθάνων ἐποιεῖτο.* 7: *τοῖς δὲ δὴ στρατιώταις προσπέμπων τινὰ τρόπον οὕτω τινὰς αὐτῶν ἐσφετερίσατο, ὥστε καὶ αὐτόχειρας τοῦ Σέξτου γενέσθαι. ἀποθανόντος δὲ ἐκείνου τότε στράτευμα πᾶν πλὴν ὀλίγων προσηταιρίσατο.* Quae cum ita sint, Appiani locum in Libonis fragmentis exstare noluimus.

INCERTAE AETATIS SCRIPTORES

Sulpicius Blitho.

Vnico Sulpicii Blithonis librorum fragmento uix quidquam praefatus essem, nisi a Vossio (lib. I c. 18 p. 92) temere esset confusus cum Sulpicio Galba, Galbae imperatoris auo, qui multiplicem nec incuriosam historiam edidit, ut ait Suetonius Galb. 3, cuius duo fragmenta (ap. Plut. Rom. 17, Oros. V 23) ad nos peruenerunt. nam huius pater Ser. Sulpicius Galba, cum a. 54. 700 praeturam gereret, a. 49. 705 consulatum peteret (*Pauly, Realencykl.* VI 2 p. 1499) erat Cornelii Nepotis aequalis: qui igitur fieri potuit, ut librum aliquem ab eius filio conpositum Cornelius Nepos in auctoribus suis haberet?

Alfius.

Alfii conplures litterarum laude floruere, ut Alfius Flauus Augusti aetate celeber erat rhetor (Westermann, *Gesch. d. röm. Beredtsamk.* p. 295), tum libri excellentium uirorum Alphii Auiti cuiusdam identidem a Prisciano laudantur (Wernsdorf, *poet. lat. min.* III p. XXXI sq. cf. L. Mueller *d. r. m.* p. 102 sq.), deinde Flauus Alfius de delphino puerum quendam amante una cum Maecenate et Fabiano a Plinio n. h. VIIII 25 testis citatur. denique quartus accedit Alfius[1]), scriptor belli Carthaginiensis, cuius memoria exstat apud Festum.[2]) atque Vossius quidem (de poet. lat. p. 38) ex his unum effecit Flauum Alfium Auitum, qui Augusti et Tiberii temporibus uixisset, neque, cum, quae de illorum scriptorum aetatibus tradita sunt, non refragarentur, eam sententiam inprobauit Wernsdorf. quae si recte illi suspicati essent,

---

1) Nipperdeyum (Philol. VI p. 138) non recte Coelii nomen substituisse uideri iam supra p. CCXXXVI monuimus.

2) Sub Alpheo Philologo apud Prisc. VIII p. 792 P. 383 H., quem eundem esse atque Alphium Auitum suspicatur Wernsdorf p. XXXII, latet Ateius Philologus, quem recte detexit Osann annal. crit. p. 66. cf. Hertz a. h. l.

falso Alfii belli Carthaginiensis fragmentum hoc uolumine recepissemus. at nos, cum nulla re illa omnia ad unum Alfium referre cogeremur, quamquam etiam Martialis uersum quendam Verrii Flacci excerptis a Festo (p. 369) adiectum esse non ignoramus, tamen ad coniecturam firmandam aliis coniecturis indulgere noluimus, atque, ni contrarium certis argumentis demonstretur, Alfii mentionem ab ipso Verrio repetendam esse dico Alfiumque uixisse ante Augustum. hinc uero disiungitur et ab Alfio Flauo rhetore et ab eo Alfio Flauo, cuius testimonio ad rem quandam, quae sub Augusto facta est, usus est Plinius. relinquitur Alfius Auitus, de cuius aetate hoc unum constat 'pridem' ante Terentianum Maurum eum uixisse (p. 2437 P.). is autem libros suos excellentium scripsit uersibus dimetris iambicis, a quorum sono illa de Mamertinis narratio ita abhorret, ut ex excellentium quidem libris nullo pacto hausta esse uideatur. Itaque obtineat Alfius locum suum inter hos historicos.

C. Piso.

Hic Gaius Piso, etsi quod unicum eius historiarum fragmentum ad nos peruenit ad C. Marii mortem spectat, Lucius autem Piso Censorinus paene quinquaginta annis ante consul fuit, tamen diu cum Lucio confusus omnino latuit. sed ne nunc quidem, ut adcuratius eum cognosceremus, nobis contigit. hoc unum accepimus, a C. Pisone quodam C. Marii mortem ita esse expositam, ut non recoqueret malignos illos rumores de ea uulgatos.[1])

Quamquam, si coniecturae locus sit, nihil obstat, quominus consulem illum anni 67. 687, C. Pisonem, quem in oratorum numero ponit Cicero in Bruto (68. 239), eundem etiam historiae operam dedisse statuamus. utique, cum Gaii praenomen haud ita frequens in Pisonum familia fuerit, si illa aetate has historias scriptas esse existimamus, hic solus est ex Pisonibus, quos cognouerimus, de quibus cogitari possit. uid. de eo Drumann. II p. 62—95.

---

[1]) Haud abhorrere hanc famam a uero suo iure censet Kiene *Bundesgenossenkrieg* p. 305.

RELLIQVIAE

ANNALES MAXIMI

1. *Dionys. I 74* Οὐ γὰρ ἠξίουν ὡς Πολύβιος ὁ Μεγα-
πολίτης τοσοῦτον μόνον εἰπεῖν, ὅτι κατὰ τὸ δεύτερον ἔτος 751
τῆς ἑβδόμης ὀλυμπιάδος τὴν Ῥώμην ἐκτίσθαι πείθομαι, οὐδ'
ἐπὶ τοῦ παρὰ τοῖς ἀρχιερεῦσι κειμένου πίνακος ἑνὸς καὶ μό-
νου τὴν πίστιν ἀβασάνιστον καταλιπεῖν, ἀλλὰ τοὺς ἐπιλο-
γισμοὺς, οἷς αὐτὸς προσεθέμην, εἰς μέσον ὑπευθύνους τοῖς
βουληθεῖσιν ἐσομένους ἐξενεγκεῖν.

2. *Vopisc. uit. Tacit.* 1, 1 (*II p.* 171) Quod post excessum Romuli nouello adhuc Romanae urbis imperio factum pontifices, penes quos scribendae historiae potestas fuit, in litteras rettulerunt, ut interregnum, dum post bonum principem bonus alius quaeritur, iniretur, hoc post Aurelianum — sex totis mensibus factum est.

3. *Cic. de re p. I* 16, 25 Id autem *[solem lunae opposilu
solere deficere]* postea ne nostrum quidem Ennium fugit, † qui 403
ut scribit, anno quinquagesimo CCC fere post Romam conditam 351

Nonis Iunis soli luna obstitit et nox.

adque hac in re tanta inest ratio adque sollertia, ut ex hoc die,

---

ADNOT. **1.** *Vide supra p.* XXII.

3. *Enn. Ann.* 167 *p.* 27 *Vahl. — Fuit ea defectio re uera a.* 400. 354 *a. d. XI kal. Iul., simulatque sol occidit (Zech, astron. Untersuch. über die von den Schriftstellern des Alterthums erwähnten Finsternisse p.* 58. *Mommsen chronol. p.* 196 *sq.).*

CONMENT. CRIT. **1,** 4. ἀγχιστεῦσι *Chisianus Vrbinas, corr. Niebuhr.* 6. οὓς αὐτὸς προεθέμην *uulgo, Kiessling* οἷς *recepit ex Vrb.,* προσεθέμην *ex Chis.*

3, **14. 15.** quum ut scribit *Halm*, quum *referens ad uerba Ennii* qui sic scribit *Mommsen*, *fort.* quia, ut. 15. quinqua-
CCC
gesimo fere *Vatic.* CCC quinquagesimo *Maius* quinquagesimo et CCC *Osann. nos secuti sumus Halmium* 16. Nonis] non *Vatic.* nonis Iunis *Heinrich tribuit Ciceroni* 17. sollertia/aut *Vatic.*

quem aput Ennium et in maximis annalibus consignatum uidemus, superioris solis defectiones reputatae sint usque ad illam, quae nonis Quinctilibus fuit regnante Romulo. quibus quidem Romulum tenebris, etiam si natura ad humanum exitum abripuit, uirtus tamen in caelum dicitur sustulisse.

4. *Gell. IIII* 5 Statua Romae in comitio posita Horati Coclitis, fortissimi uiri, de caelo tacta est. ob id fulgur piaculis luendum aruspices ex Etruria acciti inimico atque hostili in populum Romanum animo instituerant eam rem contrariis religionibus procurare. atque illam statuam suaserunt in inferiorem locum perperam transponi, quem sol oppositu circum undique aliarum aedium numquam illustraret. quod cum ita fieri persuasissent, delati ad populum proditique sunt et, cum de perfidia confessi essent, necati sunt, constititque, eam statuam, proinde ut uerae rationes post compertae monebant, in locum editum subducendam atque ita in area Volcani sublimiore loco statuendam; ex quo res bene ac prospere populo Romano cessit. tum igitur, quod in Etruscos aruspices male consulentis animaduersum uindicatumque fuerat, uersus hic scite factus cantatusque esse a pueris urbe tota fertur:

Malum consilium consultori pessimum est.

Ea historia de aruspicibus ac de uersu isto senario scripta est in annalibus maximis libro undecimo et in Verri Flacci libro primo rerum memoria dignarum.

---

4. *uide supra p.* XIIII.

---

2. superioris^{e} *Vatic.* reputate *Vatic. pr. m.* 3. quinctilibus *Vatic. sed deleta* c 4. hum^{anum}exitum *Vatic.*

4, 6. qmitio *R ante corr.* oratio *RV*[1] oratii *V*[2] oratu cloditis *P* 7. ob id] obit *R* 8. aruspice sex & curia *V*[1] aruspicis ex curia *et in marg.* etruria *V*[2] Etruria *om. P spatio uacuo relicto* hostilii *V* 9. contractis regionibus *PV* contrat' regionibus *R* 10. ^{sta}tuā *R* 11. oppisitu *V* opisitu *R* 11. 12. circum montis aliarumq. edium *P* 14. confesserant *R* confessent *V* 16. sublimiore *VRP* sublimiori *uulgo* 17. P. R. *VPR* 18. atruscos (a *in ras.*) *P* animaduersum] anim *VR om. P.* 19. uindicatum (*sine* que) *P* 22. ac] ꝛ *R* 23. anilibus *VR* uerri *VP* uarri *R*

Q. FABII PICTORIS GRAECAE HISTORIAE

1. *Mar. Victor. art. gram. I p.* 2468 *P.* Repertores litterarum Cadmus ex Phoenice in Graeciam et Euander ad nos transtulerunt a b c d e i k l m n o p q r s t litteras, numero XVI. postea quasdam a Palamede et alias a Simonide adiectas implesse numerum XXIIII, grammatici, praeterea Demetrius Phalereus, Hermocrates, ex nostris autem Cincius, Fabius, Gellius tradiderunt.

2. *Codd. Isidori ecclesiae Toletanae ad orig. IIII* 7, 34 *(ed. Areual. III p.* 566*)* Alexander historiographus ait: Vulscos quidam appellatos aiunt a Vulsco Antiphatae Laestrygonis filio. Fabius quoque *a* Siculis profectos corrupto nomine Vulscos ait dictos.

3. *Cic. de diuin. I* 21, 43 Sint haec, ut dixi, somnia fabularum, hisque adiungatur etiam Aeneae somnium, quod nimirum in Fabi Pictoris Graecis annalibus eius modi est, ut omnia, quae ab Aenea gesta sunt quaeque illi acciderunt, ea fuerint, quae ei secundum quietem uisa sunt.

---

1. *Vid. adnot. ad Cinc. fr.* 1. — *Gell. fr.* 3.
2. *Vid. supra p. LXXXVII sq.*

1, 1. *Vid. supra p.* LXXXVII *et conmentar. crit. ad Cinc. fr.* 1.

2, 9. uulsos *al. codd. Areu.* 10. antiphatele strigonis filio *codd. em. Haupt in Herm. I p.* 37 11. a Siculis] sicolicis *uel* sic colicis *codd. em. Haupt*

3, 14. adiunguntur *Leid. H a. pr. m.* caeneae *cod. Voss. A* in numerum fabi *codd. Christi.* in Numerii Fabii *Sigonius.* in nostri Fabi *Hertz philol. klin. Streifzug p.* 33. inclusum *van den Bergh* in ueterrumis *Pluess in Fleckeisen. annal. LXXXXVIIII p.* 239 *sqq.* nimirum in *Dederich quaestt. philol. p.* 3. *cf. supra p.* LXXVIII.

4. *Euseb. Armen. apud Mai. n. coll. VIII p.* 214 Sed enim de urbis *[Albae]* appellatione Fabius, Romanarum rerum scriptor, aliam fabulam comminiscitur. ait enim Aeneae oraculum editum, fore ut aliquis quadrupes condendae urbis situm ipsi demonstraret. iam uero cum is suem toto corpore albam praegnantemque hostiae loco mactaturus esset, hanc manibus elapsam cursu concito in quendam collem euasisse ibique triginta porcellos edidisse. Portento obstupefactum Aeneam statim oraculi iussa exequi decreuisse cumque iam exaedificando loco manum admoueret, uisionem quandam in somnis perspicue oblatam deterruisse eum ab incepto eidemque iussisse, ut nonnisi post annos triginta, pro triginta porcellorum numero aedificium moliretur. eum igitur a proposito interim destitisse. Aenea uitae erepto ab Ascanio filio eius regnante collem aedificiis post annos triginta occu-

---

4. *Ex eodem Diodoro ex quo sua sumpsit Eusebius, priorem fragmenti partem, ut ipse ait* (περὶ τῆς ἀρχαιογονίας Ῥωμαίων ἐκ τῆς ζ' Διοδώρου Σικελιώτου) *seruauit Syncellus p.* 366 *Dind. [Diodor. fr. uol. II part.* 2 *p.* 188 *Dind.]* Αἰνείας γὰρ μετὰ τὴν ἅλωσιν τῆς Τροίας ἐτῶν τριῶν παρελθόντων παρέλαβε τὴν τῶν Λατίνων βασιλείαν καὶ κατασχὼν τριετῆ χρόνον ἐξ ἀνθρώπων ἠφανίσθη καὶ τιμῶν ἔτυχεν ἀθανάτων. τὴν δ' ἀρχὴν διαδεξάμενος Ἀσκάνιος υἱὸς ἔκτισεν Ἄλβαν τὴν νῦν καλουμένην Λόγγαν, ἣν ὠνόμασεν ἀπὸ τοῦ ποταμοῦ τοῦ τότε μὲν Ἀλβᾶ καλουμένου, νῦν δὲ Τιβέρεως ὀνομαζομένου. Περὶ δὲ τῆς προσηγορίας ταύτης Φάβιος, ὁ τὰς Ῥωμαίων πράξεις ἀναγράψας, ἄλλως μεμυθολόγηκε· φησὶ γὰρ Αἰνείᾳ *[*Αἰνείαν *ed. Goari.* Αἰνείᾳ *margo ed. Goar. et Euseb.]* γενέσθαι λόγιον, τετράπουν αὐτῷ *[*αὐτὸ *cod. Paris. B.]* καθηγήσασθαι πρὸς κτίσιν πόλεως. μέλλοντος δ' *[*δ' *om. Goar]* αὐτοῦ θύειν ὗν ἔγκυον τῷ χρώματι λευκήν, ἐκφυγεῖν ἐκ τῶν χειρῶν καὶ διωχθῆναι πρός τινα λόφον, πρὸς ᾧ *[*ὃ *cod. Paris. A.* ὃν *Goar.]* κομισθεῖσαν τεκεῖν λ' χοίρους. τὸν δὲ Αἰνείαν τό τε παράδοξον θαυμάσαντα καὶ τὸ λόγιον ἀνανεούμενον, ἐπιχειρῆσαι μὲν οἰκῆσαι τὸν τόπον, ἰδόντα δὲ κατὰ τὸν ὕπνον ὄψιν ἐναργῶς διακωλύουσαν καὶ συμβουλεύουσαν μετὰ λ' ἔτη κτίζειν, ὅσοσπερ *[*ὅσοσπερ *B.* ὃς ὥσπερ *Goar]* ὁ τῶν τεχθέντων ἀριθμὸς ἦν, ἀποστῆναι *[uulgo* ἀποστῆναι δὲ. δὲ *del. margo ed. Goar.]* τῆς προθέσεως. *Praeterea multi multa de hac re, sed alii in aliis cum Fabio discrepant. ut Dionys. I* 55 *et* 56 *minutis in rebus plurimis cum Diodoro uel Fabio consentit, sed in eo diuersi sunt, quod uisum illud apud Diodorum inpediuit Aenean, quominus, ubi uolebat, statim urbem conderet, at apud Dionysium Aeneas, cum natura loci, in quo consederat, minus placeret (cf. Fab. Max. fr.* 1*), dubitans, num oraculo obsequeretur an alium locum urbi condendae quaereret, specie illa ut hunc eligeret admonitus, condidit Lauinium. Propius ad Fabium accedit Dio fr.* 4, 4 *p.* 4 *Dind., qui tamen rem nimis contrahens obscurauit (cf. Iordan Herm. III p.* 413*):* Περὶ Λαύρεντον δὲ προσώκειλε τὸ καὶ Τροίαν καλούμενον περὶ Νουμίκιον ποταμόν —. ὅπου φαγόντων τῶν μετ' αὐτοῦ τὰς τραπέζας σελινίνας οὔσας ἢ ἐκ τῶν σκληροτέρων μερῶν τῶν ἄρτων, οὐ γὰρ εἶχον τραπέζας, ἔτι δὲ καὶ χοίρου λευκῆς ἀπὸ τοῦ πλοίου αὐτοῦ ἀποσκιρτησάσης ἐπὶ τὸ ἀπ' αὐτῆς Ἀλβανὸν ὄρος καὶ τριάκοντα τετοκυίας, ἥπερ ἐδήλου, ὅτι τριακοστῷ ἔτει οἱ παῖδες αὐτοῦ καὶ γῆν καὶ κράτος ἄμεινον ἕξουσιν, ἐπαύθη τῆς ἀλη-

patum eamque structuram appellatam de colore suis Albam. ⟨Latini enim proprio idiomate τὸ λευκὸν album dicunt.⟩ Praeterea superadditam appellationem Longam, nempe μακράν, idcirco quia parum in latum patens in longum magnopere duceretur. ⟨His subdit, ab Ascanio factam esse regni sui sedem Albam, multaque circum habitacula subuersa: fuisse hunc conspicuum uirum et trigesimo octauo regni anno naturae concessisse.⟩

5ᵃ. *Plut. Rom.* 3 Τοῦ δὲ πίστιν ἔχοντος λόγου μάλιστα καὶ πλείστους μάρτυρας τὰ μὲν κυριώτατα πρῶτος εἰς τοὺς Ἕλληνας ἐξέδωκε Διοκλῆς Πεπαρήθιος, ᾧ καὶ Φάβιος ὁ Πίκτωρ ἐν τοῖς πλείστοις ἐπηκολούθηκε. γεγόνασι δὲ καὶ περὶ τούτων ἕτεραι διαφοραί. τύπῳ δὲ εἰπεῖν τοιοῦτός ἐστι. Τῶν ἀπ' Αἰνείου γεγονότων ἐν Ἄλβῃ βασιλέων εἰς ἀδελφοὺς δύο, Νομήτορα καὶ Ἀμούλιον, ἡ διαδοχὴ καθῆκεν. Ἀμουλίου δὲ νείμαντος τὰ πάντα δίχα, τῇ δὲ βασιλείᾳ τὰ χρήματα καὶ

τείας, ἐκ χρησμοῦ τοῦτο προακηκοώς, θύσας δὲ καὶ τὴν χοῖρον παρεσκευάζετο κτίσαι πόλιν. ὁ δὲ Λατῖνος τοῦτον οὐκ εἴα. ἡττηθεὶς δὲ πολέμῳ δίδωσιν Αἰνείᾳ πρὸς γάμον Λαουινίαν τὴν αὐτοῦ θυγατέρα. Αἰνείας δὲ κτίσας πόλιν Λαουίνιον ὠνόμασεν. — αὐξηθέντες δὲ οἱ Λατῖνοι, ἐπεὶ καὶ τὸ τριακοστὸν ἔτος ἐνέστη, Λαουινίου μὲν ὑπερεφρόνησαν, Ἄλβαν δὲ Λόγγαν ἑτέραν πόλιν ἔκτισαν ἀπὸ τῆς χοίρου, τοῦτ' ἔστι λευκὴν μακράν, καὶ τὸ ἐκεῖσε ὄρος Ἀλβανὸν ἐκάλεσαν ὁμοίως. *cf. etiam Varro de l. l. V* 144: Oppidum quod primum conditum in Latio stirpis Romanae Lauinium; nam ibi dii penates nostri. hoc a Latini filia quae coniuncta Aeneae Lauinia appellatum. hinc post triginta annos oppidum alterum conditum Alba; id ab sue alba nominatum. haec e naui Aeneae quom fugisset Lauinium, triginta parit porcos, ex hoc prodigio post Lauinium conditum annis triginta haec urbs facta, propter colorem suis et loci naturam Alba Longa dicta. *de r. r. II* 4, 18. — *Quae uncis ⟨ ⟩ inclusi non esse uerba Fabii post Aucherum monuit Mommsen chronol. p.* 153 *not.* 302. — *De numero annorum quibus regnauit Ascanius consentit Dionys. I* 70.

5ᵃ. *De ratione quae intercedat inter Dioclem Peparethium et Fabium uid. supra p.* LXXX *sqq. Dionysius haec narrans fluctuat inter Fabium et alium scriptorem, cuius nomen non addidit. cf. supra p.* LXXXXV *sq. cum eis quae supra scripta sunt haec Dionysiana conueniunt: I* 71 Πρόκας δὲ μετὰ τοῦτον ἔτη εἴκοσι καὶ τρία (τὴν ἀρχὴν κατέσχεν). ἔπειτα Ἀμόλιος οὐ σὺν δίκῃ τὴν βασιλείαν κατασχὼν Νεμέτορι προσήκουσαν, ὃς ἦν αὐτῷ πρεσβύτερος ἀδελφὸς, δύο καὶ τετταράκοντα ἔτη δυναστεύει. 76: Ἀμόλιος ἐπειδὴ παρέλαβε τὴν Ἀλβανῶν βασιλείαν τὸν πρεσβύτερον ἀδελφὸν Νεμέτορα τῷ κατισχῦσαι τῆς πατρίου τιμῆς ἀπείρξας, τά τε ἄλλα κατὰ πολλὴν ὑπεροψίαν τῶν δικαίων ἔδρα καὶ τελευτῶν ἔρημον γένους τὸν

5ᵃ, 10. φάβιος οὐίκτωρ *Par. A. B. Barocciani a b c corr. Sintenis.* 11. ἐπηκολούθηκε *Par. A.* ἐπηκολούθησε *uulg.* 15. τῇ δὲ *Par. A. C. Barocc. a b* τῇ τε *Bar. c* τῇ *uulg.*

τὸν ἐκ Τροίας κομισθέντα χρυσὸν ἀντιθέντος, εἵλετο τὴν βασιλείαν ὁ Νομήτωρ. ἔχων οὖν ὁ Ἀμούλιος τὰ χρήματα καὶ πλέον ἀπ' αὐτῶν δυνάμενος τοῦ Νομήτορος, τήν τε βασιλείαν ἀφείλετο ῥαδίως καὶ φοβούμενος ἐκ τῆς θυγατρὸς αὐτοῦ γενέσθαι παῖδας ἱέρειαν τῆς Ἑστίας ἀπέδειξεν, ἄγαμον καὶ παρθένον ἀεὶ βιωσομένην. ταύτην οἱ μὲν Ἰλίαν, οἱ δὲ Ῥέαν, οἱ δὲ Σιλουΐαν ὀνομάζουσι. Φωρᾶται δὲ μετ' οὐ πολὺν χρόνον κυοῦσα παρὰ τὸν καθεστῶτα ταῖς Ἑστιάσι νόμον. καὶ τὸ μὲν ἀνήκεστα μὴ παθεῖν αὐτὴν ἡ τοῦ βασιλέως θυγάτηρ Ἀνθὼ παρῃτήσατο δεηθεῖσα τοῦ πατρός· εἵρχθη δὲ καὶ δίαιταν εἶχεν ἀνεπίμικτον, ὅπως μὴ λάθοι τεκοῦσα τὸν Ἀμούλιον. ἔτεκε δὲ δύο παῖδας ὑπερφυεῖς μεγέ-

---

59. *cf. Verg. Aen. VII* 678 Nec Praenestinae fundator defuit urbis, Volcano genitum pecora inter agrestia regem inuentumque focis omnis quem credidit aetas, Caeculus. *Seru. a. h. l.* (*quocum ad uerbum fere consentit mythogr. Vaticanus secundus Mai fab.* 184 *p.* 149, *in paucis discrepat myth. primus fab.* 84 *p.* 33): erant etiam *(Praeneste)* duo fratres qui diui *[uid. infr. Solin.]* appellabantur. horum soror dum ad focum sederet, desiliens scintilla eius uterum percussit. unde dicitur

---

58. *in libro VII falso haec uerba a Prisc. ad libr. I sunt relata cf. supra p. LXIII* 2. dianum *Halberst.* arcino *Sangall.* egregius *Gruter.* 3. Laebius *Halb.* Lebius *Par. R Amien. Bern.* (Laebius *tuetur Grotefend zur Geogr. u. Gesch. v. Altital. fasc. III p.* 14 *at cf. Momms. Unterit. Dial. p.* 295) baebius *Sangall.* bebius *Karol.* breuius *Gruter.* Laeuius *Hertz* dedicabit *Grut.* dicator *Par. R* latinos hi *Amien.* latinus hii *Sangall.* latinus in populi commoniter *Karol.* Idem in eodem: populus communiter *Prisc. VII* 4. tusculanus. communiter *lib. VII Karol.* Aricinus] *Bern. a sec. m.* arricinus *Karol.* arcinus *Sang. Bern. a pr. m.* lanuuinus *ex* languinus *corr. Amien.* lanubinus *Grut.* lan*ubinus (*sprscr.* u *s.* b) *Karol. lib. VII*: lanuimus *Par. R pr. m.* lanuinus *Par. R sec. m.* lauinus *Sangall. Grut. Karol.* 5. tiburt' *Bern. lib. VII*: tyburtis *Sangall. Gruter.* mometinus *lib. VII Par. R* Praenestinus *Ihne hist. Rom. I p.* 83. Rutulus *om. Prisc. lib. VII. glossema esse dicunt Naegele Stud. p.* 175 *Lorenz de dict. lat. p.* 37. *coniunxit duo nomina* Ardeatis Rutulus *Klausen Aen. u. d. Penat. p.* 810. *adsentiente Schwegler. h. R. II p.* 298.

59. *supplementa sunt H. Keili.* 9. collecticiis *legit Maius in codice, Keil tantum modo litt.* colle.

60.** *Seru. ad Aen. VII* 682 Cato dicit: Quia is locus montibus praestet, Praeneste oppido nomen dedit.

61. *Priscian. IIII p.* 629 *P.* 129 *H.* Cato Censorius — in II (originum): Si quis mortuus est Arpinatis, eius heredem sacra non secuntur.

62.** *Seru. ad Aen. XI* 567 Licet [*Metabus*] Priuernas esset, tamen, quia in Tuscorum iure paene omnis Italia fuerat, generaliter in Metabum omnium odia ferebantur. nam pulsus fuerat a gente Volscorum, quae etiam ipsa Etruscorum potestate regebatur, quod Cato plenissime executus est.

---

concepisse. postea enixa puerum iuxta templum Iouis abiecit, quem uirgines aquatum euntes iuxta ignem inuentum sustulerunt, qui haud longe a fonte erat, unde Vulcani dictus est filius. Caeculus autem ideo, quia oculis minoribus fuit, quam rem frequenter efficit fumus. Hic postea collecta multitudine, postquam diu latrocinatus est, Praenestinam ciuitatem in montibus condidit. et cum ad ludos uicinos populos inuitasset, coepit eos hortari ut secum habitarent et pro gloria iactare se filium esse Vulcani. quod cum illi non crederent, inuocato Vulcano ut eum filium suum comprobaret, omnis illius multitudinis chorus est flamma circumdatus. quo facto commoti omnes simul habitauerunt et Vulcani filium esse crediderunt. *Solin. II* 9 *p.* 36 *Momms.:* Praeneste, ut Zenodotus refert, conditum a Praeneste, Vlixis nepote, Latini filio; ut Praenestini sonant libri, a Caeculo, quem iuxta ignes fortuitos inuenerunt Digidiorum sorores. *Festus p.* 44 *M.* Caeculus condidit Praeneste.

60. *cf. Fest. p.* 224 *M.* Praeneste dicta est, quia is locus, quo condita est, montibus praestet.

61. *Repetiit Prisc. VII p.* 761 *P.* 337 *H.*

---

60. *deest in Thilonis libris.*

61. *in lib. VII Priscianus haec ex libro I sumpta esse dicit cf. supra p. LXIII. in lib. VII om. m. pr. Par. R add. sec. m.* 3. in] Idem in *Amien. Bern. Halb. a sec. m.* 4. esset *Par. R. a sec. m.* est et *Amien. Bern. Sang.* est^{et} *Karol.* eiusdem *Amien.* 5. non sequuntur *Amien. Sangall.* $\overset{\text{non}}{\text{sequuntur}}$ *Gruter.* $\overset{\text{vel non}}{\text{consequuntur}}$ *Bern.* *lib. VII:* $\overset{\therefore}{\bar{\bar{\text{N}}}}$ secuntur (*ad mg.* .·. con) *Par. R sec. m.* sequntur *Sang. sec. m.* sequuntur *Bern. Grut. Karol.*

62, 6. priuerno *Regin.* 7. omnes *Regin.* 8. metauum *Paris.* omnia *Paris.* 9. uulscorum *(Par.)* ethruscorum *Regin.* 9. 10. regebantur *Paris.* exequutus *Paris.*

63. *Fest. s. u. sublimauit p.* 306 *M.* Sublimauit dixit *Cato* — originum l. II: In maximum decus atque in excelsissimam claritudinem sublimauit.

64. *Charis. I p.* 70 *P.* 91 *K.* Ques autem dixisse ueteres testimonio est Cato, qui ait originum II: Quescumque Romae regnauissent.

65. *Non. s. u. putidum p.* 152 Cato originum libro II: Si inde in nauis putidas atque sentinosas commeatum ponere uolebant.

66. *Priscian. V p.* 647 *P. p.* 152 *H.* Cato in II originum: Itaque res uber fuit, antequam legiones . . . .

67. *Priscian. V p.* 659 *P.* 171 *H.* Cato in II: Ex sale, qui apud Karthaginienses fit.

EX LIBRO III

68.** *Plin. n. h. III* 98 Praeterea interisse Thebas Lucanas Cato auctor est.

69.** *Vellei. I* 7, 2 Quidam huius [*Hesiodi*] temporis tractu aiunt a Tuscis Capuam Nolamque conditam ante annos fere

---

64. *Eadem apud Prisc. XIII p.* 960 *P.* 9 *H. libro omisso. In principio relliquiarum libri secundi posuit Wagener.*
67. *Repetiit omisso titulo numeroque libri Alcuin. p.* 2091 *P.*
69. *Seruius ad Aen. X* 145 *postquam quattuor sententias, unde Capua nomen inuenerit, enumerauit, quae ad hanc Catonianam non pertinent, sic*

63, 1. Cato *deest in cod. add. Scaliger*

64, 5. quescunque *codd. Prisciani Gruterianus Karoliruh.* 6. regna uidissent *Prisciani Bernensis*

65, 7. 8. si inde in nauis *Roth* si inde ignauis *L W F* si indu naues *Scaliger* is endo naues *Lipsius* si cunctas *Wagener* si inde nauis *Iordan* potidas *L*[1] sentinotas *L F*[1] semirosas *Scaliger* commeatu monere *L W F* onerare *Scaliger* commeatum ponere *Lipsius* 8. 9. nolebat *Lipsius.*

66, 10. uirginum *Gruter. supscr. sec. m.* uel ori 11. legiones] s. accederent *gloss. cod. Heidelb.* uastassent regiones *uel* uatassent legiones *uulg. codd. scripturam restituit Hertz.*

67, 12. II] secundo *Bern.* III *Gruter.* V *Wagener p.* 65 13. Karthaginienses *ex* karthaginiensis *corr. Halberst.* carthaginenses (*spscr.* i *s.* ne) *Par. R.* kartaginenses *Sangall.* cartaginenses (*supscr.* h *sup.* c.) *Gruter.* charthaginensis *Karol.*

octingentos triginta, quibus equidem adsenserim. Sed M. Cato quantum differt! qui dicat Capuam ab eisdem Tuscis conditam ac subinde Nolam; stetisse autem Capuam, antequam a Romanis caperetur, annis circiter ducentis sexaginta. quod si ita est, cum sint a Capua capta anni ducenti quadraginta, ut condita est, anni sunt fere quingenti. ego pace diligentiae Catonis dixerim, uix crediderim tam mature tantam urbem creuisse, floruisse, concidisse, resurrexisse.

70.** *Seru. ad Aen. III* 402 Ait Cato, a Philoctete condita iam pridem ciuitate (*Peteliae*) murum tantum factum.

71. *Prob. in Verg. Bucol. p.* 4 *K.* Item Cato originum III: † Thesennti Tauriani uocantur de fluuio, qui propter fluit. id oppidum Aurunci primo possederunt, inde Achaei Troia domum redeuntes. in eorum agro fluuii sunt sex; septimus finem Rheginum atque Taurinum dispertit; fluuii nomen est Pecoli. Eo

---

pergit: Sed constat eam a Tuscis conditam de uiso falconis augurio, qui Tusca lingua 'capys' dicitur, unde est et Capua nominata. Tuscos autem omnem paene Italiam subiugasse manifestum est. alii a Tuscis quidem retentam et prius Volturnum uocatam: Tuscos a Samnitibus exactos Capuam uocasse ob hoc, quod hanc quidam Falco condidisset, cui pollices pedum curui fuerunt, quemadmodum falcones aues habent, quos uiros Tusci 'capuas' uocarunt. *Ex his sententiis posteaquam Preller mythol. Rom. p.* 11 *unam Catonis esse uideri animaduertit, Iordan p. XLVIII posteriorem Catoni uindicare studuit. ego tamen priorem e Catone exceptam esse ueri similius esse duco; hac enim, ut a Velleio, condidisse Tuscos Capuam exponitur, cum posterior etiam pugnet cum Velleio, quem Catonis sententiam falso rettulisse nihil est cur statuas.*

71. *Schol. in Theocr. p.* 805 *Kiessl. p.* 4 *Ahr.*: Ὀρέστῃ γὰρ ἐκκομί-

---

70. *Exhibet Bern.* 179.

71, 12. Thesennti *Vaticanus* Thelunti *Parisinus.* Rhegini Taurocini *edit. Egnatii.* Thesunti *Duebner.* Facelini *Wagener.* transeunti *Schneidewin.* Acheruntii *Roth conl. Plin. n. h. III* 75 In peninsula fluuius Acheron, a quo oppidani Acherontini. qui] quod *Paris.* 13. possiderunt *Vatic.* 15. Taurinum *Paris. Vatic. edit. Egnat.* Taurianum *Iordan.* pecolico *Vatic. Paris.* Paccolico *ed. Egnat.* Phacelini *G. Hermann opusc. II p.* 73. Phacelino *Bergk ephem. antiq.* 1845 *p.* 127 *coll. Vib. Seq. p.* 16. Faceli . eo *Wagener* Pecoli . eo *Duebner* *Ipsa septem flumina enumerauit Varro in r. human. libro XI, quem locus seruauit idem Probus p.* 4 *K.:* Iuxta Rhegium fluuii sunt continui septem Latapadon, Micodes, Eugiton, Stracteos, Polie, Molee, Argendes. *in his fluuiis esse etiam eum, qui finem Rheginum atque Taurinum dispertit, nemo non uidet, sed quaeritur quis sit.* Mecodi *pro* Pe-

Orestem cum Iphigenia atque Pylade dicunt maternam necem expiatum uenisse, et non longinqua memoria est, cum in arbore ensem uiderunt, quem Orestes abiens reliquisse dicitur.

72. *Festus s. u. oreae p.* 182 *M.* Cato originum l. III: Equos respondit: Oreas mihi inde, tibi cape flagellum.

73. *Gell. XVII* 13, 3 Ex quo illa significatio (*u. quin*) non abhorret, quae est in tertia origine M. Catonis: Haut eos eo postremum scribo, quin populi et boni et strenui sient.

74. *Charis. I p.* 56 *P.* 73 *K.* Cato originum III: Laserpitium pro pulmentario habet.

ζοντι τὸ τῆς Ἀρτέμιδος ξόανον ἐκ Ταύρων τῆς Σκυθίας χρησμὸς ἐξέπεσεν ἐν ἑπτὰ ποταμοῖς ἐκ μιᾶς πηγῆς ῥέουσιν ἀπολούσασθαι. ὁ δὲ πορευθεὶς εἰς Ῥήγιον τῆς Ἰταλίας τὸ ἄγος ἀπενίψατο ἐν τοῖς λεγομένοις διαφόροις [sic Hamaker. διὰ χώρας cod. Paris. Ahrensi. διαχώροις uulg.] ποταμοῖς.

72. *Cf. Aristot. rhet. II* 20: *Στησίχορος μὲν γὰρ ἑλομένων στρατηγὸν αὐτοκράτορα τῶν Ἱμεραίων Φάλαριν καὶ μελλόντων φυλακὴν διδόναι τοῦ σώματος, τἆλλα διαλλαχθεὶς εἶπεν αὐτοῖς λόγον, ὡς ἵππος κατεῖχε λειμῶνα μόνος, ἐλθόντος δ' ἐλάφου καὶ διαφθείροντος τὴν νομὴν βουλόμενος τιμωρήσασθαι τὸν ἔλαφον ἠρώτα τὸν ἄνθρωπον, εἰ δύναιτ' ἂν μετ' αὐτοῦ κολάσαι τὸν ἔλαφον, ὁ δ' ἔφησεν, ἐὰν λάβῃ χαλινὸν καὶ αὐτὸς ἀναβῇ ἐπ' αὐτὸν ἔχων ἀκόντια· συνομολογήσαντος δὲ καὶ ἀναβάντος ἀντὶ τοῦ τιμωρήσασθαι αὐτὸς ἐδούλευσεν ἤδη τῷ ἀνθρώπῳ. ʻοὕτω δὲ καὶ ὑμεῖςʼ ἔφη ʻὁρᾶτε μὴ βουλόμενοι τοὺς πολεμίους τιμωρήσασθαι ταὐτὸ πάθητε τῷ ἵππῳ· τὸν μὲν γὰρ χαλινὸν ἔχετε ἤδη ἑλόμενοι στρατηγὸν αὐτοκράτορα· ἐὰν δὲ φυλακὴν δῶτε καὶ ἀναβῆναι ἐάσητε, δουλεύσετε ἤδη Φαλάριδιʼ. Ad hanc rem Catonis uerba refert Mueller ad Festi l. s. s., cum tertio libro Cato Siciliae ciuitates silentio transmittere non potuerit, neque uideo cur Iordano adstipulemur, cui p. XLVIIII ʻCato haec de Italis populis seruitutem una cum auxilio a populo Romano nactis ad exemplar Menenii Agrippae praecepisse uisus estʼ.*

74 et **75.** *Iordan siue Capuanos siue alios Italicos τρυφητὰς reprehensos coniecit, quod condimento ciborum pretiosissimo pro pulmentario uterentur. Repetiit (Beda) de orthogr. p.* 2796 *P.*

---

coli *scripsit Bormann p.* 13, *mihi similiora esse uidentur uerba* Polie *et* Pecoli, *tamen* Pecoli *intactum reliqui*, *cum utrum nomen corruptum sit*, *incertum sit. cf. Iordan p. XLV sqq.* 2. et] ut *Vatic.* 3. uiderint *Vatic. Paris. ed. Egnatii*

72, 5. oreat *codex.*

73, 7. tc̄ia *LRφg* tercia *p a* aut *LR* 8. quin* *(fort.* i *eras.) φ* et *strenui *(e eras.) φ* fient *LR* sint *p*

74, 9. 10. lasp̄itiū pro pulmenta *nunc in cod. Neapol. conspiciuntur*, rio habet *debentur editioni principi* pulmentario suo h. *Putschius*

75. *Charis. I p.* 56 *P.* 73 *K.* Cato in eodem (originum III): Multo pulmento usi.

76.** *Seru. ad Aen. VIIII* 603 Italiae disciplina et uita laudatur, quam et Cato in originibus et Varro in gente populi Romani commemorat.

EX LIBRO IIII

77. *Gell. II* 28, 6 Verba Catonis ex originum quarto haec sunt: Non lubet scribere, quod in tabula apud pontificem maximum est, quotiens annona cara, quotiens lunae aut solis lumine caligo aut quid obstiterit.

78. *Fest. s. u. mapalia p.* 146 *M.* Cato originum libro quarto: Mapalia uocantur ubi habitant [*Poeni*], ea quasi cohortes rotundae sunt.

79. *Gell. V* 21, 17 Item M. Cato in IIII originum eodem in loco ter hoc uerbum posuit: Compluriens eorum milites mercennarii inter se multi alteri alteros in castris occidere, compluriens multi simul ad hostis transfugere, compluriens in imperatorem impetum facere.

---

78. *Eadem apud Seruium ad Aen. I* 421: Cato originum [primo *addit. Paris.* 1250 *om. Cassell.*] magalia aedificia quasi coortes rotundas dicit [dr̃ *Paris.* 1250].

79. *Ex Gellio Nonius* (*cf. Hertz Iahn. ann. p.* 717) *s. u. compluriens p.* 87. Idem (Cato) originum l. IIII: Compluriens eorum — occidere.

75, 1. in eodem: multo, *quae nunc desunt in Neapol., debentur edit. pr.* idem *exc. orthogr., quae uox Keilio spatio lacunae melius conuenire uidetur*

77, 7. lubet] *R exc. Sciopp. codd. rec.* iubet *P* libet *codd. rec.* lubeis *V* 8. lumine *VPR* lumini *codd. rec.* (*est* lumine *antiqua forma datiui, quod moneo propter Hullemann. de ann. max. p.* 73.)

78, 12. rotunda *Salmasius exerc. Plin. p.* 19.

79, 14. conpluries *Nonii* L^1 compluries L^2 *W* mercennari *VP Nonius* merceñarii *R* 15. sese *ante Hertz.* multi] tumultuari *Bothius.* inulti *Mercer* in castris *om. Gell. add. Nonius* 16. tranfugere *R* 17. impetum] ī impetum *V* imp. in imp. *P*

80.** *Seru. ad Aen. IIII* 682 Exstinxti te meque soror populumque patresque Sidonios urbemque tuam] Quidam hoc loco uolunt tres partes politiae comprehensas, populi, optimatium, regiae potestatis. Cato enim ait de tribus istis partibus ordinatam fuisse Carthaginem.

81. *Priscian. VI p.* 710 *P.* 254 *H.* Cato tamen os protulit in IIII originum: Si quis membrum rupit aut os fregit, talione proximus cognatus ulciscitur.

82. *Gell. XI* 1, 6 Non esse abs re putaui notare quod M. Cato aliter dixit. nam in IIII originum uerba haec sunt: Imperator noster, si quis extra ordinem depugnatum iuit, ei multam facit.

258/496 **83*.** *Gell. III* 7 Pulcrum, dii boni, facinus Graecarumque facundiarum magni loquentia condignum M. Cato libris originum de Q. Caedicio, tribuno militum, scriptum reliquit.

---

80. *Eadem de Carthaginiensium re publica referunt Aristot. pol. II* 8 *et Cic. de rep. II* 23, 42.

81. *Plerique (Popma, Rein, Privatr. p.* 355, *Puchta instit. II p.* 51, *alii) haec ex lege duodecim tabularum Catonem protulisse arbitrati sunt. at uero constat illis diuersas poenas sanctas esse membro fracto et ossi rupta. cf. Gai. III* 223 *[= Iustin. instit. IIII* 4, 7*].* Poena autem iniuriarum ex lege XII tabularum propter membrum quidem ruptum talio erat, propter os uero fractum aut conlisum trecentorum assium poena erat statuta, si libero os fractum erat, at si seruo, CL *et alios locos, quos congesserunt Huschke a. h. l. et Schoell duod. tabul. p.* 141. *quam ob rem Mommsen (Abhand. der sächs. Gesellsch. uol. II p.* 258*) a Catone legem Romanam dici censuit, quae ante XII tabulas sancta esset, Wagener et Iordan p. LI apud Poenos hoc talionis ius, quod propter tempus praesens* ulciscitur *in Romanas res bellorum Punicorum non quadraret, uiguisse statuerunt. ego rem incertam in incerto relinquo.*

83. *Ex Gellio Nonius s. u. uerruca p.* 187 Cato libris originum: Censeo, inquit, — imperes (p. 75 u. 6). — *praeterea Catonis uerba esse existumat Gronouius (ad Gell. l. s. s.), quae Quintilianus inst. VIII* 3, 48 *(cf.* 6, 14*) laudat:* Deformitati proximum est humilitatis uitium, ταπείνωσιν uocant, qua rei magnitudo uel dignitas minuitur, ut 'saxea est uerruca in summo montis uertice', *quae eadem in Ecksteini anecd. Paris. rhet. p.* 20 *exstare monuit Iordan. idem recte huc p.* 71 *u.* 5 *pertinere uidit Vopisc. Prob.* 1, 1 *(cf. comment. crit. ad Cn. Gell. fr.* 1*):* lectum est quod Sallustius Crispus (*Cat.* 8, 4) quodque Marcus Cato et Gellius historici sententiae modo in litteras rettulerunt, omnes omnium

---

80. *Exhibet Bern.* 172.

81, 7. m̃brum *Bern.* 8. olciscitur *Bamb.*

83, 14. in libris *ante Hertzium* 15. de Q.] deq̄ *VP* cedicio *VR* cecidio *P* tribnio *R*

Id profecto est ad hanc ferme sententiam: Imperator Poenus in terra Sicilia bello Karthaginiensi primo, obuiam Romano exercitu progreditur, colleis locosque idoneos prior occupat. milites Romani, uti res nata est, in locum insinuant fraudi et perniciei obnoxium. Tribunus ad consulem uenit, ostendit exitium de loci importunitate et hostium circumstantia maturum. 'Censeo' inquit 'si rem seruare uis, faciundum, ut quadringentos aliquos milites ad uerrucam illam (sic enim Cato locum editum asperumque appellat) ire iubeas, eamque uti occupent, imperes horterisque; hostes profecto ubi id uiderint, fortissimus quisque et promptissimus ad occursandum pugnandumque in eos praeuertentur unoque illo negotio sese alligabunt, atque illi omnes quadringenti procul dubio obtruncabuntur. tunc interea occupatis in ea caede hostibus, tempus exercitus ex hoc loco educendi habebis. alia nisi haec salutis uia nulla est.' Consul tribuno respondit, consilium quidem istud aeque prouidens sibi

---

uirtutes tantas esse quantas uideri eas uoluerint eorum ingenia qui unius cuiusque facta descripserint. *Cicer. de sen.* 20, 75: Legiones nostras, quod scripsi in o r i g i n i b u s, in eum locum saepe esse (*sic Monac. BS* locum saepe *Rhenaug.* locum esse *Mon. 1 Paris.* locum profectas saepe *Erfurt.*) profectas alacri animo et erecto (recto *Par.*) unde se (se *post* numquam *Erfurt.*) redituras numquam (numquam redituras *Rhenaug.*) arbitrarentur. *Tuscul. I* 42, 101: Sed quid duces et principes nominem, cum legiones scribat C a t o (uocato *litteris* uo *eadem m. deletis Paris.*) saepe alacris in eum locum profectas, unde redituras se non arbitrarentur. *Senec. epist.* 82, 22: Quid? dux ille Romanus, qui ad occupandum locum milites missos, cum per ingentem hostium exercitum ituri essent, sic adlocutus est: 'Ire commilitones illo necesse est, unde redire non est necesse'. — *Consul fuit Atilius Calatinus, res facta est circa Camerinensium saltum (Flor. I* 18 (*II* 2), 13) *cum Camerinam consul peteret* (*Oros. IIII* 8). *uid. adnot. ad Claud. fr.* 42.

---

1. Poenus] pen' *P* 2. terrã siciliam *(˜ sec. m.) P* bella *VR* Kartaginensi *P* 3. exercitui *(P)* colle|is *(add. m. rec.* s *s.* e*) P* loqsque (o *supra*) *R* fraudi insinuant *R* 5. obnixium *P* exicium *VR* 6. ostium *P* circumtstantia *R* 7. reseruare *V (ap. Iordan.)* uis] ius *P* quadringentes *Nonii W* 8. uerruncam *Nonii* L^2 F^1 Coto *R* 9. appellau R^1 *corr.* R^2 occupem *R* 12. negocio *VP* ssese *R* 13. tu *ante Hertzium* Tc (s *supra*) *R* 14. et exercitus *V* 14. 15. educendi ex hoc loco *R* 16. consilium istuc quidem atq; *V* consilium quidem atque pr. *R* *supra Gronouium et Hertzium secutus P scripturam exhibui,* consilium quidem istuc fidum atque prouidens *Wagener*

uiderier, 'sed istos' inquit 'milites quadringentos ad eum locum in hostium cuneos quisnam erit qui ducat?' 'Si alium' inquit tribunus 'neminem repperis, me licet ad hoc periculum utare; ego hanc tibi et rei p. animam do.' Consul tribuno gratias laudesque agit. tribunus et quadringenti ad moriendum profiscicuntur. hostes eorum audaciam demirantur, quorsum ire pergant, in expectando sunt. sed ubi apparuit, ad eam uerrucam occupandam iter intendere, mittit aduersum illos imperator Karthaginiensis peditatum equitatumque, quos in exercitu uiros habuisset strenuissimos. Romani milites circumueniuntur, circumuenti repugnant. fit praelium diu anceps. tandem superat multitudo. quadringenti omnes cum uno, perfossi gladiis aut missilibus operti, cadunt. Consul interim, dum ibi pugnatur, se in locos tutos atque editos subducit.

Sed quod illi tribuno, duci militum quadringentorum, diuinitus in eo praelio usu uenit, non iam nostris, sed ipsius Catonis uerbis subiecimus: Dii immortales tribuno militum fortunam ex uirtute eius dedere. nam ita euenit: cum saucius multifariam ibi factus esset, tamen uulnus capiti nullum euenit, eumque

---

2. dicat V^1 *corr.* V^2 Sñ *R* 3. tribunũ *VR* neminem *om. R* utāre periculum *R* 4. rei P *V* r. p. *R* graciias *V* 5. laud(e)qsq; (a *et* d *ex corr.*) *R* 5. 6. profisciscuntur *R* 6. quorsum repergant *R* quorsumi repgantinę exp. V 7. in *om. P* ad eam] candem P^1 ad eandem *P a m. rec. uulg.* (e)adē *R* eadem *V (ap. Iord.) corr. Gronou.* 8. 9. Kartaginiensis *R* Kartaginienses *V* Kartaginensis *P* 11. p̃lium *VR* preliũ *P* diuances *V* Tamen *V* 12. una *V* gradiis *V* cladiis *R* missibus V^1 *corr.* V^2 13. inter ibidēdũ ea pugna se ĩ *V* interibi dum ea pugase *R supra habes scripturam P* interim dum ea pugna fit *Bothius* interibi dum ea pugna fit *Wagener* 15. tribuni *VR* 16. prelio P^1 usus uenit *libri* usu uenit *scripsi* 17. *post* subiecimus *exstat in V* VERBA CATONIS tribuni *V* tribura R fortuna *VR* 18. euenit uti cum (uti *a sec. m. in ras.*) *P* ita euenit ita *V* euenit, ut cum s. euenerit *Gronouius* sautius *P* sucius R^1 *corr.* R^2 19. esset] ẽe *V* esse *R* tamen] tum *R* euenit] *mihi post* euenit *u.* 18 *suspectum* cumque *VP* cum *R* cumque *uulg.*

inter mortuos defetigatum uulneribus atque quod sanguen eius defluxerat, cognouere. eum sustulere, isque conualuit saepeque post illam operam rei p. fortem atque strenuam perhibuit [illoque facto, quod illos milites subduxit, exercitum ceterum seruauit]. Sed idem benefactum, quo in loco ponas, nimium interest. Leonides Laco quidem simile apud Thermopylas fecit, propter eius uirtutes omnis Graecia gloriam atque gratiam praecipuam claritudinis inclitissimae decorauere monumentis, signis statuis; elogiis, historiis aliisque rebus gratissimum id eius factum habuere. at tribuno militum parua laus pro factis relicta, qui idem fecit atque rem seruauerat.

Hanc Q. Caedici tribuni uirtutem M. Cato tali suo testimonio decorauit.

84. *Non. s. u. duodeuicesimo p.* 100 Cato in quarto origi- 218/536
num: Deinde duoetuicesimo anno post dimissum bellum, quod

---

84. *Gell.* X 1, 10: In M. autem Catonis quarta origine ita perscribtum est: 'Carthaginienses — decessere'. *Nonius sua sumpsit ex Gell. V* 4, 5, *ubi praeter Varronis nomen etiam Catonis uerba intercidisse suo iure Hertz in Iahn. ann. p.* 717 *not.* 10 *coniecit. — De re uid. Mommsen. chronol. p.* 274 *sq.*

---

1. defetigatum *VR* defatigatum *cet. libri* atque] aegreque spirantem *Stephanus* sanguen eius] sanguen *R* V^1 sanguenis V^2 sanguineis ei' *P corr. Hertz* sanguen eis *Iordan* 2. ꝯnouere *R* 3. postilla *Stephanus* rei.P. *V* peribuit *R* 3. 4. illoq̄ *R* illoque facto — seruauit *orationis tenorem perturbant* 4. 5. seruauit huc usq; Ꝫ id' bene f. *('eras) P* 6. leonides lacu *R*
a laudatur
leonides lacu *P* leonides lacu *V (corr. m. s.)* Leonidas Lacedaemonius laudatur ante *Hertzium* qui P^1 *VR* qui^{d} P^2 quidem *scripsi* consimile *Gronou.* hermopilas *P* term. *R* therm. *V* 7. graciam VP^2 ḡciam *R* greciam P^1

9. statuis; elogiis *Hertz distinxit* rebus; grat. *dist. Iordan* grauissimum *V* 10. At] V^2P^2 ad V^1R a P^1 12. hancq; *VRP* cedici *VRP*

84, 14. duodeuicesimo *legit et excerpsit Nonius at uid. Gell. l. in adn. l.* dimisum F^1 15. *post* bellum *in W sed erasum*

quattuor et uiginti annos fuit, Carthaginienses sextum de foedere decessere.

85**. *Seru. ad Aen. X* 13 Alpes — quae secundum Ca-
216 tonem et Liuium muri uice tuebantur Italiam.

538 86*. *Gell. X* 24, 7 Et historiam autem et uerbum hoc sumpsit Coelius ex origine M. Catonis, in qua ita scriptum est: Igitur dictatorem Karthaginiensium magister equitum monuit: 'Mitte mecum Romam equitatum: diequinti in Capitolio tibi cena cocta erit'.

87. *Gell. II* 19, 9 M. Cato in quarto originum: Deinde

---

85. *Liu. XXI* 35, 8 Praegressus signa Hannibal in promunturio quodam, unde longe ac late prospectus erat, consistere iussis militibus Italiam ostentat subiectosque Alpinis montibus circumpadanos campos, moeniaque eos tum transcendere non Italiae modo sed etiam urbis Romanae. *(ex Polybio III* 54, 2 *οὕτω γὰρ ὑπεπεπτώκει τοῖς προειρημένοις ὄρεσιν ὥστε συνθεωρουμένων ἀμφοῖν ἀκροπόλεως φαίνεσθαι διάθεσιν ἔχειν τὰς Ἄλπεις τῆς ὅλης Ἰταλίας.) Isidor. orig. XIIII* 8, 18 Hae *(Alpes)* sunt quae Italiae murorum exhibent uicem.

86. *Ex Gellio Macrobius I* 4, 26. — *fr.* 86 *et* 87 *coniunxerunt Popma et Iordan. deest inter ea Hannibalis responsum. ad rem cf. Liu. XXII* 51, *in cuius librum per Coelium [uid. fr.* 24*] Catonis narratio transiit:* Hannibali uictori (*Cannensi*) cum ceteri circumfusi gratularentur suaderentque, ut tanto perfunctus bello diei quod reliquum esset noctisque insequentis quietem et ipse sibi sumeret et fessis daret militibus, Maharbal, praefectus equitum, minime cessandum ratus 'immo ut, quid hac pugna sit actum, scias, die quinto' inquit 'uictor in Capitolio epulaberis. sequere: cum equite, ut prius uenisse quam uenturum sciant, praecedam'. Hannibali nimis laeta res est uisa, maiorque quam ut eam statim capere animo posset. itaque uoluntatem se laudare Maharbalis ait, ad consilium pensandum temporis opus esse. tum Maharbal: 'non omnia nimirum eidem di dedere: uincere scis, Hannibal, uictoria uti nescis'. mora eius diei satis creditur saluti fuisse urbi atque imperio. *ex Liuio Valer. Max. VIIII* 5 *ext.* 3. *Flor. II* 6, (*I* 22,) 19. *Plutarchus Fab.* 17 *Barcam Hannibali exprobrantem facit eum uictoria uti nescire.*

---

1. carthagin[i]enses *WF* kartag. *Gell. p* Cartag. *φ* Carthaginenses *a* de *in W sup. lin.* federe *L W Gell. B L R p a* f[o]odere *Harlei.* f[o]edere *F* fe*dere (n *eras.*) *φ* fędere *g* 2. decernere *Nonius* decessere *om. Gell. g a*

85. que *Regin.* quia *Paris.*

86, 6. supsit *R* celius *LBR p* M.] IIII *Gronou.* ex originibus M. Catonis *Macrobius* in quo *BLς* 7. Kartag. *R p* Kart[h]ag. *φ* cartaginensium *BL* cartaginiensium *Macrobii Bamb. Paris.* aequitũ *φ* 8. mittẽ *R* equitatum Romam *p* Capitolium *uulgo* tibi *om. B Macrobii Paris.* caena *φg Macrobii Bamb.* cęna *a o* coena *Macr. Paris.*

dictator iubet postridie magistrum equitum arcessi: 'Mittam te, si uis, cum equitibus'. 'Sero est' inquit magister equitum 'iam resciuere'.

88*. *Plin. n. h. VIII* 5, 11 Antipater auctor est, duos *[elephantos]* Antiocho regi in bellicis usibus celebres etiam cognominibus fuisse. etenim nouere ea. certe Cato, cum imperatorum nomina annalibus detraxerit, eum qui fortissime proeliatus esset in Punica acie, Surum tradidit uocatum altero dente mutilato.

89.** *Seru. ad Aen. III* 707 Cato pluraliter haec Drepana dicit.

90. *Priscian. VIII p.* 792 *P.* 382 *H.* Cato in IIII originum: Duo exules lege publica . . . . . . et execrari.

91. *Gell. XI* 3, 2 Videbam — M. Catonem in originum quarto: 'Praelium factum depugnatumque pro castris' scribsisse.

---

90. *Quamquam res est admodum dubia, tamen adscribam, quae Iordan p. LIIII expiscatus est. is enim eandem rem hic narratam esse a Catone existumat quam a Varrone apud Donat. Terent. Eun. II* 2, 25: Varro humanarum rerum: Numerius Equitius Cuppes, inquit, et M.' Macellus singulari latrocinio multa loca habuerunt infesta. his in exilium actis publicata sunt bona et aedes ubi habitabant dirutae. ex ea pecunia scalae aedis deum penatium aedificatae sunt. ubi habitabant, factus locus, ubi uenirent ea quae uescendi causa in urbem erant adlata. itaque ab altero macellum, ab altero forum cupedinis est adpellatum. *Hoc uero factum est Festo auctore, qui eandem rem p.* 48 *et* 125 *secundum Varronem exposuit, ab Aemilio et Fuluio censoribus, i. e. anno* 179. 575 *et sine dubio extra quarti originum libri fines positum est.*

---

1. post tridie *VR*ς postero die ς accersi *pars lib. rec.* mittante *P* mittātes iuis equitũ c̃ equitibus *R*

88, 8. Sursum *Paris. d*

89, *Exhibet Bern.* 172.

90, 13. legem *Gruter.* publicam *Gruter.* puplicam *Sangall. Karol.* et execrari] *Bern. a pr. m. Grut. Karol.* et exsecrari *Halberst. a pr. m. Sangall.* et execrari* *Bamb.* et execrassi *Par. R a pr. m.* execrari *Par. R sec. m. Bern. sec. m. (Hertz)* exsectati *Halb. sec. m.* lege publicati et execrati *Wagener* lege publica condemnati et execrati *Mommsen ap. Iordanum.*

91, 14. M] in *L* Catonem *in marg. o* origenũ φ[1] 15. prelium *L* p̃liũ *B g p*

EX LIBRO V

195/559 **92**.** *Liu. XXXIIII* 15, 9 Cato ipse, haud sane detractator laudum suarum, multos (*pugna cum Hispanis ad Emporias conmissa*) caesos ait, numerum non adscribit.

93*. *Gell. II* 22, 28 Sed quod ait uentum, qui ex terra Gallia flaret, circium appellari, M. Cato in libris originum eum uentum 'cercium' dicit, non 'circium'. nam cum de Hispanis scriberet, qui citra Hiberum colunt, uerba haec posuit: Sed in his regionibus ferrareae, argenti fodinae pulcherrimae, mons ex sale mero magnus, quantum demas, tantum adcrescit. uentus cercius cum loquare, buccam implet, armatum hominem, plaustrum oneratum percellit.

94*. *Priscian. VII p.* 733 *P.* 293 *H.* M. Cato in originibus: Dotes filiabus suis non dant.

167/587 **95.** *Gell. VI (VII)* 3 Ciuitas Rhodiensis et insulae oportunitate et operum nobilitatibus et nauigandi sollertia naualibus-

---

92. *uid. supra p. CLIIII sq. Appian. Hisp.* 40: διώξας τε νυκτὸς ὅλης ἐκράτησεν αὐτῶν τοῦ στρατοπέδου καὶ πολλοὺς ἀπέκτεινεν.

93. *Apul. de mund. c.* 14: Cato autem in libris originum non circium sed cercium dicit. *de uento, qui a Graecis Καικίας dicitur, cf. Senec. quaest. nat. V* 17, 5. *Strabo I* 2 *p.* 29. *Plut. Sert.* 17. — *Liu. XXXIIII* 21, 7: Pacata prouincia (*Cato*) uectigalia magna instituit ex ferrariis argentariisque, quibus tum institutis locupletior in dies prouincia fuit.

94. *Ad Cantabros pertinere uidit Roth conparatis Strabonis III* 4 *p.* 165 *uerbis*: τὰ δὲ τοιαῦτα ἧττον μὲν ἴσως πολιτικά, οὐ θηριώδη δέ, οἷον τὸ παρὰ τοῖς Καντάβροις τοὺς ἄνδρας διδόναι ταῖς γυναιξὶ προῖκα.

95. *Gellius huius orationis fragmenta a—f. ex Tullii Tironis epistula hausit, quam conscripsit ad Q. Axium, familiarem patroni sui, in qua sibimet uisus est hanc orationem acri subtilique iudicio percensuisse* (§ 10). *fr. g ipse addidit, quoniam Tiro praetermisit* (§ 49). — *Non ipsum orationis tenorem nos habere sed pauca quaedam excerpta, et ex ipsis fragmentorum*

93, 5. in libris *VPR anthol. Thuan. Vrsin. exc. Scioppii* in libro ς 6. cercium] er *sup. lin. add. R* his panis *P*[1] *m. rec. corr.* 7. Sed *siue* S; *libri* Sunt *uulgo* 8. ferrariae *uulgo* pulcherime *R* 9. accrescit ς adorescit *P* adorrescit *R* adolescit *g* 10. circius *R ante corr.* 11. honeratum *V*

94, 12. 13. originalibus *Karol.*

95, 14. rodiensis *V (sic semper)*

que uictoriis celebrata est. Ea ciuitas, cum amica atque socia populi Romani foret, Persa tamen, Philippi filio, Macedonum rege, cum quo bellum populo Romano fuit, amico usa est, conixique sunt Rhodienses legationibus Romam saepe missis id bellum inter eos componere. sed, ubi ista pacificatio perpetrari nequiuit, uerba a plerisque Rhodiensibus in contionibus eorum ad populum facta sunt, ut, si pax non fieret, Rhodienses regem aduersus populum Romanum adiutarent. sed nullum super ea re publicum decretum factum est. At ubi Perses uictus captusque est, Rhodienses pertimuere ob ea, quae conpluriens in coetibus populi acta dictaque erant, legatosque Romam miserunt, qui temeritatem quorundam popularium suorum deprecarentur et fidem consiliumque publicum expurgarent. Legati postquam Romam uenerunt et in senatum intromissi sunt uerbisque suppliciter pro causa sua factis e curia excesserunt, sententiae rogari coeptae; cumque partim senatorum de Rhodiensibus quererentur

---

argumentis adparet et ex Gellii uerbis, quibus reprehendit Tironem quod ex omnibus facultatibus tam opulentae orationis aptis inter se et cohaerentibus paruum quippiam nudumque sumpserit (§ 54), *et quibus singula frustula introducit: fr. b* Quae deinde Cato iuxta dicit, ea, inquit *[Tiro]*, confessionem faciunt, non defensionem — eaque ipsa uerba ponit, ita ut infra scriptum: —*fr. c* postea uerba haec ex eadem oratione ponit. *fr. d* post deinde usum esse Catonem dicit in eadem oratione argumentis parum honestis et nimis audacibus. — uerba autem ex ea oratione M. Catonis haec sunt: *fr. e* deinde paulo infra dicit: *fr. f* postea ita dicit: — *Pluribus Rhodiensium legationem enarrauerunt Polybius XXX* 4 *sq. et Liuius XXXXV* 20—25 *(qui in hisce Polybio non est usus). hic postquam unum e Rhodiensibus longa oratione sese defendentem fecit, sic pergit* (c. 25, 1): Secundum talem orationem uniuersi rursus prociderunt ramosque oleae supplices iactantes tandem excitati curia excesserunt. tunc sententiae interrogari coeptae. infestissimi Rhodiis erant qui consules praetoresue aut legati gesserant in Macedonia bellum. plurimum causam eorum adiuuit M. Porcius Cato, qui asper ingenio, tum lenem mitemque senatorem egit. non inseram simulacrum uiri copiose quae dixerit referendo; ipsius oratio scripta exstat, originum quinto libro inclusa.

---

1. Ea Rhodiensis ciuitas *uulg.* Rhodiensis *om.* *VRP* 2. p. R. *R* ppl'i·R· *P* foret *om.* *R* Philipi *R* 3. fuit] foret fuit *V* 4. r^{h}odienses *P* 7. rodienses *P* 8. aduersũ *V* Romanum] .r. *R* 9. plublicum *R* 10. pertimeuere *R* quae] q; *VRP* 10. 11. cetibus *VP* 14. 15. sĩpliciter *R*[1] supliciter *R*[2] factis e curia] facti securi *VP* habitis facti securi *R* *emend. Malaspina*

maleque animatos eos fuisse dicerent bellumque illis faciendum censerent: tum M. Cato exurgit et optimos fidissimosque socios, quorum opibus diripiendis possidendisque non pauci ex summatibus uiris intenti infensique erant, defensum conseruatumque pergit orationemque inclutam dicit, quae et seorsum fertur inscriptaque est pro Rhodiensibus et in quintae originis libro scripta est. — Ipsum deinde principium apposuit (*Tiro*), cuius uerba haec sunt.

a. Scio solere plerisque hominibus rebus secundis atque prolixis atque prosperis animum excellere atque superbiam atque ferociam augescere atque crescere. quod mihi nunc magnae curae est, quod haec res tam secunde processit, ne quid in consulendo aduorsi eueniat, quod nostras secundas res confutet, neue haec laetitia nimis luxuriose eueniat. aduorsae res edomant et docent, quid opus siet facto. secundae res laetitia transuorsum trudere solent a recte consulendo atque intellegendo. quo

---

a. *Partem repetiit Gellius XIII* 25 (24), 13: Item M. Cato in orationis principio, quam dixit in senatu pro Rhodiensibus, cum uellet res nimis prosperas dicere, tribus uocabulis idem sentientibus dixit. — Verba eius haec sunt: 'Scio — augescere'. — *Praeterea conferri iubet Meyer* (*orat. Rom. fr. p.* 105) *Caes. epist. ad Front. II* 13 *p.* 36 *N.*: Nam uni M. Porcio me dedicaui atque despondi atque delegaui. hoc etiam ipsum 'atque' unde putas? ex ipso furor. *Huc pertinere Charis. II p.* 195 *P.* 220 *K.*: Secunde Cato senex, ut Maximus notat *Klotz monuit in Iahn. ann.* 85 (1862) *p.* 316, *Sulpiciae sat. u.* 48. Quos inter prisci sententia dia Catonis scire deis magni fecisset, utrumne secundis an magis aduersis staret Romana propago *Roth p.* 284.

---

1. eos animatos *uulg.* que *om. R* 4. infessique *V* infensique *R* infestique *uulg.* incensique *Gronouius* que *om. R* 6. pro Rhod. — scripta est *om. R*

a, 9. in rebus secundis *Gell. XIII* 25, 14. 10. prolixis prosperis *P* 11. ferosciam *V* quo mihi *Iordan* nunc mihi *uulg.* $\overset{i}{m}$ nunc *P* 12. quod h.] quom *Haupt ap. Iord.* proscessit *R* processerit V^2 *Meyer* 12. 13. consuluendo *R* 13. confuter·ne ue *P* 14. nimia luctuose *Bolhuisius. at conferri iubet Peerlkamp bibl. crit. nou. III p.* 399 *Liu. XXIII* 12, 12: uereor ne haec quoque laetitia luxuriet nobis ac uana euadat. euaeniat *R* aduersae (*P*) edomant] se domant (sedonant V^1) *libri emend. Pricaeus* 15. sit *P* 15. 16. transuersum *P* 16. recto *VRP* intellegendo *V* intelligendo *cet. libri*

maiore opere dico suadeoque, uti haec res aliquot dies proferatur, dum ex tanto gaudio in potestatem nostram redeamus. —

b. Atque ego quidem arbitror, Rhodienses noluisse nos ita depugnare, uti depugnatum est, neque regem Persen uinci. sed non Rhodienses modo id noluere sed multos populos atque multas nationes idem noluisse arbitror. atque haut scio, an partim eorum fuerint, qui non nostrae contumeliae causa id noluerint euenire. sed enim id metuere, si nemo esset homo quem ueremur, quidquid luberet faceremus, ne sub solo imperio nostro in seruitute nostra essent. libertatis suae causa in ea sententia fuisse arbitror. atque Rhodienses tamen Persen publice numquam adiuuere. cogitate, quanto nos inter nos priuatim cautius facimus. nam unus quisque nostrum, si quis aduorsus rem suam quid fieri arbitrantur, summa ui contra nititur, ne aduorsus eam fiat: quod illi tamen perpessi. —

---

b. *Appian. Punic.* 65: *ἐγίγνοντο οὖν αἱ συνθῆκαι, τρίται αἵδε, Ῥωμαίοις καὶ Καρχηδονίοις πρὸς ἀλλήλους. καὶ ὁ Σκιπίων ἐς αὐτὰς ἐδόκει μάλιστα τοὺς Ῥωμαίους ἐναγαγέσθαι, εἴτε τῶν εἰρημένων οὕνεκα λογισμῶν, εἴτε ὡς ἀρκοῦν Ῥωμαίοις ἐς εὐτυχίαν τὸ μόνην ἀφελέσθαι Καρχηδονίους τὴν ἡγεμονίαν. εἰσὶ γὰρ οἳ καὶ τόδε νομίζουσιν αὐτὸν ἐς Ῥωμαίων σωφρονισμὸν ἐθελῆσαι γείτονα καὶ ἀντίπαλον αὐτοῖς φόβον ἐς ἀεὶ καταλιπεῖν, ἵνα μή ποτε ἐξυβρίσειαν ἐν μεγέθει τύχης καὶ ἀμεριμνίᾳ. καὶ τόδε οὕτω φρονῆσαι τὸν Σκιπίωνα οὐ πολὺ ὕστερον ἐξεῖπε τοῖς Ῥωμαίοις Κάτων, ἐπιπλήττων τοῖς παρωξυμμένοις κατὰ Ῥόδον. Catonem uidetur imitatus esse Sallustius Iug.* 41 *et hist. fr.* 10 *p.* 9 *Kr.*

---

1. opera *R* 2. dum] cum *VRP*

b, 3. At ego *V (ex Iordan.)* 4. psęn *P* uinci sed non] uicis. non *R* uicisse non *rel. libri emend. Hertz* 8. metuere si] metueres *P* 9. quidquid luberet] quicquid luberet *R* quidqd' ıubet
ł li
V[1] quicqd ıubet *V*[2] *(saec. XV corr.)* quidqd' lib'et *P* et quidquid *Carrio* quodque *Gronouius* quo id quod *Wagener* faceremus. Ne *P* sub] fub *R*[1] 10. nostra essent] nr̅e sent *V*[1] nostra essent *V*[2] *(saec. XV corr.)* nrę sẽnt *R* nre sunt *P* iusta essent *Gronouius* nostra omnia essent *O. Ribbeck in mus. Heluet. n. I p.* 16. sentencia *P* 11. atqui *Sciοppius* Persen] pse *V*[1]*P* (persem *V*[2] *c. saec. XV*) Perse *R* 12. adiuuare *VRP* cogitare *RP* nos priuatim] nr̅i uatim *PV*[1] (nr̅i natiui *m. rec.*) nr̃i uatĩ *R* cogitate quanto nos priuatim *Lipsius. corr. Gronouius* caucius *P* 13. quis] *an* ques? *uid. fr.* 1 *c. adn.* 14. arbitratur *uulgo* aduersus (*P*) ea *VRP* 15. illam̃ *uulgo* itam̃ perpesi *R (ex Iordano)*

c. Ea nunc derepente tanta beneficia ultro citroque, tantam amicitiam relinquemus? quod illos dicimus uoluisse facere, id nos priores facere occupabimus. —

d. Qui acerrime aduorsus eos dicit, ita dicit: hostes uoluisse fieri. ecquis est tandem, qui uestrorum, quod ad sese attineat, aequum censeat poenas dare ob eam rem, quod arguatur male facere uoluisse? nemo opinor. nam ego, quod ad me attinet, nolim. —

e. Quid nunc? ecqua tandem lex est tam acerba, quae dicat: si quis illud facere uoluerit, mille minus dimidium familiae multa esto; si quis plus quingenta iugera habere uoluerit, tanta poena esto; si quis maiorem pecuum numerum habere uoluerit, tantum damnas esto. atque nos omnia plura habere uolumus, et id nobis impune est.

f. Sed si honorem non aequum est haberi ob eam rem,

d. *cf. orationem Rhodiensium Liuianam XXXXV* 24, 2—3: Voluntatis nostrae tacitae uelut litem aestimari uestris inter uos sermonibus audio, patres conscripti: fauisse nos regi et illum uincere maluisse, ideo bello persequendos esse credunt alii uestrum; alii uoluisse quidem nos hoc, non tamen ob id bello persequendos esse: neque moribus neque legibus ullius ciuitatis ita conparatum esse, ut, si qui uelit inimicum perire, si nihil fecerit, quo id fiat, capitis damnetur.

e. *Fest. s. u. pecuum p.* 246 *M.*: Pecuum cum dixit M. Cato per casum genetiuum a singulari casus recti formauit, quo utebantur antiqui, id est pecu.

---

c, 1. ei *R* eo *Iordan* de repente *P* nos *post* tanta *uulgo additur om. VRP* beneneficia *R* 3. occupauimus *VRP*

d, 4. accerrime *P* hostes *V* ostes *R* hoste *P* 5. et quis *libri* ecquis *Gronou.* uestrorum qui *Gronou. de forma* uestrorum *pro* uestrum *uid. Neue Formenl. II p.* 133 6. equum *V* eqũ *R* quempiam *ante* poenas *add. uulg.* penas *P* arguāt̃ *R* 7. malefacere *P*

e, 9. quin nunc *R* et qua *VP* et quae (R) *uulg.* ecqua *Meyer* 10. mille minus *VPR* mille nummi dimidium *uulg. codd. scripturam iure suo tuitus est E. Huschke in anal. litt. p.* 257. *cf. tab. Bantin. u.* 12 *C. I. L. I p.* 45 *et Mommseni adnot. p.* 48. 11. m. esto? *VP* abere *R* tanta — uoluerit *in P in mg. addiderat m. pr., nunc tamen margine circumcisa haec exstant*: tanta pena es | maiorē pecuū | hab'e uoluer | 12. et si quis *uulg.* 13. damna *RP* dampna *V* damni *uulg. corr. Scioppius* atqui *uulg.* pluria *Roth coni. Gell. V* 21, 6.

f, 15. equum *V* eqũ *R*

quod bene facere uoluisse quis dicit neque fecit tamen, Rhodiensibus oberit, quod non male fecerunt sed quia uoluisse dicuntur facere? —

g. Rhodiensis superbos esse aiunt, id obiectantes, quod mihi et liberis meis minime dici uelim. sint sane superbi. quid id ad uos attinet? idne irascimini, si quis superbior est quam uos.

96. *Gell. XI* 3, 2 Videbam — M. Catonem in originum quarto — scripsisse et item in quinto: Vrbes insulasque omnis pro agro Illyrio esse.

97. *Non. s. u. pisculentum p.* 151 Cato originum libro V: Fluuium Naronem magnum pulchrum pisculentum.

---

g. *Gellius haec de tota oratione iudicat*: Praeterea animaduertere est, in tota ista Catonis oratione omnia disciplinarum rhetoricarum arma atque subsidia mota esse; sed non proinde, ut in decursibus ludicris aut simulacris proeliorum uoluptariis fieri uidemus, non, inquam, distincte nimis atque compte atque modulate res acta est, sed quasi in ancipiti certamine, cum sparsa acies est, multis locis Marte uario pugnatur: sic in ista tum causa Cato, cum superbia illa Rhodiensium famosissima multorum odio atque inuidia flagraret, omnibus promisce tuendi atque propugnandi modis usus est et nunc ut optime meritos commendat, nunc, tamquam si innocentes purgat, ne bona diuitiaeque eorum expetantur, obiurgat, nunc et quasi sit erratum deprecatur, nunc ut necessarios rei publicae ostentat, nunc clementiae, nunc mansuetudinis maiorum, nunc utilitatis publicae commonefacit. Eaque omnia distinctius numerosiusque fortassean dici potuerint, fortius atque uiuidius potuisse dici non uidentur.

96. *Fortasse referendum est ad a.* 167. 587, *quo senatus populusque Romanus Illyrios liberos esse iussit* (*Liu. XXXXV* 26, 12).

---

2. taberit qd' non *V* tab̄it quod non *R* ˜ aberıt (ñ *m. sec. in lacunam inseruit*) qd' ñ *P* male erit *Scioppius* oberit *Lambecius* noxa erit *Iac. Gronouius* non abierit *Hertz* id oberit *Iordan, ego cogitaui de* fraudi erit. malefecert *P* 3. facere *om. R (teste Iordan.)*

g, 5. et] e *P* a *H. Stephanus* dici *deest in P lacuna relicta* minime uelim *Lambecius* obici *Iordan* minime obici nolim *H. Sauppe (Tulliana in ind. lect. Gotting. hib. a.* 1867 *p.* 15) 6. quid] qd' *P* nos *libri em. Wagener* superior *R* 7. nos *libri emend. Wagener*

96, 9. in quinto] in ut φ in quinq; *a* omnes pro pago ill. *a* 10. argro illirio ẽ c̃e *R* illirio ẽ c̃e *R* illycrio φ illirio *p*

97, 12. *ante* Fluuium *libri* origine *addunt. del. Mercer.* paronem magnom *W*[1]

98. *Prisc. X p.* 886 *P.* 510 *H.* Cato in V originum: Quod eorum nemo quisquam quicquam mihi ignoturus est.

99. *Gell. XV* 9, 5 M. Cato in quinta origine ita scripsit: Postridie signis conlatis aequo fronte peditatu, equitibus atque alis cum hostium legionibus pugnauimus.

100. *Gell. XV* 9, 5 'Recto' quoque 'fronte' idem Cato in libro eodem [*originum quinto*] dicit.

101. *Gell. XV* 13, 5 M. Cato in quinta origine: Exercitum, inquit, suum pransum, paratum, cohortatum eduxit foras atque instruxit.

102. *Fest. s. u. pilates p.* 237 *M.* Cato originum l. V: Lapis candidior quam † pelastes.

103. *Non. s. u. protelare p.* 363 Cato originum lib. V: Sed protelo trini boues unum aratrum ducent.

104. *Prisc. VIII p.* 864 *P.* 475 *H.* Cato in V originum: Illi polliciti sese facturum omnia.

EX LIBRO VI

105. *Gell. XX* 5, 13 Quod est scriptum a M. Catone in sexta origine: Itaque ego, inquit, cognobiliorem cognitionem esse arbitror.

98, 1. in V originum *om. Sangall.* 2. quisquam] quis *Bamberg. a pr. m. corr. sec. m.* mihi *in mg. add. Halberst.*

99, 3. M. Cato] * cato *(in ras.* a *non* m *uid. fuisse) φ* quinta] *mo* qui[n]to *φ* ·V·[to] *p* p[i]mo *RL* 4. post tridie *Lgp* Post tridiac *φ* postr[i]die *Ra* conlatis R^1*Lφgmo* collatis R^2 *ulgou* p̃ditatu $φ^1$ equitibus] aequitibus *φ* peditibus *R* uelitibus *Gronou.* 5. aliis *RL* peditatu atque alis *Hertz* peditatu equitibusque alariis *Bormann* pugnauim^9 *RL* pugnauit *uulgo*

101, 8. in ·V·[to] originum *p* exercitu *L* 9. paratum] pratū *L* paratumque *p* cohortatum] & hor. *R* cohertatum (e *in* a *corr.) φ* cohortauit *p* cohortatum eduxit *in ras. L* 10. instruxit] x *in ras. L*

102, 11. pilates *Festus in lemmate et Paul. p.* 236 *M.* Pellates (= Φελλάτης) *Leutsch in Zenob. prou. V* 13 *p.* 121

103, 13. origine *L* W^1 14. ducunt W^1

104, 15. V. de originum *Sangall. Gruter. Karolir.*

105, 17. M. *om. φ* ·VI· *φmgao* quinto originum *p* 19. arbritor *a*

EX LIBRO VII

106. *Cic. Brut.* 23, 89 Quae quidem uis [*Galbae*] tum ma- 149/605
xime cognita est, cum Lusitanis a Seruio Galba praetore contra interpositam, ut existumabatur, fidem interfectis, T. Libone tribuno pl. populum incitante et rogationem in Galbam priuilegi similem ferente, summa senectute, ut ante dixi, M. Cato legem suadens in Galbam multa dixit. quam orationem in origines suas rettulit, paucis antequam mortuus est diebus an mensibus. Tum igitur *nihil* recusans Galba pro sese et populi Romani fidem implorans, cum suos pueros tum C. Galli etiam filium flens commendabat, cuius orbitas et fletus mire miserabilis fuit propter recentem memoriam clarissumi patris. isque se tum eripuit flamma, propter pueros misericordia populi commota, sicut idem scriptum reliquit Cato.

107. *Front. epist. ad Caes. III* 20 *p.* 57 *N.* Cato quid dicat de Galba absoluto, tu melius scis; ego memini propter fratris filios eum absolutum. τὸ δ' ἀκριβὲς ipse inspice. Cato igitur dissuadet neue suos neue alienos quis liberos ad misericordiam

---

106. *Ciceronis uerba (non Liuii, quae est sententia Iordani p. LVIII) partim ad uerbum descripsit Valerius Max. VIII* 1, 2. — *Cic. Brut.* 20, 80: Et uero etiam tum Catone uiuo, qui annos quinque et octoginta natus excessit e uita, cum quidem eo ipso anno contra Ser. Galbam ad populum summa contentione dixisset, quam etiam orationem scriptam reliquit. *de orat. I* 53, 228: Quod item apud Catonem scriptum esse uideo, nisi pueris et lacrimis usus esset *[Galba]*, poenas eum daturum fuisse. *Quintil. II* 15, 8: Seruium quidem Galbam miseratione sola, qua non suos modo liberos paruulos in contione produxerat sed Galli etiam Sulpicii filium suis ipse manibus circumtulerat, elapsum esse, cum aliorum monumentis tum Catonis oratione testatum est. — *cf. Ascon. ad Cic. diu.* 20 *p.* 124 *Or.:* Cato accusauit Ser. Galbam pro direptis Lusitanis. *Liu. per.* 49: Cum L. Scribonius tribunus plebis rogationem promulgasset, ut Lusitani, qui in fidem populo Romano dediti ab Seruio Galba in Galliam uenisset, in libertatem restituerentur, M. Cato acerrime suasit. extat oratio et in annalibus ipsius inclusa. Q. Fuluius Nobilior ei, saepe ab eo in senatu laceratus, respondit pro Galba; ipse quoque Galba cum se damnari uideret, complexus duos filios praetextatos et Sulpici Galli filium, cuius tutor erat, ita miserabiliter pro se locutus est, ut rogatio antiquaretur. 39, 40, 12.

106, 3. L. Libone *Corradus* 8. nihil *om. libri add. Corradus ex Val. Max. VIII* 1, 2. 11. sique se *Gud.* 2 sicque se *C. Peter* 12. flammae *Lagom.* 30. 56.

conciliandam producat neue uxores neue adfines uel ullas omnino feminas.

108. *Gell. XIII* 25 (24), 15 Itidem Cato ex originum VII in oratione, quam contra Seruium Galbam dixit, conpluribus uocabulis super eadem re usus est: Multa me dehortata sunt huc prodire, anni, aetas, uox, uires, senectus: uerum enim uero, cum tantam rem peragier arbitrarer.

109. *Gell. I* 12, 17 M. Cato de Lusitanis, cum Seruium Galbam accusauit: Tamen dicunt deficere uoluisse. ego me nunc uolo ius pontificium optime scire: iamne ea causa pontifex capiar? si uolo augurium optime tenere, ecquis me ob eam *causam* augurem capiat?

110. *Non. s. u. pisculentum p.* 151 Cato originum — libro VII: Fluuium Hiberum; is oritur ex Cantabris, magnus atque pulcher, pisculentus.

---

108. *Anonym. Quicherati de figuris u.* 136 *sqq. (quem locum sumpsi ex Meyero orat. p.* 123) Est conductio conque gregatio, cum adcumulo res. Multae hortantur me res: aetas, tempus, amici, concilium tantae plebis, dementia natum [*sic Quich.* denuntia natum *lib.*]. *Imitatus est Catonem Memmius Sallustianus in bell. Iug.* 31.

110. *cf. Strab. IIII* 4 *p.* 159: Ῥεῖ δὲ ὁ Ἴβηρ, ἀπὸ Καντάβρων ἔχων τὰς ἀρχάς, ἐπὶ μεσημβρίαν διὰ πολλοῦ πεδίου παράλληλος τοῖς Πυρηναίοις ὄρεσιν. *Plin. n. h. III* 21: Regio Ilergaonum, Iberus amnis nauigabili conmercio diues, ortus in Cantabris haud procul oppido Iuliobriga, per CCCCL M pass. fluens, nauium per CCLX M a Varia oppido capax. — *Fortasse spectat ad bellum quod a.* 153. 601 *Celtiberis a Q. Fuluio Nobiliore inlatum est.*

108, 3. origiū *R* V̄II. *L* VII *φo* ·VII· (o *superscr.*) *gap* 4. contraserunt *φ ante corr.* contra Ser̃ *o* ser̃ galbã *Rmg* serum *La* ser. galbam *p* cūm plib; *R* 5. multa|ri me *p* dechorata (t *superscr.*) *φ* deortata *L* 6. annȩtas *a* etas uxor uires *L (in ras.)* uerū enĩuiro *R*[1] *corr. s. m.* 7. rē̃. p. agier (ē̃. p. *a sec. m. in ras. pro* rem pagier) *g* agier (p *om.*) *φ* pagier *L* pagrer *a* rēp. agier *o* arbitraret *L* arbitraretur *R*

109, 9. tamen] cum *rec. libri* 11. si] ius *Popma* ecquis] et quos *P* et quis *V* ob meam augurem *P* ob meam rem *R V* ob eam rem aug. *uulgo.* causam *inseruit Hertz*

110, 13. *an* libro V? 14. fluuius hiberus oritur *F.* Fluuius Hiberus *Harl.*[1] *(inter lin. adscr.)* fluuiū Hiberū *m. antiq. corr.* Cantabris *Iunius* catinatis *L W*[2] *F* cacinatis *W*[1] magnis (u *superscr.*) *Harlei.*

111. *Fest. s. u. mulleos p.* 142 *M.* M. Cato originum li. VII: Qui magistratum curulem cepisset, calceos mulleos aluta uinctos, ceteri perones . . .

112.** *Plut. q. Rom.* 49 *Διὰ τί τοὺς παραγγέλλοντας ἄρχειν ἔθος ἦν ἐν ἱματίῳ τοῦτο ποιεῖν ἀχίτωνας, ὥς Κάτων ἱστόρηκεν;*

113. *Fest. s. u. ruscum p.* 265 *M.* Cato originum l. VII: Mulieres opertae auro purpuraque; arsinea, rete, diadema, coronas aureas, rusceas fascias, galbeos lineos, pelles, redimicula . . . .

114*. *Charis. I p.* 78 *P.* 101 *K.* Cato in originibus: Mulieres, inquit, nostrae capillum cinere unguitabant, ut rutilus esset.

115.** *Seru. ad Aen. III* 64 Cato ait deposita ueste purpurea feminas usas caerulea, cum lugerent.

116. *Charis. I p.* 72 *P.* 93 *K.* Quamuis Cato originum VII genetiuo casu dixerit: Iurum legumque cultores.

117. *Fest. s. u. socordiam p.* 293 *M.* M. Cato [*socordiam*]

---

112. *Ex quaestionibus Romanis repetiit Plut. Coriol.* 14: *Καὶ γὰρ ἔθος ἦν τοῖς μετιοῦσι τὴν ἀρχὴν παρακαλεῖν καὶ δεξιοῦσθαι τοὺς πολίτας ἐν ἱματίῳ κατιόντας εἰς τὴν ἀγορὰν ἄνευ χιτῶνος.*

114. *Seru. ad Aen. IIII* 698: In Catone legitur de matronarum crinibus: Flauo cinere unctitabant, ut rutilae essent (*exhibet Bern.* 172).

116. *Iterum posuit Charis. I p.* 109 *P.* 135 *K.*

111, 2. allutaciniatos *cod.* alutacinatos *uel* lunatos *August. Vrsin.* alutacinatos *Turnebus* alii uncinatos *Scaliger* aluta laciniatos *Mueller* aluta cinctos *Haupt* aluta uinctos *Mommsen de corrigiis intellegens (apud Iordan.).*

113, 7. commemorat Cato or. l. VII mulieres opertas *Scaliger* 8. ars inheret *cod.* arsinea, rete *Scaliger (conl. Paul. p.* 20 *M.)* 9. ruscea facile *cod.* ruscea facie *Vrsinus* russeas fascias *Scaliger (conl. Apul. met. II* 7*)*, rusceas fascias *(propter Festi u. antec.) Mueller.* galbeos lineas *cod.* galbeos, lineas *Scaliger* galbeas lineas *Mueller* galbeos lineos *Iordan* pelles *cod.* pallas *Roth*

114, 12. flauo cinere *Seruius* inungitabant *Putschius* unctitabant *Seruius* et rutilius esse cinis *Neapol.* ut rutilus esset crinis *ed. princ.* cinis *del. Keil.*

116, 16. originum III *exc. Cauchiana* p. 135 *deest in Neap.* cultores.

117. *Exempli gratia exhibui Muelleri supplementa, etsi minus mihi placent.*

pro [*stultitia posuit originum l.*] VII, cum ait: [. . . . . . *Ob im-*] mensam ti[*miditatem et socordiam causa erat*] ne quid neg[*oti publici . . . . . . gere*]retur.

INCERTORVM ORIGINVM LIBRORVM RELLIQVIAE

118. *Cic. Tusc. IIII* 2, 3 Grauissimus auctor in originibus dixit Cato, morem apud maiores hunc epularum fuisse, ut deinceps qui accubarent canerent ad tibiam clarorum uirorum laudes atque uirtutes.

119.** *Seru. ad Aen. I* 726 Nam, ut ait Cato, et in atrio et duobus ferculis epulabantur antiqui.

120. *Charis. I p.* 106 *P.* 131 *K.* Glis Varro in admirandis 'in silua mea est glis nullus' sed et Cato in originibus ita est locutus.

121. *Charis. I* 99 *P.* 124 *K.* Biber G. Fannius annalium VIII — Cato quoque originum * * (*ipsa uerba interciderunt*).

122. *Seru. ad Georg. I* 75 Cato in originibus: Alae ex lupino lug . . . . . .

---

117. *Paul. p.* 292 *M.*: Socordiam quidam pro ignauia posuerunt. Cato pro stultitia posuit.

118. *Cic. Tusc. I* 2, 3: Quamquam est in originibus solitos esse in epulis canere conuiuas ad tibicinem de clarorum hominum uirtutibus. *Brut.* 19, 75 Atque utinam exstarent illa carmina, quae multis saeclis ante suam aetatem in epulis esse cantata a singulis conuiuis de clarorum uirorum laudibus, in originibus scriptum reliquit Cato. *cf. de legg. II* 24, 62. *Varro de uit. pop. Rom. apud Nonium s. u. assa uoce p.* 76: In conuiuiis pueri modesti ut cantarent carmina antiqua, in quibus laudis erant maiorum et assa uoce et cum tubicine. *Quintil. I* 10, 20: Veterum quoque Romanorum epulis fides ac tibias adhibere moris fuit. *Val. Max. II* 1, 10: Maiores natu in conuiuiis ad tibias egregia superiorum opera carmine conprehensa canebant [*sic recte Nep.* pangebant *libri Val.*].

119. *cf. Seru. ad Aen. I* 637: Notandum quia affluentiam ubique exteris gentibus dat, Romanis frugalitatem, qui et duobus tantum cibis utebantur et in atriis edebant sedentes. *Meyer in orationis ne legi Orchiae derogaretur fragmentis posuit p.* 94. *res anceps est.*

120. *Plura Catonis uerba adlata erant a Charisio I p.* 69 *P.* 90 *K. sed librariorum incuria interciderunt:* Gliris nominatiuus est hic glis non glir, ut quidam uolunt. nam Varro in admirandis ait — et Cato in originibus * * *

---

122. *Ex Thilonis libris solus habet Vossianus. in Voss. post* lug. *tredecim litterae euanuere, tum sequitur* de lingua latina: alam *et q. s. In ed. Danielis, qui eodem libro usus est, haec exstant* lugium . . . tamen Varro de l. l., legumine *Roth*

123. *Seru. ad Aen. III* 637 Argolici clypei] Quia Graecorum clypei rotundi, ut Cato originum ait.

124. *Macrob. I* 14, 5 Veteres 'an' pro 'circum' ponere solebant, ut Cato in originibus: Oratorum an terminum.

125. *Non. s. u. tributus p.* 229 Cato originum libris: Ne praedia in lubricum dirigerentur, cum tributus exigeretur.

INCERTORVM CATONIS LIBRORVM RELLIQVIAE SELECTAE

126. *Fest. s. u. natinatio p.* 166 *M.* M. Cato in [*orig. lib. V scripsit: audito tum*]ultu Macedoniae Etruriam, Samnites, Lucanos inter se natinari atque factiones esse.

127. *Cic. de rep. I* 17, 27 Quam est hic fortunatus putandus —, qui — ut Africanum auum meum scribit Cato solitum esse dicere, possit idem de se praedicare, numquam se plus agere quam nihil cum ageret, numquam minus solum esse quam cum solus esset.

128. *Fronto ep. ad Ver. II* 1 *p.* 129 *N.* Ipsum hoc tuum

---

126. *suppleuit Mueller, qui Macedonicum hunc tumultum ad Philippi regis foedus cum Hannibale initum a.* 215. 539 *spectare existumat.*

127. *Cic. de off. III* 1, 1: P. Scipionem, Marce fili, eum, qui primus (*om. Bamb. pr. m.*) Africanus appellatus est, dicere solitum scripsit Cato, qui fuit eius fere aequalis, numquam se minus otiosum esse quam cum otiosus, nec minus solum quam cum solus esset. *Plut. apophth. reg. et imp.* 1: *Σκιπίων δὲ ὁ πρεσβύτερος τὴν ἀπὸ τῶν στρατηγιῶν καὶ τῆς πολιτείας σχολὴν ἐν γράμμασι διατριβὴν ποιούμενος ἔλεγεν, ὁπότε σχολάζοι, πλείονα πράττειν. Conexuit cum his uerbis* 'illud uerum M. Catonis oraculum: nihil agendo homines male agere discunt' (*Colum. XI* 1) *Bormann, ut prooemii sententiam expleret, at tamen restitutio eius admodum dubia est.*

128. *Cf. supra p. CLXII.*

---

123. *Exhibet Bern.* 172.

124, 4. orator *Paris.* am *Par. ante emend.* oratorum amterminum *Scaliger* arator *uel* uruator *Ian imperatiuum intellegens* aratorum *Roth cf. Paul. p.* 17 *M.* Amtermini qui circa terminos prouinciae manent.

125, 6. derigerentur *L* dirigentur *W* eum *WF*[1]

126. *suppleuit Mueller.*

127, 13. *post* ageret *in palimpsesto* numquam se plus agere *repetita sed punctis notata sunt*

a te diu[ti]na prudentia consultum, quod non ante signis conlatis manum cum hostibus conseruisti, quam leuibus proeliis et minutis uictoriis militem imbueres, nonne Cato docuit, orator
195/559 idem et imperator summus? Ipsa subieci Catonis uerba, in quibus consiliorum tuorum expressa uestigia cerneres: Interea unamquamque turmam, manipulum, cohortem temptabam, quid facere possent, proeliis leuibus spectabam, cuiusmodi quisque esset, si quis strenue fecerat, donabam honeste, ut alii idem uellent facere, atque in contione uerbis multis laudabam. interim aliquot pauca castra feci. sed ubi anni tempus uenit, castra hiberna . . . . . .

195/559 **129.** *Plutarch. Cat.* 10 *Αὐτὸς δέ φησιν ὁ Κάτων πλείονας εἰληφέναι πόλεις ὧν διήγαγεν ἡμερῶν ἐν Ἰβηρίᾳ· καὶ τοῦτο κόμπος οὐκ ἔστιν, εἴπερ ὡς ἀληθῶς τετρακόσιαι τὸ πλῆθος ἦσαν. τοῖς μὲν οὖν στρατιώταις πολλὰ παρὰ τὴν στρατείαν ὠφεληθεῖσιν ἔτι καὶ λίτραν ἀργυρίου κατ' ἄνδρα προσδιένειμεν, εἰπών, ὡς κρεῖττον ἦν, πολλοὺς Ῥωμαίων ἀργύριον ἢ χρυσίον ὀλίγους ἔχοντας ἐπανελθεῖν· εἰς δ' αὑτὸν ἐκ τῶν ἁλισκομένων οὐδὲν ἐλθεῖν λέγει πλὴν ὅσα πέπωκεν ἢ βέβρωκε. ‛Καὶ οὐκ αἰτιῶμαι', φησί ‛τοὺς ὠφελεῖσθαι ζητοῦντας ἐκ τούτων, ἀλλὰ βούλομαι μᾶλλον περὶ ἀρετῆς τοῖς ἀρίστοις ἢ περὶ χρημάτων τοῖς πλουσιωτάτοις ἁμιλλᾶσθαι καὶ τοῖς φιλαργυρωτάτοις περὶ φιλαργυρίας'.*

191/563 **130.** *Plut. Cat.* 14 *Ὁ δὲ Κάτων ἀεὶ μέν τις ἦν, ὡς ἔοικε, τῶν ἰδίων ἐγκωμίων ἀφειδὴς καὶ τὴν ἄντικρυς μεγαλαυχίαν ὡς ἐπακολούθημα τῆς μεγαλουργίας οὐκ ἔφευγε, πλεῖστον δὲ ταῖς πράξεσι ταύταις ὄγκον περιτέθεικε καί φησι τοῖς ἰδοῦσιν αὐτὸν τότε* [*in pugna Thermopylensi*] *διώκοντα καὶ παίοντα τοὺς πολεμίους παραστῆναι μηδὲν ὀφείλειν Κά-*

---

129. *Haec res, quam iterum exposuit Plutarchus apophth.* 25. 26, *sumpta est aut ex originibus aut ex dierum dictarum libris.*
130. *Wagener ad quintum originum librum rettulit, Iordan cautius ad incert. libr. reliq.* 70.

---

7. lenibus *codex* 9. 10. aliquitau castra *codex corr. Maius* 11. *quae sequebantur, in cod. oblitterata sunt*
129, 17. ἦν] *εἴη Paris. A²* 18. *ὀλίγον Barocc. c Par. A¹* 18. 19. *αὐτόν libri αὑτόν Stephanus.*

τωνα τῷ δήμῳ τοσοῦτον, ὅσον Κάτωνι τὸν δῆμον, αὐτόν τε Μάνιον τὸν ὕπατον θερμὸν ἀπὸ τῆς νίκης ἔτι θερμῷ περιπλακέντα πολὺν χρόνον ἀσπάζεσθαι καὶ βοᾶν ὑπὸ χαρᾶς, ὡς οὔτ' ἂν αὐτὸς οὔθ' ὁ σύμπας δῆμος ἐξισώσειε τὰς ἀμοιβὰς ταῖς Κάτωνος εὐεργεσίαις.

131. *Ps. Frontin. IIII* 1, 16 M. Cato memoriae tradidit in furto comprehensis inter commilitones dextras esse praecisas, aut, si leuius animaduertere uoluissent, in principiis sanguinem esse missum.

132. *Cic. de diuin. I* 15, 28 Itaque multa auguria, multa auspicia, quod Cato ille sapiens queritur, neglegentia collegii amissa plane et deserta sunt.

133. *Paul. s. u. uiritim p.* 378 *M.* Cato: Praeda quae capta est, uiritim diuisa.

134. *Charis. I p.* 79 *P.* 102 *K.* Cato sic dixit: Et in Italia atras capras lacte album habere.

135. *Charis. I p.* 108 *P.* 134 *K.* Sed et Cato his 'iugeris', ut notat Plinius eodem libro VI.

136. *Charis. II p.* 191 *P.* 215 *K.* Primo pedatu Cato senex: In his duobus bellis alteras stipendio agrique parte multati, alteras oppidum ui captum, alteras primo pedatu et secundo.

137. *Seru. ad Aen. III* 314 Cato ait, uerba tertiato et quartato quempiam dicere prae metu.

---

131. *Iordan in rel. de re militari libri* (*p.* 82) *posuit. forsitan ex originum libro quarto fluxerit, quo res Romanas militares Carthaginiensibus Cato opposuisse uidetur* (*fr.* 82).

134. *Roth p.* 276 *inter originum fragmenta recepit. cf. de fr.* 134—136 *supra p. CLXIIII.*

131, 6. M. *om. Leid. sec.* memoriae *om. Palat. et Ioann. Saresb. Polycr. VI c.* 12, *qui sua hinc exscripsit.* 7. deprehensis *Sarisb.* comprehensi *Palat.* concisas *Medic. pr.* 8. aut, si leuius] *Leid. sec.* aut an silentiis *Palat.* aut si licentius *Vossian.* ut sic licentius *Gudian.* aut ut solertius *Med. sec.* ut si l. *Leid. pr. et Cantabr. bibl. publ.* aut si benignius *Saresb.* aut si lentius *uulg.* at si lentius *Stewech.* aut si lenius *Lipsius* at si leuius *Oudendorp.* uoluisset *Med. sec.* in principiis] *Palat. Saresb.* in principis *libri quattuor Oudendorpi* in principio *Med. sec.*

132, 12. omissa *Moser* et *sup. lin. Voss. A*

136, 20. in is *Neap.* in his *ed. princ.*

137, 22. tertiata et quartata *Popma.*

138. *Seru. ad Aen. IIII* 121 Cato: Sedere non potest in equo trepidante.

139. *Seru. ad Aen. IIII* 293 Cato: Qua mollissimum est, adoriuntur.

140. *Seru. ad Aen. VIII* 694 Cato: Sub tela uolantia.

141. *Priscian. VI p.* 694 *P.* 227 *H.* Cato (in I originum — idem) 'nulli' pro 'nullius': Qui tantisper nulli rei sies, dum nihil agas.

142. *Priscian. III p.* 600 *P.* 87 *H.* Cato [dixit]: Quod iter longius arduiusque erat a curia.

143. *Priscian. VI p.* 713 *P.* 260 *H.* Cato: Speca prosita, quo aqua de uia abiret.

---

141. *Repetiit Priscianus p.* 717 *P.* 266 *H. Iordan in annal. Iahn. p.* 429 *haec a Catone in originum prooemio dicta esse existimat. cf. de fr.* 141 —143 *supra p. CLXIIII.*

141, 6. *p.* 266 *sine codd. auctoritate post* idem *in edd.* in II *propagatum est* 7. nullae *G. I. Vossius de anal. IIII* 6 *Krehl* sies *libri p.* 266 est *p.* 227

142, 9. dixit *om. Par. P* inter *Par. P* 10. longius (*suprscr.* i *sup.* i) *Sangall.* longuius *Gruter. Karolir.* a] *om. Par. P Karolir. pr. m. add. Kar. sec. m.*

143, 11. prositi *Par. R Bamb. Bern. Sang. Gruter.* ppositi *Halberst. pr. m.* ppsita *Halb. sec. m.* propositi *Karolir.* apposita *edd. ante Krehlium.* posita *Krehl* prosita *M. Haupt (coni. Paul. p.* 226 *M* prosita proposita) 12. deuia *Par. R Amien. Bern. Halb. Sangall.* habiret *Bern.*

L. CASSII HEMINAE ANNALES

EX LIBRO I

1*. *Minuc. Fel. Octau.* 21, 4 *p.* 29 *Halm.* Saturnum enim principem huius generis et examinis omnes scriptores uetustatis Graeci Romanique hominem prodiderunt. scit hoc Nepos et Cassius in historia, et Thallus ac Diodorus hoc loquuntur.

2*. *Solin. polyh.* 2, 10 *p.* 37 *M.* Notum est — constitutam — Ariciam ab Archilocho Siculo, unde et nomen, ut Heminae placet, tractum.

3*. *Seru. ad Aen. VII* 631 Cassius Hemina tradidit, Siculum quendam nomine uxoris suae Clytemestrae condidisse Clytemestrum, mox corrupto nomine Crustumerium dictum.

---

1. *Tertull. ad nat. II* 12: Cum autem Saturnum constat uixisse, frustra demutatis: non conceditur uobis, quem non negabitis fuisse hominem, qui neque deus neque tempus defendi potest. Exstat apud litteras uestras usquequaque Saturni census: legimus apud Cassium Seuerum (*cf. supra p. CLXXII*), apud Cornelios, Nepo*tem* et Tacitum (*hist. V* 2. 4), apud Graecos quoque, Diodorum quiue alii antiquitatum canos collegerunt [*sic libri;* antiquitatum canos *a Tertulliano dictum esse arbitratur Oehler pro antiquissimis hominibus.* — canones *Schmitter. ego cogitaui de* antiquitatum commentarios *conl. apol.* 10.] *Apolog.* 10: Saturnum itaque, quantum litterae docent, neque Diodorus Graecus aut Thallus neque Cassius Seuerus aut Cornelius Nepos neque ullus commentator eiuscemodi antiquitatum aliud, quam hominem promulgauerunt, si quantum rerum argumenta nusquam inuenio fideliora, quam apud ipsam Italiam, in qua Saturnus post multas expeditiones postque Attica hospitia consedit, exceptus a Iano uel Iane, ut Salii uolunt. *Lactant. instit. I* 13: Omnes ergo non tantum poetae sed historiarum quoque ac rerum antiquarum scriptores *[Saturnum]* hominem fuisse consentiunt, qui res eius in Italia gestas memoriae prodiderunt, Graeci Diodorus et Thallus, Latini Nepos et Cassius et Varro. *cf. Schwegler I p.* 212 *sq. et supra s. l.*

1, 3. scit] scribit *Pithoeus* 4. et *ante* Thallus *del. Halm.*
2, 6. Archia *Salmas.*
3. *abest a Thilonis libris.*

4*. *Seru. ad Georg. I* 10 Cincius et Cassius aiunt, 'ab Euandro Faunum deum appellatum, ideoque aedes sacras 'faunas' primo appellatas, postea fana dicta, et ex eo qui futura praecinerent fanaticos dici.

5*. *Schol. Veron. ad Aen. II* 717 *p.* 91 *K.* Varro secundo historiarum refert, Aenean capta Troia arcem cum plurimis occupasse magnaque hostium *gratia obtinuisse a*beundi potestatem. itaque *concessum ei quod* uellet auferre; cumque circa *aurum* opesque alias ceteri morarentur, Aenean patrem suum collo *tulisse mirantibusque* Achiuis hanc pietatem redeundi Ilium copiam datam, ac deos penates ligneis sigillis uel lapideis terrenis quoque Aenean *umeris extulisse.* quam rem Graecos stupentes omnia sua auferendi potestatem dedisse eaque *ratione saepius redeuntem omnia e Troia abstulisse et in nauibus posuisse. At*ticus de patre consentit, de dis penatibus negat, sed ex Samothracia in Italiam deuectos, contra quam opinionem refertur *fuisse simulacr*a Vestae incensis deae eius aris ex ruinis Troicis liberata. Additur etiam a L. Cassio [*et Pisone*] Censorio, miraculo magis Aenean patris '*dignitate sanctio*rem' inter hostes intactum properauisse concessisque ei nauibus in Italiam nauigasse. Item . . . . historiarum libro I ait, Ilio capto *Aenean cum dis pena*tibus umeris inpositis erupisse duosque filios Ascanium et Eurybaten bracchio eius innixos ante ora hostium prae*tergressos. data*s etiam ei naues concessumque, ut quas uellet de nauibus securus ueheret.

6*. *Seru. ad Aen. I* 378 Alii autem, ut Cassius Hemina,

---

5. *uid. supra p. CLXXIIII.*
6. *cf. ad Aen. II* 296. *Macrob. sat. III* 4, 9: Cassius uero Hemina (emina *Paris.*) dicit, Samothracas (samothracos *Bamb. ante emend.*) deos eosdemque Romanorum penates proprie dici θεοὺς μεγάλους, θεοὺς

---

4. *uid. Cinc. fr.* 2.
5, 5. *Lacunas codicis expleuit Keil, quem secutus sum. cf. Seru. Aen. II* 636. secundo humanarum *Niebuhr.* 18. et Pisone *addidit Ritschl uid. supr. p. CLXXIIII. in codice non est lacuna.* 20. Item . . . . h. *Ritschl* Idem h. *codex* 22. Eurybatis *filii Aeneae nusquam quod sciam mentio fit*, Euryleontis *ap. Dion. I* 65. 72.
6, 26. *Solus exhibet Cassellanus cf. Thilo quaest. Seru. p.* 26. casius *Cass.*

dicunt deos penates ex Samothracia appellatos θεοὺς μεγάλους, θεοὺς δυνατούς, θεοὺς χρηστούς.

7*. *Solin.* 2, 14 *p.* 38 *M.* Nec omissum sit, Aeneam aestate ab Ilio capto secunda Italicis litoribus adpulsum, ut Hemina tradit, sociis non amplius sexcentis in agro Laurenti posuisse castra. ubi dum simulacrum, quod secum ex Sicilia aduexerat, dedicat Veneri matri, quae Frutis dicitur, a Diomede Palladium suscepit tribusque mox annis cum Latino regnat socia potestate quingentis iugeribus ab eo acceptis, quo defuncto summam biennio adeptus apud Numicium parere desiit anno septimo. patris Indigetis ei nomen datum.

8. *Gell. XVII* 21, 3 Vtrumque tamen [*Homerum et Hesiodum*] ante Romam conditam uixisse, Siluiis Albae regnantibus,

---

χρηστοὺς (*χρηστον Par.*), θεοὺς δυνατούς (*δυ*νατους — o eras. — Paris. δινατους Bamb.*). *uterque et Seruius et Macrobius ex Varrone sua hausisse uidentur. uid. de ling. lat. V* 58: Terra enim et Caelum, ut Samothracum initia docent, sunt dei magni et hi quos dixi multis nominibus. — Et hi quos augurum libri scriptos habent sic: 'Diui qui potes' pro illo quod Samothraces θεοὶ δυνατοί. *Seru. ad Aen. I* 378 [= *ad Aen. III* 148. *Macrob. sat. III* 4, 5 *ex Varronis humanarum secundo*]: Idem Varro hos deos *[penates]* Dardanum ex Samothracia in Phrygiam, de Phrygia Aeneam in Italiam memorat portauisse. *idem minus adcurate ad Aen. III* 12 Dii penates a Samothracia sublati ab Aenea in Italiam aduecti sunt, unde Samothraces cognati Romanorum esse dicuntur. *aliam famam secutus est Atticus. uid. Cass. fr.* 5.

7. *cf. Seru. Aen. I* 270: Venus Erycina, quam Aeneas secum aduexit. — *De Aeneae aduentus tempore eandem famam quam Cassius secutus est Dionysius I* 63 *sq.*: περὶ δὲ τῶν χρόνων ἐν οἷς ἐκτίσθη τὸ Λαουΐνιον ἄλλοι μὲν ἄλλως λέγουσιν· ἐμοὶ μέντοι δοκοῦσιν οἱ δευτέρῳ μετὰ τὴν ἔξοδον τὴν ἐκ Τροίας ἔτει φέροντες αὐτὴν εἰκότα μᾶλλον λέγειν — 64. Αἰνείας δὲ κατασκευάσας ἱεροῖς τε καὶ τοῖς ἄλλοις κόσμοις ἀποχρώντως τὴν πόλιν, ὧν τὰ πλεῖστα ἔτι καὶ εἰς ἐμὲ ἦν, τῷ μὲν ἑξῆς ἐνιαυτῷ, τρίτῳ δὲ ἀπὸ τῆς ἐξόδου, Τρώων ἐβασίλευσε μόνων· τῷ δὲ τετάρτῳ τελευτήσαντος Λατίνου καὶ τὴν ἐκείνου βασιλείαν παραλαμβάνει — τὸ δὲ Αἰνείου σῶμα φανερὸν οὐδαμῇ γενόμενον οἱ μὲν εἰς

---

1. ˢamothraceica *Cass.* μεγαλος *Cass.* 2. χπηστοιε *Cass.*

7, 5. aplius *Heidelb. Sangall.* 6. adduxerat *Angelom.* 7. dedicauit *Paris.* 8. suscepit] *Leid. Guelferb. Bern.* suscipit *Angel. Paris.* suscepisse *Heidelb. Sangall.* regnauit *Sangall. om. Heidelb.* 9. acceptus *Guelferb.* 10. Numicium] *Heidelb. Bern. Angel.* nomicium *Sangall.* numicum *Leid. Guelf. Par.*[2] nimicum *Par.*[1] apparere *Sangall.* parere *Paris.*[2] *et supra scr.* i ap *Angel.* parare *Par.*[1] desiuit *Angel. Paris.* 10. 11. patris] *Heid. Sang. Angel.* patrisque *Leid. Guelf. Par. Bern.*

8, 13. siluis L alba eregn. φ

annis post bellum Troianum, ut Cassius in primo annalium de Homero atque Hesiodo scriptum reliquit, plus centum atque sexaginta, ante Romam autem conditam, ut Cornelius Nepos in primo chronico de Homero dicit, annis circiter centum et sexaginta.

9. *Non. s. u. ilico p.* 325 Hemina hist. lib. I: Et tum quo irent nesciebant, ilico manserunt. — His persuadetur, ilico manerent. — Pars ilico manent.

10. *Non. s. u. perplexim p.* 515 Hemina hist. lib. I: Prudens perplexim scribit.

EX LIBRO II

11. *Diomed. I p.* 379 *P.* 384 *K.* Haec ita esse hoc modo adfirmat Cassius Hemina in secundo historiarum: Pastorum uulgus

---

θεοὺς μεταστῆναι εἴκαζον, οἱ δ' ἐν τῷ ποταμῷ, παρ' ὃν ἡ μάχη ἐγένετο, διαφθαρῆναι. καὶ αὐτῷ κατασκευάζουσιν οἱ Λατῖνοι ἡρῷον ἐπιγραφῇ τοιᾷδε κοσμούμενον· Πατρὸς θεοῦ χθονίου, ὃς ποταμοῦ Νομικίου ῥεῦμα διέπει — 65. Αἰνείου δ' ἐξ ἀνθρώπων μεταστάντος ἑβδόμῳ μάλιστα ἔτει μετὰ τὴν Ἰλίου ἅλωσιν κτλ. cf. Schwegler I p. 284.

8. *Vid. supra p. CLXXV.*

10. *Roth ad Tarpeiam rettulit, Schmitter p.* 23 *ad Amatae uel alius cuiusdam litteras, quae, cum Aeneas cum Turno bellum gereret, scriptae essent. sed res prorsus incerta est.*

11. *uid Non. s. u. p.* 114: Grundulsis [*leg.* Grundulis] lares dicuntur Romae constituti ob honorem porcae, quae triginta pepererat. *cf. Schwegler I p.* 323. *Diodor. exc. Vales. p.* 547 (*uol. III p.* 78 *Dind.*): χωρὶς δὲ τῆς ἐν τούτῳ φιλοτιμίας ὑπῆρχον ἅπασι τοῖς πλησίον νομεῦσι

---

1. traianum *L* traian (o *a sec. m.*) *R* sassius R^2*Lmgpao* sallius R^1 (*ut uid.*) *t* utiassius (i *in* s *corr.*, c *m. rec. suprascr.*) *φ* 2. hesiodio *φ* hesyodo *t* c atque LX *φ* centum atq. LX. *mgpao* ducentis atque sexaginta *Lipsius* 3. 4. *post* sexaginta *uulgo* annis *inseritur. om. Lφtgmao*

9, 5. *Ex diuersis libri primi partibus haec tria fragmenta esse decerpta facile intellegitur. uulgo coniunguntur.* Hist. *ante* Hemina *libri. ante* quo *Schmitter add.* quia 6. illico L^1 7. pars ilico manent *om.* W^1

10, 8. Hemina — perplexim *om. V* Emina in I histo *F* 9. *inter* perplexim *et* scribit *inserunt libri* scottino *i. e.* σκοτεινῶς, *quam uocem primo explicandi causa additam postea falso in Cassii uerba inrepsisse iam ab aliis (cf. Gerl. adn.) est animaduersum.*

11, 11. emina *Par. A* uulgus *Par. B a sec. m.* uulsus *Par. A B Mon.*

sine contentione consentiendo praefecerunt aequaliter imperio Remum et Romulum, ita ut de regno pararent inter se. monstrum fit: sus parit porcos triginta, cuius rei fanum fecerunt laribus Grundilibus.

12*. *Plin. n. h. XVIII* 7 Numa instituit deos fruge colere et mola salsa supplicare atque, ut auctor est Hemina, far torrere, quoniam tostum cibo salubrius esset, id uno modo consecutus, statuendo non esse purum ad rem diuinam nisi tostum.

13*. *Plin. n. h. XXXII* 20 Piscis marinos in usu fuisse protinus a condita Roma auctor est Cassius Hemina, cuius uerba de ea re subiciam: Numa constituit, ut piscis qui squamosi non essent, ni pollucerent, parsimonia conmentus, ut conuiuia publica et priuata cenaeque ad puluinaria facilius conpararentur, ni qui ad polluctum emerent, pretio minus parcerent eaque praemercarentur.

14*. *Macrob. sat. I* 16, 33 Sed Cassius Seruium Tullium

προσφιλεῖς, ταῖς τε ὁμιλίαις συνόντες καὶ τὸν ἑαυτῶν τρόπον μέτριον καὶ κοινὸν τοῖς δεομένοις ἀναδεικνύντες. διὸ καὶ τῆς πάντων ἀσφαλείας ἐν τούτοις κειμένης οἱ πλεῖστοι τούτοις ὑπετάττοντο καὶ τὸ παραγγελλόμενον ἐποίουν συντρέχοντες εἰς οὓς προστάξαιεν τόπους.

13. *cf. Festus s. u. pollucere p.* 253, *ubi merces enumerans, quas cuiuis deo pollucere liceat, dicit etiam* pisces quibus est squama praeter scarum.

14. *Nundinas institutas esse a Seruio Tullio etiam Varroni placuit. Macrob. sat. I* 13, 20. *uid. Tudit. fr.* 2 *Rutil. fr.* 1.

---

2. pararent inter se *I. F. Gronouius obs. I* 10 parent inter se *Par. A B Mon. et cod. Scioppii* pares inter se essent *uet. editiones* 2. 3. monstram *Mon.* 3. fecerunt *Par. A B* secernunt *Mon.* 4. grundilibus *cod. Scioppii* grundulibus *Putschius* grundilis *Par. A B Mon.*

12, 6. hemina] *Par. d* emina *Vat.*[2] eamina *Paris. E* aemina *cet. codd. Det.* 7. salubrius esset] *Par. d* salubribus esse *Vat.*[2] *Par. E* sarlubribus esse *cet. codd. Det.* 7. 8. consecutus *Ian.* consecutum *codd.*

13, 12. pollucerent] *Scaliger.* polluerint *Voss. Ricc. Chiffl.* polluerent *Par. d.* parsimonia] *Scaliger.* patrimonia *codd. Silligi.* conuentus *Bamberg.* 12. 13. publicet *Voss.* 13. conparentur *Voss. Ricc. Chiffl.* 14. niqui *Voss. Ricc. Paris. d. Chiffl.* neque *Bamb.* neque qui *Silligio Hemina scripsisse uidetur* polluctum *Scaliger. Bamb.* polluc *Voss. Ric. Par. d.* publicum *Chiffl.* paterent *Chiffl.* 14. 15. premercarentur *Bamb.*

fecisse nundinas dicit, ut in urbem ex agris conuenirent urbanas rusticasque res ordinaturi.

15*. *Seru. ad Aen. XII* 603 Cassius Emina ait, Tarquinium Superbum, cum cloacas populum facere coegisset, et ob hanc iniuriam multi se suspendio necarent, iussisse corpora eorum cruci affigi. tunc primum turpe habitum est mortem sibi
508 consciscere.

246 **16.** *Non. s. u. censere p.* 267 Cassius Emina historiarum lib. II: Censuit sese regem Porsennam occidere.

17*. *Non. s. u. pleuitatem p.* 149 Hemina in ann.: Quicumque propter pleuitatem agro publico eiecti sunt.

---

15. *cf. Plin. XXXVI* 107 Cum id opus *[cloacas]* Tarquinius Priscus plebis manibus faceret, essetque labor incertum maior an longior, passim conscita nece, Quiritibus taedium fugientibus, nouom et inexcogitatum ante posteaque remedium inuenit rex ille, ut omnium ita defunctorum corpora figeret cruci spectanda simul ciuibus et feris uolucribusque laceranda. quam ob rem pudor Romani nominis proprius, qui saepe res perditas seruauit in proeliis, tunc quoque subuenit, sed illo tempore inposuit iam erubescens, cum puderet uiuos tamquam puditurum esset exstinctos. amplitudinem cauis eam fecisse proditur, ut uehem faeni large onustam transmitteret. *Opus illud cloacarum a Prisco inceptum postea continuatum esse a Superbo satis constat; grauius tamen exercuit plebem Superbus (Liu. I* 56. *Dion. IIII* 44*), quam ob rem quod supra expositum est melius in hunc quadrat (cf. Cass., Dion. fr.* 11, 61*).*

16 *spectare ad Mucii Scaeuolae facinus quiuis uidet. cf. Liu. II* 12, 7: ibi cum stipendium militibus forte daretur, et scriba cum rege sedens pari fere ornatu multa ageret, eum milites uolgo adirent, timens sciscitari, uter Porsina esset, ne ignorando regem semet ipse aperiret quis esset, quo temere traxit fortuna facinus, scribam pro rege obtruncat.

17. *Recte Schwegler II p.* 213 *not. conparauit hunc Sallustii locum (ap. August. de ciuit. dei II* 18. *III* 16. *V* 12 *ed. Kritz. hist. I* 10 *p.* 10*)*: Iniuriae ualidiorum et ob eas discessio plebis a patribus aliaeque dissensiones domi fuere iam inde a principio neque amplius quam regibus exactis, dum metus a Tarquinio et bellum graue cum Etruria positum est, aequo et modesto iure agitatum. dein seruili imperio patres plebem exercere, de uita atque tergo regio more consulere, a g r o p e l l e r e et ceteris expertibus soli in imperio agere. *Liu. II* 21, 6 Patribus nimis luxuriosa ea fuit laetitia [*Tarquinio Superbo mortuo* 495. 259]. plebi, cui ad eam diem summa ope inseruitum erat, iniuriae a primoribus fieri coepere.

---

15. *Ex Thilonis libris solus exhibet Paris.* 4. cloapas *Par.* 5. se *om. Par. add. ed. Daniel.* 6. eorum sistere *Par. qui* cruci — consciscere *non habet. supra secuti sumus P. Danielis editionem.*

16, 9. li. VI *F* porsenam *F*

17, 10. in annos *libri* 11. pleuitate L^1 plebitatem *Iunius.*

18*. *Macrob. sat. I* 13, 21 Quando autem primum inter- 450/304
calatum sit, uarie refertur. — Tuditanus refert libro tertio ma-
gistratuum, decem uiros, qui decem tabulis duas addiderunt, de
intercalando populum rogasse. Cassius eosdem scribit auctores.

19*. *Appian. de reb. Gall. fr.* 6 *p.* 39 *Bk.* (*exc. Vales.* 390/364
p. 557) *Κελτοὶ μηδεμιᾷ μηχανῇ δυνηθέντες ἐπιβῆναι τῆς ἀκροπόλεως, ἠρέμουν ὡς λιμῷ τοὺς ἔνδον παραστησόμενοι. καί τις ἀπὸ τοῦ Καπιτωλίου κατέβαινεν ἱερεύς, ὄνομα Δόρσων ἐπὶ ἐτήσιον δή τινα ἱερουργίαν ἐς τὸν τῆς Ἑστίας νεὼν στέλλων τὰ ἱερὰ διὰ τῶν πολεμίων εὐσταθῶς· τὸν δὲ νεὼν ἐμπεπρησμένον ἰδὼν ἔθυσεν ἐπὶ τοῦ συνήθους τόπου· καὶ ἐπανῆλθεν αὖτις διὰ τῶν πολεμίων αἰδεσθέντων ἢ καταπλαγέντων αὐτοῦ τὴν τόλμαν ἢ τὴν εὐσέβειαν ἢ τὴν ὄψιν ἱερὰν οὖσαν. ὁ μὲν δὴ κινδυνεύειν ὑπὲρ τῶν ἱερῶν ἑλόμενος ὑπ' αὐτῶν ἐσώζετο τῶν ἱερῶν. καὶ τόδε φησὶν ὧδε γενέσθαι Κάσσιος ὁ Ῥωμαῖος.*

20. *Macrob. sat. I* 16, 21 Horum [*dierum postriduanorum*] 389/365
causam Gellius annalium libro quinto decimo et Cassius Hemina

---

18. *uid. Ideler chronol. II p.* 66 *sqq. Mommsen chron. p.* 30. *Tudit. fr.* 7. *Licin.* 4. *Antiat.* 5. *c. adnot.*

19. *cf. Liu. V* 46: Romae interim plerumque obsidio segnis et utrimque silentium esse, ad id tantum intentis Gallis, ne quis hostium euadere inter stationes posset, cum repente iuuenis Romanus admiratione in se ciues hostesque conuertit. sacrificium erat statum in Quirinali colle genti Fabiae. ad id faciendum C. Fabius Dorsuo Gabino cinctu sacra manibus gerens cum de Capitolio descendisset, per medias hostium stationes egressus nihil ad uocem cuiusquam terroremue motus, in Quirinalem collem peruenit; ibique omnibus solemniter peractis eadem reuertens similiter constanti uultu graduque, satis sperans propitios esse deos, quorum cultum ne mortis quidem metu prohibitus deseruisset, in Capitolium ad suos rediit, seu attonitis Gallis miraculo audaciae seu religione etiam motis, cuius haudquaquam neglegens gens est. *ex Liuio Valer. Max. I* 1, 11 *et Flor. I* 7 [13], 16. *uid. Cass. Dion. fr.* 25, 5 *p.* 24 *Bk.* (*ubi tamen Fabius ille non Gaius sed Kaeso dicitur*).

20. *cf. Liu. VI* 1, 11: Tum de diebus religiosis agitari coeptum. diemque ante diem XV kal. Sextiles [*quem locum non recte intellexit Weissenborn, est enim dies ante diem XV kal. Sext. ipse dies XVIII*

18, 4. eodem *Bamberg. ante emendat.*

19, 10. *uerba* εὐσταθῶς — τῶν πολεμίων *addidit ex cod. denuo conlato Wollenberg in Muetzelli Zeitschr. f. Gymn.* 1860 *p.* 425   11. *ἐμπεπρισμένον cod.*   16. *Καύσιος cod. em. Valesius.*

20, 13. casius *Bamberg. ante emendat.*

historiarum libro secundo referunt: Anno ab urbe condita trecentesimo sexagesimo tertio a tribunis militum Virginio, Mallio, Aemilio, Postumio collegisque eorum in senatu tractatum, quid esset propter quod totiens intra paucos annos male esset afflicta res publica; et ex praecepto patrum Lucium Aquinium haruspicem in senatum uenire iussum religionum requirendarum gratia dixisse, Quintum Sulpicium tribunum militum ad Alliam aduersus Gallos pugnaturum rem diuinam dimicandi gratia fecisse postridie idus Quintiles; item apud Cremeram multisque aliis temporibus et locis post sacrificium die postero celebratum male cessisse conflictum. tunc patres iussisse, ut ad collegium pontificum de his religionibus referretur, pontificesque statuisse, postridie omnes kalendas, nonas, idus atros dies habendos, ut hi dies neque proeliares neque puri neque comitiales essent.

21. *Non. s. u. proletarii p.* 67 Cassius Emina annali

---

mensis Sextilis. uid. Mommsen chron. p. 26 *not.* 32] duplici clade insignem, quo die ad Cremeram Fabii caesi, quo deinde ad Aliam cum exitio urbis foede pugnatum, a posteriore clade Aliensem appellarunt insignemque rei nullius publice priuatimque agendae fecerunt. quidam quod postridie idus Quintilis non litasset Sulpicius tribunus militum neque inuenta pace deum post diem tertium obiectus hosti exercitus Romanus esset, etiam postridie idus diuinis supersederi iussum; inde ut postridie kal. quoque ac nonas eadem religio esset, traditum putant. *Gell. V* 17: Verrius Flaccus in quarto de uerborum significatu dies, qui sunt postridie kalendas, nonas, idus, quos uulgus imperite 'nefastos' dicit, propter hanc causam dictos habitosque 'atros' esse scribit. Vrbe, inquit, a Gallis Senonibus recuperata L. Atilius in senatu uerba fecit, Q. Sulpicium tribunum militum ad Alliam aduersus Gallos pugnaturum rem diuinam dimicandi gratia postridie idus fecisse: tum exercitum, populi Romani occidione occisum et post diem tertium eius die urbem praeter Capitolium captam esse, compluresque alii senatores recordari sese dixerunt, quotiens belli gerendi gratia res diuina postridie kalendas, nonas, idus a magistratu populi Romani facta esset, eius belli proximo deinceps proelio rem publicam male gestam. Tum senatus eam rem ad pontifices reiecit, ut ipsi quod uideretur, statuerent. Pontifices decreuerunt, nullum his diebus sacrificium recte futurum.

21. *Q. Marcium Philippum, qui a.* 281. 473 *consul fuit cum L. Aemilio Barbula, intellegendum esse uiderunt Harless* (*de Fab. et Auf. p.* 54) *et Vahlen (quaestt. Enn. p. L sq.). de anno quo proletarios armauerit, uide Oros. IIII* 1: Anno ab urbe condita CCCCLXIIII Tarentini Romanam

---

2. uirgilio *Bamb. Paris.* Virginio *Zeunius* Manlio *Zeunius* (*Αὖλος Μάλλιος etiam ap. Diod. XV* 22) 4. toties *Bamb.* 5. 6. aruspicem *Paris.* 7. 8. aduersū *Par.* 14. p̄liales *Par.* neque *post* puri *omis. in Bamb. ante emend.*

libro II: Tunc Marcius † praeco primum proletarios armauit.

22. *Seru. ad Aen. I* 56 Vt apud Cassium in annalium secundo: Ne quis regnum occuparet, si plebs nostra fremere imperia coepisset.

23. *Non. s. u. moliri p.* 346 Cassius Hemina de censoribus lib. II: Et in area in Capitolio signa quae erant demoliunt.

---

classem forte praetereuntem spectaculo theatri prospectam hostiliter inuaserunt, quinque tantum nauibus uix per fugam elapsis, cetera retracta in portum classis et profligata est, praefecti nauium trucidati, omnes bello utiles caesi, reliqui pretio uenditi sunt. continuo missi Tarentum a Romanis legati, ut de illatis quererentur iniuriis, pulsati ab iisdem auctas insuper iniurias retulerunt. his causis bellum ingens exortum est. Romanos, qui quantique hostes circumstreperent permetientes, ultima adegit necessitas, proletarios quoque in arma cogere, hoc est eos qui in urbe semper sufficiendae prolis causa uacabant, militiae adscribere. — itaque irruit in uniuersos Tarentinorum fines cum Aemilio consule Romanus exercitus, igni ferroque uastat omnia, plurima expugnat oppida, iniuriam insolenter acceptam crudeliter uindicat. continuo Tarentinos plurimis finitimorum praesidiis fultos maxime Pyrrhus auxit *et q. s. et August. de ciuit. d. III* 17, *qui cum Orosio, cum uterque Liuio usus sit, fere consentit. hinc a Marcio consule proletarios armatos esse sequeretur. ueri similius tamen esse mihi uidetur, Orosium, cum nimis festinanter res contraheret, rerum et temporum ordinem turbasse, atque a Romanis, cum iam Pyrrhus Tarentum adpulisset, ad extremum illud descensum esse i. e. ineunte anno* 280. 474 *(Mommsen hist. Rom. I p.* 386). *praetorem autem illo anno fuisse Marcium consulatu defunctum quasi pro certo adfirmant Harless et Vahlen, Lipsii coniecturam amplexi. ego tamen cum praeturae post consulatum a Marcio administratae nusquam mentionem factam esse inuenerim, malim:* Marcius pro consule primum p. a. — *De ipsa armatura cf. Ennii fr. VI* 9 (189 *sqq.*) *Vahlen.:* Proletarius publicitus scuteisque feroque | Ornatur ferro, muros urbemque forumque | Excubiis curant.

22. *ad Valerium Poplicolam rettulit Schmitter p.* 30, *sed id non minus incertum est quam quae de aliis fr. lusit.*

23. *Eodem spectare censet Schmitter p.* 45 *quo Pison. fr.* 37, *i. e. ad annum* 158. 596, *sed obstat libri numerus. cf. supr. p. CLXXVI sq.*

---

1. thunc *L* marcus *libri* Marcius *Lipsius* tum C. Marius consul primus *Freinsheim ad Flor. III* 1, 13 praeco *L* pco *WF* praetor *Popma Lipsius. malim* pro consule *uid. adnot.* prolaterios L^1 protelarios F^1

22. *om. Bern.* 3. Casium *Paris.* 1750 Cossium *in Cassell. scriptum fuisse referunt Verserus et Scioppius.* in annalium secundo *Cassell. eisdem u. d. testibus* in annalibus *Lion.* 4. 5. imperia fremere *Paris.*

23, 6. caesius $L W^2$ caesibus W^1 de tonsoribus L^2 *Basil.* 7. lib. I *Basil.* et in aera *Basil.* q:erant *L* quaerant W^1 *corr.* W^2 demoliuit *LW* demoliunt *scripsi*

24. *Non. s. u. denasci p.* 101 Cassius Hemina libro II annalium: Quae nata sunt, ea omnia denasci aiunt.

25. *Priscian. VIIII p.* 868 *P.* 482 *H.* L. Cassius Emina in secundo annalium: Idque admiratum esse gauisi.

EX LIBRO III

219/535 **26*.** *Plin. XXVIIII* 12 Cassius Hemina ex antiquissimis auctor est, primum e medicis uenisse Romam Peloponneso Archagathum Lysaniae filium, L. Aemilio M. Liuio coss. anno urbis DXXXV, eique ius Quiritium datum et tabernam in conpito Acilio emptam ob id publice. uolnerarium eum fuisse e re dictum, mireque gratum aduentum eius initio; mox a saeuitia secandi urendique transisse nomen in carnificem et in taedium artem omnisque medicos.

27. *Non. s. u. cymbalissare p.* 90 Cassius Hemina libro III: Mulier cantabat tibiis Phrygiis et altera cymbalissabat.

---

27. *Popma pertinere existumat ad ritum sacrorum Megalesiorum, quae magna matre deum in urbem recepta primum instituta et celebrata sunt a.* 204. 550, *conferrique iubet Lucret. II* 618 *sqq.:* Tympana tenta tonant

---

24, 1. casius *W*[1] 1. 2. annali quae *LWF mihi aut* annalium *scribendum aut* annali *ante* libro II *esse ponendum uidetur* annaliq: *L*[2] 2. nuta *F*[1]

25, 3. Lucius *Bamb.* casius *Sangall. et ex* cusius *corr. Halberst.* hemina *Sangall. Gruter.* hęmina *Bern.* emina *rell. libri Hertzi* 4. ammiratum *Sangall. Gruter.*

26, 5. heminae *Voss.* ex med *Par. d* 6. Peloponneson *Voss. Par. d.* 7. Lisaniae *Voss.* M. Liuio] *Ric.* L. M. Iulio *Chiffl. Voss. Par. d.* 8. eique] *Ric.* eiusque *Voss. Par. d.* 9. puplicae *Voss.* uolnerarium eum fuisse dictum et (*pro* e re dictum) *Bernhardy transponit post* urendique. *hist. litt. Rom. p.* 210. fuisse e re dictum *Gronouius* fuisse credunt *Chiffl. Voss. Ricc. Tolet.* fuisse //// credunt *Par. d.* 10. mirique *Voss.* 10. 11. secandi urendique *Voss.*[2] *Ricc. Par. d.* secandique *Voss.*[1] 11. carnificem et] *Ricc.*[2] carnificem sed *Voss.* carnifice sed *Par. d.* carnifices et *Chiffl. Ricc.*[1] 12. artem omnesque *Ricc.*[2] *Par. d.* artemonesque *Voss.* arte moresque *Ricc.*[1]

27, 13. casius *V* emina *W* heminis *L*[2]*V* heminas *F*[1] libro IIII *Roth.* 14. frigiis *LWF* frygiis *V* cimbalis sabat *LWF* cymbalis sabat *V*

28. *Non. s. u. litterosus p.* 133 Cassius Hemina annalium libro III: Homo mere litterosus.

29. *Priscian. X p.* 903 *P.* 537 *H.* Cassius Emina in III annalium: In campo Tiburte ubi hordeum demessuerunt.

30. *Prisc. XII p.* 943 *P.* 587 *H.* Cassius Emina in III annalium: Hos libros si quis nostratis sapiens.

EX LIBRO IIII

31. *Priscian. VII p.* 767 *P.* 347 *H.* Cassius Emina annalem suum quartum hoc titulo inscripsit: Bellum Punicum posterior.

32. *Prisc. VII p.* 733 *P.* 294 *H.* Eabus etiam pro eis dif- 216/538
ferentiae causa in feminino genere Emina protulit in IIII annalium: Scriba pontificius qui cum eabus stuprum fecerat. dicit enim de Vestalibus.

---

palmis et cymbala circum, | Concaua raucisonoque minantur cornua cantu, | Et Phrygio stimulat numero caua tibia mentis, *et q. s. et Dionys. II* 19, *qui tamen in eo discedit ab Cassio, quod uirum et mulierem Phrygem illo modo deam celebrasse narrat. Quae si recte rettulit Popma, libri numerum quem tradidit Nonius, in* IIII *corrigere opus erit.*

29. *Repetiit omissis uerbis* in campo Tiburte *Priscianus partit. XII uers. Aen. p.* 1254 *P.* 490 *K. cf. Cat. fr.* 56 *et supra p. CLII.*

32. *cf. Liu. XXII* 57, 2 Territi etiam super tantas clades cum ceteris prodigiis, tum quod duae Vestales eo anno, Opimia atque Floronia, stupri conpertae, et altera sub terra, uti mos est, ad portam Collinam necata fuerat, altera sibimet ipsa mortem consciuerat. L. Can-

---

28, 2. litterosos *F*[1]

29, 3. casius *Sangall. p.* 490. *Guelferb.* hemina *p.* 490. *Guelf.* 4. in quinto annalium *p.* 490 *uulg.* tyburte (i *suprscr. s.* e *a sec. m.*) *Bern.* tiburtae *Halberst.* tiburti *Par. R a sec. m.* ordeum *Sangall. Gruter. Karolir. p.* 490: *Paris. Guelf.* demesuerunt *Gruter. Karolir.*

30, 5. IU *inter* III *et* IIII *fluctuans Halberst. libro IIII Krehlium secutus tribuit Roth* Emina *Bern.* hemina *Par. R Bamb. Halberst. Gruter. Karol.* Emina in III annalium *om. Sangall.* 6. annalium] analium *Par. R (a pr. m. corr. sec. m.) Bern.*

31, 7. casius *Par. R (a pr. m. corr. sec. m.) Sangall. Karolir. et in litura Bamberg.*

32, 11. hemina *Bamb.* III *Karol.* 12. pontifitius *Bern.* pontificibus *Karolir.* *cabus *(Bern. a sec. m.) Gruter.* deabus *Sangall.* strupum *Bamb.*

33. *Non. s. u. consedo p.* 62 Cassius Hemina annalium libro IIII: Nemo uicinus consedo.

34. *Non. s. u. utrasque p.* 183 Hemina historiarum lib. IIII: In Hispania pugnatum bis, utrasque nostri loco moti.

35. *Non. s. u. finis p.* 205 Cassius Hemina historiarum lib. IIII: Qua fine omnis res atque omnes artes humanitus . . . . que aguntur.

36. *Non. s. u. lacte p.* 483 Hemina annalium lib. IIII: Ex Tiberi lacte haurire.

181/573 **37.** *Plin. n. h. XIII* 84 Cassius Hemina, uetustissimus auctor annalium, quarto eorum libro prodidit, Cn. Terentium scribam agrum suum in Ianiculo repastinantem effodisse arcam,

tilius scriba pontificis, quos nunc minores pontifices adpellant, qui cum Floronia stuprum fecerat, a pontifice maximo eo usque uirgis in comitio caesus erat, ut inter uerbera expiraret.

35. *iterauit Nonius s. u. humaniter p.* 514.

37. *Qui hic Cn. Terentius, a plerisque ceteris scriptoribus L. Petillius nominatur. cum Cassio consentit fere Varro* (*'in libro de cultu deorum' ap. August. de ciu. dei VII* 34): Terentius quidam cum haberet ad Ianiculum fundum, et bubulcus eius iuxta sepulcrum Numae Pompilii traiciens aratrum eruisset ex terra libros eius ['Libros XII fuisse ipse Varro humanarum antiquitatum septumo' *Plin. XIII* 87], ubi sacrorum institutorum scriptae erant causae, in urbem pertulit ad praetorem. at ille cum inspexisset principia, rem tantam detulit ad senatum. ubi cum primores quasdam causas legissent, cur quidque in sacris fuerit institutum, Numae mortuo senatus assensus est eosque libros tanquam religiosi patres conscripti praetor ut combureret censuerunt. *Fest. p.* 173: Numam Pompilium Ianicul[*o in monte situm esse*] ferunt, in quo arcam eius in[*uentam cum libris Numae*] nominis a Terentio [*quodam scriba repastinan*]te agrum. *Aurel. Vict. de uir. ill.* 3: Morbo solutus in Ianiculo sepultus est, ubi post multos annos arcula cum libris a Terentio quodam exarata. qui libri quia leues quasdam sacrorum causas continebant, ex auctoritate patrum cremati sunt. *uid. Pisonis fr.* 35. *Tuditani* 3. *Antiatis* 7—10. *Schwegler I* 561 *sqq.*

33, 1. analium *F*[1] 2. c̃sedo *W*

34, 3. hist. *W* lib. *om. F.* 4. in his hispania *L* uis *LW em. Iunius* utraque *Iunius*

35, 5. *p.* 514 hist. lib. *LWV* emina IIII histo *F* 6. qui *W*[1] finem *L* p. 514 quarefini *LWV* quaresim *F* p. 514 omnis artis atque (adque *L*) humanitus aguntur (*om.* res *atque* omnes) *LWVF* (*at lemma est* humaniter *cf. supra p. LXIIII*) humanitasquae *LWF* omnis artis humanitus usque ag. *Harless. de Fab. p.* 54. *mihi ante* que *aduerbium aliquod intercidisse uidetur.*

36, 7. aurire *LV*

37, 12. offendisse *Vat. Par. E*

in qua Numa, qui Romae regnauit, situs fuisset. in eadem libros eius repertos P. Cornelio L. filio Cethego, M. Baebio M. filio Tamphilo cos., ad quos a regno Numae colliguntur anni DXXXV. hos fuisse e charta, maiore etiamnum miraculo, quod infossi durauerint. quapropter in re tanta ipsius Heminae uerba ponam: 'Mirabantur ali, quomodo illi libri durare possent. ille ita rationem reddebat: lapidem fuisse quadratum circiter in media arca euinctum candelis quoquo uersus. in eo lapide insuper libros insitos fuisse, propterea arbitrarier non conputuisse. et libros citratos fuisse, propterea arbitrarier, tineas non tetigisse. in iis libris scripta erant philosophiae Pythagoricae'. — eosque conbustos a Q. Petilio praetore, quia philosophiae scripta essent. — — Inter omnis uero conuenit, Sibyllam ad Tarquinium Superbum tris libros adtulisse, ex quibus sint duo cremati ab ipsa, tertius cum Capitolio Sullanis temporibus.

38*. *Seru. ad Aen. I* 421 Cassius Hemina docet ita: Sinuessae magalia addenda murumque circum eam.

---

38. *Egregia quadam coniectura his frustulis locum suum restituit Roth p.* 294 *(et secundum eum Mommsen in Berichte der sächs. Ges. d. Wiss. hist. phil. Klasse VI* (1854) *p.* 155), *cum expleret Liuii (XXXXI* 27, 12)

---

1. eodem *Vat. Par. E* 2. L. F. *Par. E Ricc.* P. *cod. palimps. Mon.* Brebio *pal. Mon.* 3. Tamphilo *em. Sigonius.* Pamphilio *Ricc.* Pamphilo *cet. codd. Detl.* ad] a *Ricc.* Numae *om. pal. Mon.* 4. h// *pal. Mon.* e *om. Vat. Par. E* quod] quodquod *Vat. Par. E* quod tot *uulg.* infossi] in fossa *pal. Mon.* 4. 5. durauerint] *pal. Mon. Vat.* durauerint annis *Par. E Ricc. uulg.* 7. media arcae *pal. Mon. Ricc.* mediae arcae *cet. codd. Detl.* uictum *pal. Mon.* uinctum *cet. codd. uolg.* media arca euinctum *Sillig.* 8. quoq. uersus *pal. Mon.* quoque uersus *Par. E* 9. insitos] *codd. Detl. praeter Vat. et Par. E qui* inseppositos *exhibent. Detl. coni.:* III sepositos. *Ian:* inpositos. arbitranter *Ricc.* arbitrari ea *Par. E.* conputruisse *Vat.*[2] potuisse *Par. E* 10. propter *Par. E* tinias *Ricc. Par. E* 11. scripti *Ricc.* in iis libris — Pythagoricae *del. Ian Muench. gel. Anz.* 1854 *Oct. n.* 13. philosophiae — praetore *om. Par. d.* Pythagoricae — essent *om. Par. E* 12. quia] quae *Par. d.*

38. *Ex Thilonis libris solus exhibet Cassellanus.* 16. 17. Sinuessae *iam apud Masuicium* sinuegsae *Cassell.* sinuegiae *ap. Lion.* 17. ea *Cassell.*

146/608 **39***. *Censorin. de d. nat.* 17, 11 At Piso Censorius et Cn. Gellius sed et Cassius Hemina, qui illo tempore uiuebant, [*quartos ludos saeculares*] post annum factos tertium adfirmant, Cn. Cornelio Lentulo L. Mummio Achaico consulibus, id est anno DCVIII.

INCERTAE SEDIS FRAGMENTVM

40. *Priscian. VIII p.* 791 *P.* 380 *H.* Cassius similiter: adulatique erant ab amicis atque adhortati.

---

uerba lacunis corrupta sic: Et Sinuessae maga[*lia addenda*] † auiariae in his clo[*acas faciendas et mur*]um circum ducen[*dum*] et forum porticibus tabernisque claudendum et Ianos tris faciendos. *loquitur Liuius de eis rebus quas Fuluius Flaccus censor fecerit. cadit igitur res in a.* 174. 580.

39. *cf. Pison. fr.* 39. *Gell.* 27. *Mommsen. chronol. p.* 176.

40. *cf. supra p. CLXXVI adn.* 2.

39, 2. uiuebant *Sigonius* 4. Mummo *Darmst. Vat.* $\overline{\text{cos}}$ *Darmst. Vat.* 5. δCIII *Darmst. Vat. uid. Roth mus. Rhen. n. VIII p.* 375 *sq., qui tuetur librorum scripturam.*

40, 6. casius *Bern. Sangall. Gruter. Karol.* 6. 7. adulati q *Grut.* adulatique — adhortati *om. Sangall.* 7. adortati *Par. R* adhor*ti *Halberst.*

FABII PICTORIS LATINI ANNALES

EX LIBRO I

1*. *Seru. ad Verg. Aen. XII* 603 Fabius Pictor dicit quod Amata inedia se interemit. Sane sciendum, quia cautum fuerat in pontificalibus libris, ut qui laqueo uitam finisset, insepultus abiceretur.

2*. *Quintil. I* 6, 12 Lupus masculinum, quamquam Varro in eo libro, quo initia Romanae urbis enarrat, lupum feminam dicit Ennium Pictoremque Fabium secutus.

3. *Non. s. u. picumnus p.* 518 Fabius Pictor rerum gestarum lib. I: Et simul uidebant picum Martium.

4*. *Seru. ad Verg. Aen. VIII* 630 'Fecerat ignipotens — et uiridi fetam Mauortis in antro procubuisse lupam. geminos

---

1. *Post Turni Latinique mortem. uid. Schwegler I p.* 287. (*Verg. l. s. laqueo eam uitam finiuisse scripserat.*)

2. *De lupo femina, quae Romulum et Remum nutriuit, sermo fuisse uidetur. uid. Ennii annal. lib. I fr. XXXXVIIII p.* 13 *Vahlen.*

3. *Refero ad Faustulum pastoresque ab eo conuocatos (uid. Q. Fab. Pict. graec. ann. fr.* 5[b]*), qui cum Romulum et Remum a lupo nutriri animaduertissent, simul picum parramque circumuolitantes uiderunt. cf. Seru. ad Aen. I* 273: Pueri uero expositi ad uicinam ripam delati sunt, ad quos uagientes lupa de uicinis montibus uenit et ubera praestitit. sed cum eos Faustus pastor eius loci animaduertisset nutriri a fera et picum parramque circumuolitare, suspicatus diuinae originis sobolem ad Accam Laurentiam uxorem — pueros detulit, quae susceptos aluit. *de pico Martio uid. Schwegler I p.* 413 *not.* 3.

4. *Vid. Q. Fab. Pict. graec. ann. fr.* 5[b] *(ap. Dion. I* 79*):* ἡ δὲ λύκαινα οὐ μάλα ἀγριαίνουσα τῶν ἀνθρώπων τῇ προσόδῳ — ἀπῄει. ἦν γάρ τις οὐ πολὺ ἀπέχων ἐκεῖθεν ἱερὸς χῶρος ὕλῃ βαθείᾳ συνηρεφὴς καὶ π έ τ ρ α κ ο ί λ η πηγὰς ἀνιεῖσα, ἐλέγετο δὲ Πανὸς εἶναι τὸ νάπος,

---

1, 1. fabios pictor dicit *Paris.* alii dicunt *(Regin.)* 2. Amata *om. Regin.* media *Paris.* quod caute *Paris.*
2, 5. lupus *Ambros.*
3, 8. fauius *LW*

huic urbera circum ludere pendentis pueros']: Potest accipi: et fecerat lupam Mauortis et Mauortis in antro. Fabius speluncam Martis dixit.

EX LIBRO IIII

5. *Cicer. de diuin. I* 26, 54 Omnes hoc historici, Fabii, Gellii, sed proxime Coelius. Cum bello Latino *et q. s. uid. Q. Fab. Pict. gr. ann. fr.* 15 *supra p.* 26—29.

367/387 **6.** *Gell. n. Att. V* 4, 3 Ibi expositi erant Fabii annales, bonae atque sincerae uetustatis libri, quos uenditor sine mendis esse contendebat. — Ostendebat grammaticus ita scriptum in libro quarto: Quapropter tum primum ex plebe alter consul factus est, duo et uicesimo anno postquam Romam Galli ceperunt.

καὶ βωμὸς ἦν αὐτόθι τοῦ θεοῦ. εἰς τοῦτο τὸ χωρίον ἐλθοῦσα ἀποκρύπτεται. Du Rieu de gent. Fab. p. 177 *neglectis uerbis Vergilianis antrum dictum esse censet, in quo Siluia a Marte compressa sit. uid. Seru. ad Aen. I* 273: Haec — cum peteret aquas ad sacra, repentino occursu lupi turbata refugit in speluncam, in qua a Marte compressa est.

5. *Vid. supr. p. LXXXVII.*

6. *De Fabii ratione chronologica uid. Baumgart p.* 38 *sqq. et Mommsen chronol. p.* 198 *sq. Niebuhr hist. Rom. II p.* 630 *sq. ut haec ratio cum Diodoro consentiat, demonstrare studet, Fabium ipsum re uera scripsisse* duodeuicesimo; *grammaticum uero Gellii offendisse in chronologia, non in forma, idque libri Fabiani mendum iure reprehensum esse Gellium existumare. at quamquam uerba huius capitis Gelliani extrema lacuna turbata sunt, hoc tamen etiam ex eis uerbis, quae seruata sunt, satis constat Gellium cauillari 'grammaticum quempiam de nobilioribus' et scripturam* duo et uicesimo, *quamuis forma sit minus usitata, probare.*

---

2. Fabius spelunca *(sic)* Martis dixit *in solo Parisino exstant.*

FABII PICTORIS IVRIS PONTIFICII LIBRI

EX LIB. I

1. *Gell. I* 12, 14 In libro primo Fabii Pictoris, quae uerba pontificem maximum dicere oporteat, cum uirginem capiat, scriptum est. Ea uerba haec sunt: Sacerdotem Vestalem, quae sacra faciat, quae ius siet sacerdotem Vestalem facere pro populo Romano Quiritibus, uti quae optima lege fuit, ita te, Amata, capio.

2. *Gell. X* 15 Caerimoniae impositae flamini Diali multae, item castus multiplices, quos in libris, qui de sacerdotibus publicis conpositi sunt, item in Fabii Pictoris librorum primo scriptos legimus, unde haec feme sunt, quae commemimimus: Equo Dialem flaminem uehi religio est, *et* classem procinctam extra pomoerium, id est exercitum armatum, uidere. idcirco rarenter flamen Dialis creatus consul est, cum bella consulibus mandabantur. item iurare Dialem fas numquam est. item annulo uti nisi peruio cassoque fas non est. ignem e flaminia, id est flaminis Dialis domo, nisi sacrum efferri ius non est. uinctum, si aedes eius introierit, solui necessum est et uincula per impluuium in tegulas subduci atque inde foras in uiam demitti. nodum in apice neque in cinctu neque alia in parte ullum habet. si quis ad uerberandum ducatur, si ad pedes eius supplex procubuerit, eo die uerberari piaculum est. capillum Dialis nisi qui liber homo est, non detonset. capram et carnem incoctam et ederam et fabam neque tangere Diali mos est neque nominare. propagines e uitibus altius praetentas non succidet. pedes lecti, in quo cubat, luto tenui circumlitos esse oportet et de eo lecto trinoctium continuum non decubat neque in eo lecto cubare *neque* alium fas est neque .... apud eius lecti fulcrum capsulam esse cum strue atque ferto oportet. unguium Dialis et capilli segmina subter arborem felicem terra operiuntur. Dialis cotidie feriatus

est. sine apice sub diuo esse licitum non est. ⟨Sub tecto uti liceret, non pridem a pontificibus constitutum Masurius Sabinus scribsit et alia quaedam remissa gratiaque aliquot caerimoniarum facta dicitur.⟩ Farinam fermento inbutam adtingere ei fas non est. tunica intima, nisi in locis tectis, non exuit se, *ne* sub caelo, tamquam sub oculis Iouis, nudus sit. super flaminem Dialem in conuiuio, nisi rex sacrificulus, haut quisquam alius accumbit. uxorem si amisit, flaminio decedit. matrimonium flaminis nisi morte dirimi ius non est. locum, in quo bustum est, numquam ingreditur, mortuum numquam attingit; funus tamen exequi non est religio. eaedem ferme caerimoniae sunt *flaminicae* . . . . flaminicas Dialis seorsum aiunt obseruitare, ueluti est: quod uenenato operitur et quod in rica surculum de arbore felici habet et quod scalas *nisi* quae Graecae appellantur, ascendere ei plus tribus gradibus religiosum est atque etiam, cum it ad Argeos, quod neque comit caput neque capillum depectit.

3*. *Seru. ad Verg. Georg. I* 21 Fabius Pictor hos deos enumerat, quos inuocat flamen, sacrum Cereale faciens Telluri et Cereri: Veruactorem, Reparatorem, Inporcitorem, Insitorem, Obaratorem, Occatorem, Sarritorem, Subruncinatorem, Messorem, Conuectorem, Conditorem, Promitorem.

4*. *Macrob. sat. III* 2, 3 Nam et ex disciplina haruspicum et ex praecepto pontificum uerbum hoc sollemne sacrificantibus est: sicut Veranius ex primo libro Pictoris ita dissertationem huius uerbi exsecutus est: Exta porriciunto, dis danto in altaria aramue focumue eoue quo exta dari debebunt.

5. *Macrob. III* 2, 11 Nam primo pontificii iuris libro apud Pictorem uerbum hoc positum est: Vitulari.

EX LIBRO III

6. *Non. s. u. picumnus p.* 518 Idem (Fabius Pictor) in iuris pontificii lib. III: Pilumno et Picumno.

---

3. *Seruauit Leidensis* 19. imporlicitorem *Leid.* 20. hoccatorem *Leid.*

4, 25. poriciunt *Paris.* distato in altaramue *Bamb. ante emend.* distanto aramue *Bamb. emend.* dando *Paris.*

6, 29. idem lib. I: uris pontifex lib. III (IIII *V*) *L W V pro priore* lib. *scripsi* in, *cetera corr. Iunius* 30. picum *L W V corr. Iunius*

EX LIBRO XVI

7*. *Non. s. u. polybrum p.* 544 Fabius Pictor lib. XVI: Aquam manibus pedibusque dato, polybrum sinistra manu teneto, dextera uasum cum aqua.

INCERTAE SEDIS FRAGMENTA

8*. *Fest. s. u. Puilia p.* 250 *M.* Puilia saxa esse ad portum, qui sit secundum Tiberim ait Fabius Pictor, quem locum putat Labeo dici, ubi fuerit Ficana uia Ostiensi ad lapidem undecimum.

9*. *Non. s. u. sal p.* 223 Neutro Varro: Commentario ueteri Fabii Pictoris legi: Muries fit ex sale, quod sal sordidum tunsum est et *in* ollam rudem fictilem adiectum est, et postea id sal uirgines Vestales serra ferrea secant.

---

9. *cf. Fest. p.* 158 *M.*: Muries, quem ad modum Veranius docet, ea quae fit ex sali sordido, in pila pisato et in ollam fictilem coniecto ibique operto gypsatoque et in furno percocto, cui uirgines Vestales serra ferrea secto et in seriam coniecto, quae est intus in aede Vestae in penu exteriore, aquam iugem uel quamlibet praeterquam quae per fistulas uenit, addunt atque ea demum in sacrificiis utuntur. *Seru. eclog. VIII* 82.

7, 1. Pictor in VI *F* 2. quã *V* polymbrum W^1 pollibrum *F* mtinu W^1 manu W^2 3. uasam W^1

9, 9. pistoris L^1 mustes fit et sale quo sale *LW em. Cuiac.* 10. sustum est *LW em. Cuiac.* in *add. Scalig.* faci dem *W* faci dem *L em. Cuiac.* coniectum *Cuiac.* 11. ferreo *W*

Q. FABII MAXIMI SERVILIANI ANNALES

EX LIBRO I

1. *Seru. ad Verg. Aen. I* 3 Lauinaque uenit littora]: Laurolauinium constat octo milibus a mari remotum. — Litus dicitur terra quaeque mari uicina. — Fabius Maximus annalium primo: Tum Aeneas aegre patiebatur in eum deuenisse agrum, macerrimum litorosissimumque.

INCERTAE SEDIS FRAGMENTA

2. *Schol. Veron. ad Verg. georg. III* 7 *p.* 79 *Keil* . . . . Seruilianus, historiarum scribtor . . . .

---

1. *Cum Harlessio p.* 3 *sq. haec pertinere censeo ad eandem rem, quam Dionys. I* 56 *ita narrat:* καὶ ἡ μὲν (ὗς) ἀμφὶ τοὺς εἴκοσι καὶ τέτταρας σταδίους ἀπὸ θαλάττης διελθοῦσα λόφον τινὰ προσανατρέχει, ἔνθα ὑπὸ καμάτου μοχθήσασα καθέζεται. τῷ δὲ Αἰνείᾳ — ὁρῶντι τὸ χωρίον *(quo postea condidit Lauinium)* γῆς τε οὐκ ἐν καλῷ καὶ θαλάττης πρόσω καὶ οὐδὲ ταύτης ἐνορμίσασθαι ἀγαθῆς πολλὴ παρίσταται ἀμηχανία, πότερα χρὴ τῷ θεσφάτῳ πειθομένους αὐτοῦ κατοικεῖν, ἔνθα λυπηρὸν εἰςαεὶ βίον τρίψουσιν οὐδενὸς χρηστοῦ ἀπολαύοντες ἢ προσωτέρω χωρητέον ἐπὶ γῆς ἀμείνονος μάστευσιν· ταῦτα δὲ αὐτῷ διανοουμένῳ καὶ τοὺς θεοὺς ἔχοντι δι᾽ αἰτίας ἄφνω λέγεται φωνή τις ἐκ τῆς νάπης ἀφανοῦς ὄντος τοῦ φθεγγομένου προσπεσεῖν κελεύουσα μένειν τε αὐτόθι καὶ πολίζεσθαι διὰ ταχέων καὶ μὴ τῷ ἀπόρῳ τῆς παρούσης δόξης ἐπιτρέψαντα, εἰ μὴ ἐν εὐβότῳ γῇ τὸν βίον ἱδρύσεται, τὴν μέλλουσάν τε καὶ ὅσον οὔπω παροῦσαν εὐτυχίαν ἀπώσασθαι. εἶναι γὰρ αὐτῷ πεπρωμένον ἐκ ταύτης ὁρμώμενον τῆς λυπρᾶς καὶ ὀλίγης τὸ πρῶτον οἰκήσεως πολλὴν καὶ ἀγαθὴν ἐπικτήσασθαι γῆν σὺν χρόνῳ. *neque enim probo quae Du Rieu p.* 396 *contra Harlessium monet, intellegendum esse apud Fabium locum mari proximum atque in ipso littore situm. distat enim Lauinium Dionysio teste uiginti quattuor stadiis a mari atque natura loci etiam nunc litorosa est.*

---

1. *Ex Thilonis libris solus Cassellanus exhibet.*

2. *Lacunas ita expleuit Harless p.* 42: [Pelopem autem Fabius Maximus] Seruilianus historiarum scriptor [quod eburneum umerum hab]uerit, eburnum appellatum tradidit. Minerua[m enim ait nouum illi umerum] ex ebore [fecisse cum di] cetera membra reparassent; *neque tamen de omnibus mihi persuasit.*

uerit eburnum appellatum tradidit. Minerua . . . . ex ebore . . . . cetera membra reparassent.

3. *Prisc. VIII p.* 791 *P.* 380 *H.* Fabius Maximus: Amitti quam apisci.

EX (IVRIS PONTIFICII) LIBRO XI

4. *Macrob. sat. I* 16, 25 Sed et Fabius Maximus Seruilianus pontifex in libro duodecimo negat oportere atro die parentare, quia tunc quoque Ianum Iouemque praefari necesse est, quos nominari atro die non oportet.

---

2. *Si recte Harless expleuit, potuit haec dicere Fabius, cum de Pisis conditis ageret, quam urbem quidam a Pelope conditam esse censebant (Plin. III* 50*). Seruius ad eundem Vergilii locum haec adnotauit*: Tantalus pater Pelopis, uolens deorum tentare diuinitatem, inuitatis eis filium suum epulandum apposuit, a quo omnes dii abstinuerunt excepta Cerere, quae brachium eius consumpsit. postea dii punito Tantalo cum uoluissent eius filium reuocare ab inferis, Ceres ei eburneum brachium restituit.

3, 3. fauius *Bamb. Bern. Halberst. Sangall. Gruter. Karol. Par. R sec. m.* Fabius — apìsci *om. Par. R pr. m. add. sec. m.* ãmiti *Gruter.* 4. apisci *add. sec. m. Sangall.* adipisci *Halberst. sec. m. Karolir. sec. m.*

C. SEMPRONII GRACCHI AD M. POMPONIVM LIBER

1. *Cicer. de diuin. I* 18, 36 Ti. Gracchus, Publii filius, qui bis consul et censor fuit idemque et summus augur et uir sapiens ciuisque praestans, nonne, ut C. Gracchus, filius eius, scriptum reliquit, duobus anguibus domi conprehensis haruspices conuocauit? qui cum respondissent, si marem emisisset, uxori breui tempore esse moriendum, si feminam, ipsi, aequius esse censuit, se maturam oppetere mortem quam P. Africani filiam adulescentem. Feminam emisit, ipse paucis post diebus est mortuus.

---

1. *Eandem rem significat Cicero in altero de diuin. libro* 29, 62: C. *(om. Vindob.)* Gracchus *(grachus Voss. B)* ad M. Pomponium scripsit (scribit *Voss. A pr. m.*) duobus anguibus domi conprehensis haruspices a patre conuocatos. — ego tamen miror, si emissio feminae anguis mortem adferebat Ti. Graccho, emissio autem maris anguis erat mortifera Corneliae, cur alteram utram emiserit. nihil enim scribit respondisse haruspices, si neuter anguis emissus esset, quid esset futurum. at mors insecuta Gracchum est. *ex Cicerone Valerius Maximus IIII* 6, 1. *cf. Plut. Ti. Gracch.* 1 *Οὗτοι Τιβερίου Γράγχου παῖδες ἦσαν, ᾧ τιμητῇ τε Ῥωμαίων γενομένῳ καὶ δὶς ὑπατεύσαντι καὶ θριάμβους δύο καταγαγόντι λαμπρότερον ἦν τὸ ἀπὸ τῆς ἀρετῆς ἀξίωμα. — λέγεται δέ ποτε συλλαβεῖν αὐτὸν ἐπὶ τῆς κλίνης ζεῦγος δρακόντων, τοὺς δὲ μάντεις σκεψαμένους τὸ τέρας ἄμφω μὲν οὐκ ἐᾶν ἀνελεῖν οὐδὲ ἀφεῖναι, περὶ δὲ θατέρου διαιρεῖν, ὡς ὁ μὲν ἄῤῥην τῷ Τιβερίῳ φέροι θάνατον ἀναιρεθείς, ἡ δὲ θήλεια τῇ Κορνηλίᾳ. τὸν οὖν Τιβέριον καὶ φιλοῦντα τὴν γυναῖκα καὶ μᾶλλον αὐτῷ προσήκειν ὄντι πρεσβυτέρῳ τελευτᾶν ἡγούμενον ἔτι νέας οὔσης ἐκείνης τὸν μὲν ἄῤῥενα κτεῖναι*

1, 1. Ti.] tibi *codd. Christi* p. filius *codd. Christi* 2. iidemque *Voss. B* 3. G. *codd. Christi* 4. reliquid *Voss. A* conpraehensis *Voss. A*[1] arusp. *Leid. H* 6. equus *Leid. H* 7. maturum *Dauis. conl. Plut.* P. *om. Voss. B pr. m.* africani *om. Voss. A pr. m.*

2. *Plut. Tib. Gracch.* 8 Ὁ δ' ἀδελφὸς αὐτοῦ Γάϊος ἔν τινι βιβλίῳ γέγραφεν εἰς Νομαντίαν πορευόμενον διὰ τῆς Τυῤῥηνίας τὸν Τιβέριον καὶ τὴν ἐρημίαν τῆς χώρας ὁρῶντα
καὶ τοὺς γεωργοῦντας ἢ νέμοντας οἰκέτας ἐπεισάκτους καὶ 137
βαρβάρους τότε πρῶτον ἐπὶ νοῦν βαλέσθαι τὴν μυρίων κα- 617
κῶν ἄρξασαν αὐτοῖς πολιτείαν.

τῶν δρακόντων, ἀφεῖναι δὲ τὴν θήλειαν. εἶτα ὕστερον οὐ πολλῷ χρόνῳ τελευτῆσαι δεκαδύο παῖδας ἐκ τῆς Κορνηλίας αὐτῷ γεγονότας καταλιπόντα. *Plin. n. h. VII* 122. *Aur. Vict. de uir. ill.* 57, 6.

L. CALPVRNII PISONIS CENSORII FRVGI ANNALES

EX LIBRO I

1*. *Varr. d. r. rust. II* 1, 9 Denique Italia a uitulis, ut scribit Piso.

2*. *Schol. Veron. ad Verg. Aen. II* 717 *p.* 92 Additur etiam a L. Cassio [*et Pisone*] Censorio miraculo magis Aenean patris *dignitate sanctio*rem inter hostes intactum properauisse concessisque ei nauibus in Italiam nauigasse.

3*. *Dion. I* 79 *Περὶ δὲ τῶν ἐκ τῆς Ἰλίας γενομένων Κόιντος μὲν Φάβιος ὁ Πίκτωρ λεγόμενος, ᾧ Λεύκιός τε Κίγκιος καὶ Κάτων Πόρκιος καὶ Πείσων Καλπούρνιος καὶ τῶν ἄλλων συγγραφέων οἱ πλείους ἠκολούθησαν, γέγραφεν quae secuntur habes sub Fab. Pict. fr.* 5^{b} *p.* 9—19.

4*. *Seru. ad Aen. II* 761 Primo autem [*asylum*] apud Athenienses statutum est ab Herculis filiis, quos insequebantur ii, qui erant a patre ipsorum oppressi. — hoc asylum etiam Romulus imitatus est, unde est [*Verg. VIII* 342]: 'Quem Romulus

---

1. *cf. Seru. ad Aen. I* 533: Alii Italiam a bubus, quibus est Italia fertilis, quia Graeci boues *ἰταλοὺς*, nos uitulos dicimus. *Gell. XI* 1, 1: Timaeus in historiis, quas oratione Graeca de rebus populi Romani composuit [*Mueller fr.* 12 *I p.* 195], et M. Varro in antiquitatibus rerum humanarum terram Italiam de Graeco uocabulo appellatam scripserunt, quoniam boues Graeca uetere lingua *ἰταλοὶ* uocitati sint, quorum in Italia magna copia fuerit, bucetaque in ea terra gigni pascique solita sint complurima. — *Alia fuit Hellanici sententia, qua ab uno quodam boue Herculis, qui ex eius grege aberrauerat, nomen duxisse Italiam censuerat.*

3. *Vid. supr. p. CLXXIIII.*

1, 1. in Italia *cod. Politiani teste Gesnero.*

2. *uid. Cass. fr.* 5.

acer asylum rettulit', non statuit. quem locum deus Lycoris, sicut Piso ait, curare dicitur.

5*. *Dionys. II 38 sqq.* Ὡς δὲ Πείσων Λεύκιος ὁ τιμητικὸς ἱστορεῖ, (*Tarpeiam*) καλοῦ πράγματος ἐπιθυμία γυμνοὺς τῶν σκεπαστηρίων ὅπλων παραδοῦναι τοῖς πολίταις τοὺς πολεμίους. — Πείσων γὰρ ὁ τιμητικὸς — ἄγγελόν φησιν ὑπὸ τῆς Ταρπείας ἀποσταλῆναι νύκτωρ ἐκ τοῦ χωρίου δηλώσοντα τῷ Ῥωμύλῳ τὰς γενομένας τῇ κόρῃ πρὸς τοὺς Σαβίνους ὁμολογίας, ὅτι μέλλοι τὰ σκεπαστήρια παρ' αὐτῶν αἰτεῖν ὅπλα, διὰ τῆς κοινότητος τῶν ὁμολογιῶν παρακρουσαμένη, δύναμίν τε ἀξιώσοντα πέμπειν ἐπὶ τὸ φρούριον ἑτέραν νυκτός, ὡς αὐτῷ στρατηλάτῃ παραληψόμενον τοὺς πολεμίους γυμνοὺς τῶν ὅπλων· τὸν δὲ ἄγγελον αὐτομολήσαντα πρὸς τὸν ἡγεμόνα τῶν Σαβίνων κατήγορον γενέσθαι τῶν τῆς Ταρπείας βουλευμάτων. — Ἔπειτα πάλιν ὁ μὲν Πείσων φησὶ τῶν Σαβίνων τὸν χρυσὸν ἑτοίμων ὄντων διδόναι τῇ κόρῃ τὸν περὶ τοῖς ἀριστεροῖς βραχίοσι, τὴν Τάρπειαν οὐ τὸν κόσμον ἀλλὰ τοὺς θυρεοὺς παρ' αὐτῶν αἰτεῖν, Τατίῳ δὲ θυμόν τε εἰσελθεῖν ἐπὶ τῇ ἐξαπάτῃ καὶ λογισμὸν τοῦ μὴ παραβῆναι τὰς ὁμολογίας. δόξαι δ' αὐτῷ δοῦναι μὲν τὰ ὅπλα, ὥσπερ ἡ παῖς ἠξίωσε, ποιῆσαι δ' ὅπως αὐτοῖς μηδὲν λαβοῦσα χρήσεται, καὶ αὐτίκα διατεινάμενον ὡς μάλιστα ἰσχύος εἶχε ῥῖψαι τὸν θυρεὸν κατὰ τῆς κόρης καὶ τοῖς ἄλλοις παρακελεύσασθαι ταὐτὸ ποιεῖν. οὕτω δὴ βαλλομένην πάντοθεν τὴν Τάρπειαν ὑπὸ πλήθους τε καὶ ἰσχύος τῶν πληγῶν πεσεῖν καὶ περισωρευθεῖσαν ὑπὸ τῶν

---

5. *Pisonis fama a Dionysio coniuncta est cum Fabiana (fr. 8), quam uide de eis, quae apud utrumque scriptorem se inuenisse dicit Dionysius. cf. etiam Liu. I 11, 9, qui narrationi Fabianae haec subiunxit:* Sunt qui eam ex pacto tradendi quod in sinistris manibus haberent, arma petisse dicant et fraude uisam agere sua ipsam peremptam mercede.

4, 1. Lycoris *uulgo editur (Cassell. et Paris. hic deficiunt)* Lycores *uel* Lycoreus *Iahn.*

5, 3. Πίσων *(Chis.)* 4. ἐπιθυμίᾳ *libri corr. Sylburg. est supplendum ex eis quae antecedunt* εἰσέρχεται. 10. ὁμολογιῶν *Buecheler aut delet aut* ὀνομασιῶν *scribi uult.* 12. παραληψομένην *Reiske* 20. δόξαν *Kiessling u. 22* καὶ *delens.* 22. χρήσεται *Meineke* χρήσηται *libri.* 24. ταὐτὸ *Sylburg* τοῦτο *libri.*

θυρεῶν ἀποθανεῖν. — ἔοικε δὲ τὰ μετὰ ταῦτα γενόμενα τὴν Πείσωνος ἀληθεστέραν ποιεῖν ἀπόκρισιν. τάφου γὰρ ἔνθα ἔπεσεν ἠξίωται τὸν ἱερώτατον τῆς πόλεως κατέχουσα λόφον, καὶ χοὰς αὐτῇ Ῥωμαῖοι καθ' ἕκαστον ἐνιαυτὸν ἐπιτελοῦσι (λέγω δὲ ἃ Πείσων γράφει), ὧν οὐδενὸς εἰκὸς αὐτήν, εἰ προδιδοῦσα τὴν πατρίδα τοῖς πολεμίοις ἀπέθανεν, οὔτε παρὰ τῶν προδοθέντων οὔτε παρὰ τῶν ἀποκτεινάντων τυχεῖν, ἀλλὰ καὶ εἴ τι λείψανον αὐτῆς ἦν τοῦ σώματος, ἀνασκαφὲν ἔξω ῥιφῆναι σὺν χρόνῳ φόβου τε καὶ ἀποτροπῆς ἕνεκα τῶν μελλόντων τὰ ὅμοια δρᾶν. ἀλλὰ ὑπὲρ μὲν τούτων κρινέτω τις ὡς βούλεται.

6*. *Varr. de l. l. V* 148 In foro lacum Curtium a Curtio dictum constat et de eo triceps historia: nam et Procilius non idem prodidit quod Piso nec quod is, † Cornelius Stilo secutus.

---

6. *Idem pluribus exornauit Dionysius II* 42, *qui posteaquam Curtium, cum in media acie, cui praeerat, uicisset, etiam cornibus laborantibus auxilio uenisse narrauit, sic pergit*: ὁ δὲ κίνδυνος ἅπας περὶ τὸν Κούρτιον καὶ τοὺς σὺν ἐκείνῳ νικῶντας ἐγεγόνει· χρόνον μὲν οὖν τινα οἱ Σαβῖνοι δεξάμενοι τοὺς Ῥωμαίους λαμπρῶς ἠγωνίσαντο, ἔπειτα πολλῶν ἐπ' αὐτοὺς συνιόντων ἐνέκλινάν τε καὶ διέσωζον ἑαυτοὺς ἐπὶ τὸν χάρακα, πολλὴν τοῦ Κουρτίου παρέχοντος αὐτοῖς εἰς τὸ μὴ διώκεσθαι τεταραγμένοις ἀλλὰ βάδην ἀποχωρεῖν ἀσφάλειαν. αὐτὸς γὰρ εἱστήκει μαχόμενος καὶ τὸν Ῥωμύλον ἐπιόντα ἐδέχετο, γίνεται δὲ τῶν ἡγεμόνων αὐτῶν συμπεσόντων ἀλλήλοις μέγας καὶ καλὸς ἀγών. ἔξαιμος δὲ ὢν ἤδη καὶ καταβελὴς ὁ Κούρτιος ὑπῄει κατ' ὀλίγον, καὶ αὐτὸν ἐκ τῶν κατόπιν ὑπεδέχετο λίμνη βαθεῖα, ἣν περιελθεῖν μὲν χαλεπὸν ἦν περικεχυμένων πανταχόθεν τῶν πολεμίων, διελθεῖν δὲ ὑπό τε ἰλύος πλήθους, ἣν τὰ πέριξ τέλματα εἶχε, καὶ βάθους ὕδατος τοῦ κατὰ μέσην αὐτὴν συνεστῶτος ἄπορον. ταύτῃ πλησιάσας ἔρριψεν ἑαυτὸν εἰς τὸ νᾶμα σὺν τοῖς ὅπλοις, καὶ ὁ Ῥωμύλος ὡς αὐτίκα δὴ τοῦ ἀνδρὸς ἐν τῇ λίμνῃ διαφθαρησομένου (καὶ ἅμα ἀδύνατον ἦν κατὰ τέλματός τε αὐτὸν καὶ δι' ὕδατος πολλοῦ διώκειν) ἐπὶ τοὺς ἄλλους Σαβίνους τρέπεται· ὁ δὲ Κούρτιος πολλὰ μοχθήσας σὺν χρόνῳ σώζεταί τε ἐκ τῆς λίμνης τὰ ὅπλα ἔχων καὶ εἰς τὸν χάρακα ἀπάγεται. οὗτος ὁ τόπος ἀνακέχωσται μὲν ἤδη, καλεῖται δ' ἐξ ἐκείνου τοῦ πάθους Κούρτιος λάκκος ἐν μέσῳ μάλιστα ὢν τῆς Ῥωμαίων ἀγορᾶς. *cf. c.* 46 *fin. Minus adcurate haec exposuit Liuius I* 12, 8: Mettius Curtius ab Sabinis princeps ab arce decucurrerat et effusos egerat Romanos totum quantum foro spatium est. nec procul iam a porta Palatii erat, clamitans 'uicimus perfidos hospites, inbelles hostes. iam sciunt longe aliud esse uirgines rapere, aliud pugnare cum uiris'. in eum haec gloriantem cum globo ferocissimorum iuuenum Romulus impetum facit, ex equo tum forte Mettius pugnabat, eo pelli facilius fuit. pulsum Romani persequuntur, et alia Romana

---

9. ἀποτροπῆς *Stephanus* προτροπῆς *libri*

6, 14. Aelius aut Lutatius *uidetur esse scribendum. cf. Procil. fr.* 1 *c. conm. crit.*

— Piso in annalibus scribit, Sabino bello, quod fuit Romulo et Tatio, uirum fortissimum Mettium Curtium Sabinum, cum Romulus cum suis ex superiore parte impressionem fecisset, [Curtium] in locum palustrem, qui tum fuit in foro, antequam cloacae sunt factae, secessisse atque ad suos in Capitolium recepisse. ab eo lacum inuenisse nomen.

7*. *Tertull. de spectac.* 5 Dehinc [*post Consualia*] idem Romulus Ioui Feretrio ludos instituit in Tarpeio, quos Tarpeios dictos et Capitolinos Piso tradidit.

8. *Gell. n. Att. XI* 14 Simplicissima suauitate et rei et orationis L. Piso Frugi usus est in primo annali, cum de Romuli regis uita atque uictu scriberet. ea uerba, quae scripsit, haec sunt: Eundem Romulum dicunt ad cenam uocatum ibi non multum bibisse, quia postridie negotium haberet. ei dicunt: Romule, si istud omnes homines faciant, uinum uilius sit. his respondit: Immo uero carum, si quantum quisque uolet, bibat, nam ego bibi quantum uolui.

---

acies audacia regis incensa fundit Sabinos. Mettius in paludem sese strepitu sequentium trepidante equo coniecit; auerteratque ea res etiam Sabinos tanti periculo uiri. et ille quidem adnuentibus ac uocantibus suis fauore multorum addito animo euadit, Romani Sabinique in media conualle duorum montium redintegrant proelium, sed res Romana erat superior. Tum Sabinae mulieres *et q. s.* 13, 5 ubi primum ex profunda emersus palude equum Curtius in uado statuit, Curtium lacum appellarunt. *cf. VII* 6, 5, *ubi in narrationis tenore uulgarem famam sequitur breuiterque huius mentionem facit. Procil. fr.* 1. *Plut. Rom.* 18: *Κούρτιος γὰρ ἀνὴρ ἐπιφανὴς, δόξῃ καὶ φρονήματι γαῦρος, ἵππον ἔχων πολὺ πρὸ τῶν ἄλλων ἐχώρει. δεξαμένου δὲ τοῦ βαράθρου τὸν ἵππον ἄχρι μέν τινος ἐπειρᾶτο πληγῇ καὶ παρακελεύσει χρώμενος ἐξελαύνειν· ὡς δ' ἦν ἀμήχανον, ἐάσας τὸν ἵππον ἑαυτὸν ἔσωζεν. ὁ μὲν οὖν τόπος δι' ἐκεῖνον ἔτι νῦν Κούρτιος λάκκος ὀνομάζεται.*

---

3. experiore *supr. scr.* su *Flor.* 3. 4. curtius *Florent. Par. a. b.* Curtium *uulg., mihi omnino eiciendum esse uidetur.* 4. lacum *Flor. (teste Spengel.) Haun. Par. a. b* 5. facte *Flor.* atque id suos *Par. b. mihi post* atque *plura intercidisse uidentur. an est scrib.* atque inde se uix in Cap.?

8, 11. frigi *φ* annaliū de R^1 *corr.* R^2 11. 12. rumuli *B* 13. Eundem] endē *L* eūd'e *R* cęnam *g p o* 14. ibisse (bi *supra*) *φ* p'tridie *BR* post tdiū (i *supra*) *L* post tridie *p* 15. Romule *om. a* istuc *libri praeter B* faciant (i *in ras*) *φ* faciunt *a* his *BRmo* hiis *L* is *uulgo* 16. imo *L* quisque] quis *o* 17. bibat] bibit *φ* bibam (t bi *supra*) quatum (n *supra*) *φ*

9*. *Varr. d. l. l. V* 165 Tertia [*porta*] est Ianualis, dicta ab Iano, et ideo ibi positum Iani signum et ius institutum a Pompilio, ut scribit in annalibus Piso, ut sit aperta semper, nisi cum bellum sit nusquam.

10. *Plin. II* 140 Vetus fama Etruriae est — euocatum [*fulmen*] a Porsina suo rege. et ante eum a Numa saepius hoc factitatum in primo annalium suorum tradidit L. Piso, grauis auctor, quod imitatum parum rite Tullum Hostilium ictum fulmine.

11. *Plin. XIII* 84 Cassius Hemina, uetustissimus auctor an-
181 nalium, quarto eorum libro prodidit, Cn. Terentium scribam
573 agrum suum in Ianiculo repastinantem effodisse arcam, in qua Numa, qui Romae regnauit, situs fuisset. in eadem libros eius repertos P. Cornelio L. f. Cethego M. Baebio Q. f. Tamphilo cos., ad quos a regno Numae colliguntur anni DCCCV. hos

---

9. *cf. Liu. I* 19, 2*: (Numa)* Ianum ad infimum Argiletum indicem pacis bellique fecit, apertus ut in armis esse ciuitatem, clausus pacatos circa omnes populos esse significaret. *Schwegler I p.* 481 *sqq. Preller myth. Rom. p.* 154 *sq.*

10. *uid. fr.* 13 *cum adnot.*

11. *Famae Pisonianae ex errore Valerium Antiatem auctorem adscripsit Liuius XXXX* 29, 3. *uid. supra p. CC uerba Liu. haec sunt:* Eodem anno in agro L. Petillii scribae sub Ianiculo, dum cultores agri altius moliuntur terram, duae lapideae arcae, octonos ferme pedes longae, quaternos latae, inuentae sunt, operculis plumbo deuinctis. litteris Latinis Graecisque utraque arca scripta erat, in altera Numam Pompilium Pomponis filium, regem Romanorum, sepultum esse, in altera libros Numae Pompilii inesse. eas arcas cum ex amicorum sententia dominus aperuisset, quae titulum sepulti regis habuerat, inanis inuenta, sine uestigio ullo corporis humani aut ullius rei, per tabem tot annorum omnibus absumptis. in altera duo fasces candelis inuoluti septenos habuere libros, non integros modo sed recentissima specie. septem Latini de iure pontificio erant, septem Graeci de disciplina sapientiae, quae illius aetatis esse potuit. adicit A n t i a s V a l e r i u s Pythagoricos fuisse, uulgatae opinioni, qua creditur Pythagorae auditorem fuisse Numam, mendacio probabili adcommodata fide. primo ab amicis, qui in re praesenti fuerunt, libri lecti; mox pluribus legentibus cum uulgarentur, Q. Petillius praetor urbanus studiosus legendi libros eos a L. Petillio sumpsit; et erat familiaris usus, quod scribam eum quaestor Q. Petillius in decuriam legerat. lectis rerum summis cum animaduertisset, pleraque dissoluendarum religionum esse, L. Petillio dixit sese libros eos in ignem coniecturum esse; priusquam id faceret, se ei permittere, uti, si quod seu ius seu auxilium se habere ad eos libros repetendos existimaret, experiretur: id integra sua gratia eum facturum. scriba tribunos

---

9, 4. quom *Haun.*
10, 8. Ostilium *Ricc.*

fuisse e charta — eosque combustos a Q. Petilio praetore, quia philosophiae scripta essent. Hoc idem tradit Piso Censorius primo commentáriorum sed libros septem iuris pontificii, totidem Pythagoricos fuisse.

12*. *Plut. Num.* 21 *Ὁ Νομᾶς ἐτελεύτησεν οὐ ταχείας οὐδ' αἰφνιδίου γενομένης αὐτῷ τῆς τελευτῆς ἀλλὰ κατὰ μικρὸν ὑπὸ γήρως καὶ νόσου μαλακῆς ἀπομαραινόμενος, ὡς ἱστόρηκε Πείσων, ἐτελεύτησε δὲ χρόνον οὐ πολὺν τοῖς ὀγδοήκοντα προσβιώσας.*

13. *Plin. XXVIII* 14 L. Piso primo annalium auctor est, Tullum Hostilium regem ex Numae libris eodem quo illum sacrificio Iouem caelo deuocare conatum, quoniam parum rite quaedam fecisset, fulmine ictum.

---

plebis adit, ab tribunis ad senatum res est reiecta. praetor se iusiurandum dare paratum esse aiebat, libros eos legi seruarique non oportere. senatus censuit satis habendum, quod praetor iusiurandum polliceretur, libros primo quoque tempore in comitio cremandos esse, pretium pro libris, quantum Q. Petillio praetori maiorique parti tribunorum plebis uideretur, domino soluendum esse. id scriba non accepit. libri in comitio igne a uictimariis facto in conspectu populi cremati sunt. *Ex Liuio sua descripsit Lactantius inst. I 22. in plerisque consentit Valerius Maximus I* 1, 12, *nisi quod Latinos libros magna diligentia adseruatos esse memoriae prodidit. Cf. Cassii fr.* 37. *Tudit.* 3. *Valer. Ant.* 7—10.

12. *cf. Dion. II* 76 *ἡλικίας δ' ἐπὶ μήκιστον ἤλασεν ὁλόκληρος, οὐδὲν ὑπὸ τῆς τύχης κακωθεὶς καὶ θανάτων τὸν ῥᾷστον ἐτελεύτησεν, ὑπὸ γήρως μαρανθείς, ὁμοίου παραμείναντος αὐτῷ τοῦ συγκληρωθέντος ἐξ ἀρχῆς δαίμονος, ἕως ἐξ ἀνθρώπων ἠφανίσθη. Idem Piso fortasse etiam in seqq. est intellegendus, ubi Dionysius de Numae prole quid οἱ πλείους, quid Gellius memoriae tradiderit, adfert.*

13. *cf. Liu. I* 31, 5: Haud ita multo post pestilentia laboratum est. unde cum pigritia militandi oreretur, nulla tamen ab armis quies dabatur a bellicoso rege, salubriora etiam credente militiae quam domi iuuenum corpora esse, donec ipse quoque longinquo morbo est implicatus. tunc adeo fracti simul cum corpore sunt spiritus illi feroces, ut, qui nihil ante ratus esset minus regium quam sacris dedere animum, repente omnibus magnis paruisque superstitionibus obnoxius tegeret religionibusque etiam populum inpleret. uulgo iam homines eum statum rerum, qui sub Numa rege fuerat, requirentes, unam opem aegris corporibus relictam, si pax ueniaque a diis impetrata esset, credebant. Ipsum regem tradunt uoluentem commentarios Numae, cum ibi quaedam occulta solemnia sacrificia Ioui Elicio facta inuenisset, operatum

---

2. Piso] Physo *Ricc.* ipse *Par. E* 3. totidemque *Ricc.*
12, 6. *τῆς om. Paris. C*
13, 12. deuocauere *Voss. Ricc.*[1] parum] *Ricc. Paris. d. om. Voss. Ricc.*[1]

14. *Dion. IIII* 15 Ὡς δὲ Πείσων Λεύκιος ἐν τῇ πρώτῃ τῶν ἐνιαυσίων ἀναγραφῶν ἱστορεῖ, βουλόμενος (*Seruius Tullius*) καὶ τῶν ἐν ἄστει διατριβόντων τὸ πλῆθος εἰδέναι τῶν τε γεννωμένων καὶ ἀπογινομένων καὶ τῶν εἰς ἄνδρας ἐγγραφομένων, ἔταξεν, ὅσον ἔδει νόμισμα καταφέρειν ὑπὲρ ἑκάστου τοὺς προσήκοντας, εἰς μὲν τὸν τῆς Εἰλειθυίας θησαυρόν, ἣν Ῥωμαῖοι καλοῦσιν Ἥραν φωσφόρον, ὑπὲρ τῶν γεννωμένων, εἰς δὲ τὸν τῆς Ἀφροδίτης ἐν ἄλσει καθιδρυμένης, ἣν προσαγορεύουσι Λιβιτίνην, ὑπὲρ τῶν ἀπογινομένων, εἰς δὲ τὸν τῆς Νεότητος ὑπὲρ τῶν εἰς ἄνδρας ἀρχομένων συντελεῖν· ἐξ ὧν ἤμελλε διαγνώσεσθαι καθ' ἕκαστον ἐνιαυτὸν, ὅσοι τε οἱ σύμπαντες ἦσαν καὶ τίνες ἐξ αὐτῶν τὴν στρατεύσιμον ἡλικίαν εἶχον.

15*. *Dion. IIII* 7 Ἔχει δὲ καὶ ἄλλας τινὰς τὸ πρᾶγμα (*Aruntem et Lucium Tarquinios filios Prisci fuisse*) ἀτοπίας, ἃς ἅπαντες ἠγνόησαν οἱ τὰ Ῥωμαϊκὰ συνταξάμενοι πλὴν ἑνός, οὗ κατὰ μικρὸν ἐρῶ τοὔνομα. ὡμολόγηται γὰρ ὅτι καὶ μετὰ τὴν Ταρκυνίου τελευτὴν παραλαβὼν τὴν βασιλείαν Τύλλιος

---

iis sacris se abdidisse; sed non rite initum aut curatum id sacrum esse, nec solum nullam ei oblatam caelestium speciem, sed ira Iouis sollicitati praua religione fulmine ictum cum domo conflagrasse. (*ex eo Val. Max. VIIII* 12, 1. *Seru. ad ecl. VI* 42 *et fortasse Aurel. Vict. de u. ill.* 4, 4.) *Similia fere habet Dion. III* 35 ἔτη δὲ κατασχὼν τὴν ἀρχὴν δύο καὶ τριάκοντα τελευτᾷ τὸν βίον ἐμπρησθείσης τῆς οἰκίας, καὶ σὺν αὐτῷ γυνή τε ἀπόλλυται καὶ τέκνα καὶ ὁ ἄλλος οἰκετικὸς ὄχλος καταληφθεὶς ὑπὸ τοῦ πυρός. καταπρησθῆναι δὲ τὴν οἰκίαν οἱ μὲν ὑπὸ κεραυνῶν λέγουσι μηνίσαντος τοῦ θεοῦ δι' ὀλιγωρίαν ἱερῶν τινων. ἐκλιπεῖν γὰρ ἐπὶ τῆς ἀρχῆς τῆς ἐκείνου πατρίους τινὰς θυσίας, ἑτέρας δ' οὐχ ὑπαρχούσας ἐπιχωρίους Ῥωμαίοις παραγαγεῖν (*cum eo consentit Zonaras VII* 6 *p.* 24). *Qua re adductus Tullius Numae libros uoluerit, Dionysius postea Ancum Marcium exponentem (III* 36*) facit:* ὅτι παρὰ τὴν τῶν θεῶν ὀλιγωρίαν νόσοι τε λοιμικαὶ [καὶ βλάβαι] πολλαὶ κατέσκηψαν εἰς τὴν πόλιν, ὑφ' ὧν ἐφθάρη μοῖρα τοῦ πλήθους οὐκ ὀλίγη, καὶ βασιλεὺς Ὀστίλιος ὁ μὴ ποιούμενος αὐτῶν ἣν ἔδει φυλακὴν κάμνων ἐπὶ πολλοὺς χρόνους τὸ σῶμα πάθεσι παντοδαποῖς καὶ οὐδὲ τῆς γνώμης ἔτι τῆς αὐτοῦ καρτερὸς διαμένων ἀλλὰ συνδιαφθαρεὶς τῷ σώματι τὰς φρένας οἰκτρᾶς καταστροφῆς ἔτυχεν αὐτός τε καὶ γένος τὸ ἐξ αὐτοῦ (= *Plut. Num.* 22).

15. *Ceteros Dionysii locos, quibus ab eadem sententia stat, uid. supra p. CLXXXXVII. eiusdem breuiter mentionem iniecerunt Liuius I* 46, 4 *et Plut. Poplic.* 14.

14, 8. τῆς *post* Ἀφροδίτης *add. Kiessling.* 9. βιτίνην *Chis.* ναιβιτίνην *punctis super* ναι *additis Vrbin.*
15, 17. καὶ *add. Vrbinas*

ἐπ' ἔτη τετταράκοντα καὶ τέτταρα κατέσχεν, ὥστ', εἰ κατ' ἐκεῖνον τὸν χρόνον ἑπτακαιεικοσαέτης ἦν ὅτε ἀπεστερεῖτο τῆς ἀρχῆς ὁ πρεσβύτερος τῶν Ταρκυνίων, ὑπὲρ ἑβδομήκοντα δὲ ἔτη γεγονὼς ἂν ἦν ὅτε τὸν Τύλλιον ἀπέκτεινεν. ἐν κρατίστῃ δέ γε αὐτὸν ἡλικίᾳ τότε ὄντα παραδεδώκασιν οἱ συγγραφεῖς καί φασιν ὅτι Τύλλιον αὐτὸς ἀράμενος ἐκ τοῦ βουλευτηρίου καὶ φέρων ἔξω κατὰ τῶν κρηπίδων ἐξέχεεν. ἥ τε ἐκ τῆς ἀρχῆς ἔκπτωσις αὐτοῦ γίνεται πέμπτῳ καὶ εἰκοστῷ μετὰ ταῦτα ἔτει, καὶ τούτῳ τῷ ἔτει στρατευόμενος ἐν τῷ πρὸς Ἀρδεάτας εἰσάγεται πολέμῳ καὶ πάντα τὰ ἔργα δι' ἑαυτοῦ τελῶν. οὐκ ἔχει δὲ λόγον ἐν πολέμοις ἐξετάζεσθαι σῶμα ἀνδρὸς ἓξ καὶ ἐνενήκοντα βεβιωκότος ἔτη. ἐκπεσών τε τῆς ἀρχῆς ἔτι πολεμεῖ Ῥωμαίοις οὐκ ἐλάττω τεττάρων καὶ δέκα ἐτῶν, αὐτὸς ἐν τοῖς πράγμασιν ἐξεταζόμενος, ὥς φασιν. ὃ παρὰ τὰς κοινὰς ἁπάντων ἐστὶ δόξας, καὶ ὁ τοῦ βίου χρόνος αὐτῷ πλείων ἀναφαίνεται τῶν ἑκατὸν καὶ δέκα γεγονὼς ἐτῶν· τοῦτο δὲ τὸ μῆκος τῶν βίων οὐ φέρουσιν οἱ καθ' ἡμᾶς τόποι. — τούτων δὴ τῶν ἀδυνάτων τε καὶ ἀτόπων ἕκαστα ἐπιλογιζόμενος οὐχ υἱοὺς εἶναι Ταρκυνίου γράφω τοὺς παῖδας ἀλλ' υἱωνούς, Λευκίῳ Πείσωνι τῷ Φρυγὶ συγκαταθέμενος. ἐκεῖνος γὰρ ἐν ταῖς ἐνιαυσίοις πραγματείαις τοῦτο ἱστόρηκε μόνος.

16*. *Liu. I* 55, 7 Itaque Pometinae manubiae [*quas ceperat Tarquinius Superbus urbe capta*], quae perducendo ad culmen operi [*templo Capitolino*] destinatae erant, uix in fundamenta suppeditauere. Eo magis Fabio, praeterquam quod antiquior est, crediderim, quadraginta ea sola talenta fuisse quam

---

16. *cf. Fab. fr.* 13. *Quem Piso, eundem Dionysius (IIII* 50) *numerum dicit: οὕτω δὲ ἄρα πολὺς ὁ καταληφθεὶς ἄργυρός τε καὶ χρυσός ἦν, ὥστε τῶν μὲν στρατιωτῶν ἕκαστον πέντε μνᾶς ἀργυρίου λαβεῖν, τὸ δὲ τοῖς θεοῖς δεκατευθὲν ἀργύριον τετρακοσίων οὐ μεῖον γενέσθαι ταλάντων, tum Plutarch. Popl.* 15 *Λέγεται δὲ Ταρκύνιον εἰς τοὺς θεμελίους ἀναλῶσαι λίτρας (asses) ἀργυρίου τετρακισμυρίας.*

---

1. *εἰ om. libri add. Stephanus* 4. *δὲ accessit ex Chis. Vrbin. Coislin.* 8. *πέμπτῳ δὲ καὶ Vrbin.* 11. *εἶχε Vrbin.* 12. *σῶμα ἀνδρὸς om. Vrbin. σῶμα in Coislin. quoque in margine sola exstat. ἓξ καὶ ἑβδομήκοντα βεβιωκὼς ἔτη Vrbin.* 13. *πολεμεῖν Vrbin. s. m.* 14. *τάγμασιν Portus.* 15. *ὃ add. Portus* 18. *τόκοι Stephanus.*

Pisoni, qui quadraginta milia pondo argenti seposita in eam rem scribit, summam pecuniae neque ex unius tum urbis praeda sperandam et nullius ne horum quidem magnificentiae operum fundamenta non exsuperaturum.

17. *Prisc. X p.* 877 *P.* 497 *H.* Piso historiarum I: Cuius unius praemio multorum allicuit animos.

EX LIB. II

18. *Prisc. X p.* 887 *P.* 510 *H.* Piso Frugi in II annalium: Quodcumque deliquisset, ignosciturum adfirmabat.

509/245 **19.** *Gell. XV* 29 Duae istae in loquendo figurae notae satis usitataeque sunt: 'mihi nomen est Iulius' et 'mihi nomen est Iulio'; tertiam figuram nouam hercle repperi apud Pisonem in

---

17. *Eadem uerba transpositione corrupta exhibet lexic. in Mai. class. auct. VIII p.* 53 cuius multorum annos [animos *Mai*] unius praemio allicuit. *Spectant fortasse ad Tarquinium Superbum et Octauium Mamilium. uid. Liu. I* 49, 9 Octauio Mamilio Tusculano — is longe princeps Latini nominis erat, si famae credimus, ab Vlixe deaque Circa oriundus — ei Mamilio filiam nuptum dat perque eas nuptias multos sibi cognatos amicosque eius conciliat. *Dion. IIII* 45.

18. *His uerbis consolari Conlatinum Lucretiam a Sexto Tarquinio stupratam coniecit Lachmann I p.* 50. *uid. Liu. I* 58, 9 consolantur aegram animi auertendo noxam ab coacta in auctorem delicti: mentem peccare non corpus, et unde consilium afuerit, culpam abesse.

19. *Vid. Liu. II* 2, 5 Ibi *[Brutus]* omnium primum ius iurandum populi recitat neminem regnare passuros nec esse Romae, unde periculum libertati foret. id summa ope tuendum esse, neque ullam rem, quae eo pertineat, contemnendam. inuitum se dicere hominis causa nec dicturum fuisse, ni caritas rei publicae uinceret. non credere populum Romanum solidam libertatem reciperatam esse. regium genus, regium nomen non solum in ciuitate sed etiam in imperio esse; id officere, id obstare libertati. 'hunc tu' inquit 'tua uoluntate, L. Tarquini, remoue metum' *et q. s. IIII* 15, 4: Conlatinum Tarquinium consulem nominis

---

2. summam *Flor. Max. I. Fr. Gronou.* quia summā *Par. Vormac. Harlei. I* quia summa *Med.* quippe *Bekker* 3. nullorum, ne huius quidem *Reiz Berichte d. sächs. Gesellsch. d. W. phil. Kl.* 1850 *p.* 102 magnificentiae *del. Ussing.*

17, 5. piro *Sangall. Gruter. Karolir.* 6. proemio *Bamb.* animus *Bamberg.*

18, 7. piro *Karolir.* 8. quocqunque *Gruter.* quocunque *Sangall.* deliquisset *Sangall. Gruter.* affirmabat *Par. R Halberst. Sangall. Grut. Karolir.*

19, 11. pysonē *t*

secundo annalium. Verba Pisonis haec sunt: L. Tarquinium, collegam suum, quia Tarquinio nomine esset, metuere eumque orat, uti sua uoluntate Roma concedat. 509

20*. *Plin. XXXIIII* 29 Hanc [*Cloeliae statuam*] primam 245
cum Coclitis publice dicatam crediderim, — nisi Cloeliae quoque Piso traderet ab iis positam qui una obsides fuissent, redditis a Porsina in honorem eius.

496

21*. *Plin. XXXIII* 38 Quis primus donatus sit ea [*corona* 258
aurea], non inueni equidem; quis primus donauerit, a L. Pisone traditur: A. Postumius dictator apud lacum Regillum castris

---

odio abdicare se magistratu atque exulare iussum. *Nitzsch m. Rhen. n. XXIIII p.* 146 *utrumque et Pisonem et Liuium Fabio Pictore usum esse opinatur. cf. supra p. CLXXXXVIII sq. Plut. Popl.* 7 *ἤχθοντο δ' αὐτοῦ καὶ τῷ δευτέρῳ τῶν ὀνομάτων, ἀφοσιούμενοι τὸν Ταρκύνιον.*

20. *Cf. Dionys. V* 35 *Κλοιλίᾳ δὲ τῇ παρθένῳ στάσιν εἰκόνος χαλκῆς ἔδοσαν, ἣν ἀνέθεσαν ἐπὶ τῆς ἱερᾶς ὁδοῦ τῆς εἰς τὴν ἀγορὰν φερούσης οἱ τῶν παρθένων πατέρες.*

21. *Excipiunt apud Plinium haec uerba*: Piso frugi filium ex priuata pecunia donauit eamque coronam testamento ei praelegauit. *quae nescio an ex eiusdem Pisonis annalibus fluxerint.*

---

1. analium *φ* pysonis *t* 1. 2. conlegam *m* 2. Tarquinium nomen *uulgo* tarquinio nomen *R L p φ t m g a o. adiecit Gellius haec* 'Quia Tarquinio nomine esset': hoc proinde est, tamquam si ego dicam 'mihi nomen est Iulium', *ubi eidem R t L p φ m g exhibent* tarquinio, *R t L* noĩe. tarquinio inquit *o* tarquinio inquit nomine *y* Tarquinio — contendat *om L* ẽe mutuere *g* mutuere *φ p a* esse *p* ẽe *a* 3. Romam contendat *libri* (9tendit *a*, a *supra scr.*) Roma concedat *Aldus*.

20, 4. prima *Voss. Ricc.* 5. dicata *Voss. Ricc.* cleliae *Tol.* deliae (d *in ras.*) *Par. d.* 6. iis] *Bamb.* his *Voss. Ricc. Par. d. h.* posita *Voss. Ricc. Par. h.* qui] quae *Gronouius.* fuerant *Monac. Par. h.* 7. Porsina] *B*[1] *(sic semper).* Porsenna *Bamb.*[2] *Voss. Ricc. Par. d.* Porsena *Par. h.* in honorem eius] *Bamb.* in honorem *Par. d* honorem *Voss. Ricc.*

21, 8. primus *Bamb. Ricc. Par. i l e* primum *Monac. Voss. Par. d h Tol.* 9. Pisone] pisune *Voss.* pisum *Ricc.* pistrinio *Par. i* piscinio *Par. l* ei] *Parr. h i l* cum *Bamb. Voss. Ricc. Par. d., Sillig supplens e u. antecedd.* donasse *ita coni.*: a L. Pisone traditur A. Postumius dictator, apud lacum — expugnatis, eum, cuius — essent. *nostra interpunctio est uulg., quam tuetur Bergk exerc. Plin. I* 13.

Latinorum expugnatis ei, cuius maxime opera capta essent, hanc coronam ex praeda dedit.

494/260 **22*.** *Liu. II* 32, 3 Ea frequentior fama est quam cuius Piso auctor est, in Auentinum secessionem factam esse.

471/283 **23*.** *Liu. II* 58, 1 Tum primum tributis comitiis creati tribuni sunt. numero etiam additos tres, perinde ac duo antea fuerint, Piso auctor est. nominat quoque tribunos, Cn. Siccium, L. Numitorium, M. Duellium, Sp. Icilium, L. Mecilium.

439/315 **24*.** *Dionys. XII in exc. Esc. Fed. I p.* 80 *Muell. in fr. hist. Gr. II p. XXXV* *Οἱ μὲν δὴ τὰ πιθανώτατά μοι δοκοῦντες γράφειν περὶ τῆς Μαιλίου τελευτῆς οὕτω παραδεδώκασι. λεγέσθω δὲ καὶ ὁ δοκῶν ἧττον εἶναί μοι πιθανὸς λόγος, ᾧ κέχρηναι Κίγκιος καὶ Καλπούρνιος, ἐπιχώριοι συγγραφεῖς, οἵ φασιν οὔτε δικτάτορα ὑπὸ τῆς βουλῆς ἀποδειχθῆναι τὸν Κοίντιον οὔτε ἱππάρχην ὑπὸ τοῦ Κοιντίου τὸν Σερουίλιον. γενομένης δὲ τῆς μηνύσεως ὑπὸ τοῦ Μινουκίου*

---

22. *Eandem tamen famam sequitur Liuius III* 54, 8: In Auentinum ite, inde profecti estis. ibi felici loco, ubi prima initia inchoastis libertatis uestrae, tribunos plebi creabitis. *cf. Ascon. in Cic. Verr. p.* 143 *Or.*: Plebeii ludi, quos exactis regibus pro libertate plebis fecerunt aut pro reconciliatione plebis post secessionem in Auentinum.

23. *Eundem Pisonem Liuius II* 33, 3 *in animo habet*: Sunt qui duos tantum in sacro monte creatos tribunos dicant ibique sacratam legem latam. *cf. III* 54, 12 *et Ioann. Lyd. de mag. I* 44 *p.* 155 *Bk. Diod. XI* 68: *ἅμα δὲ τούτοις πραττομένοις* (*a.* 471—283) *ἐν τῇ Ῥώμῃ τότε πρώτως κατεστάθησαν δήμαρχοι τέτταρες* [*πέντε Schwegler II p.* 550 *not.* 2], *Γάϊος Σικίνιος* (*Σίκκιος Schwegler*) *καὶ Λεύκιος Νεμετώριος, πρὸς δὲ τούτοις Μάρκος Δουίλλιος καὶ Σπύριος Ἀκίλιος* [*quibus tribunis addit L. Mecilium Schwegler*]. *Zonar. VII* 15 *p.* 55 *B. cf. Semp. Tudit. fr.* 4. *Schwegler II p.* 270 *not.* 3 *p.* 271 *not.* 1. 556 *not.* 2.

---

1. esset *Bamb.* essent ** *Urlichs* 2. dedit *Bamb. Par. hil* is dedit *Ricc. Par. d Tol.* his dedit *Voss.* dedit librarum III *Bergk*

22, 4 aduentinum *Med. Paris.*

23, 6. addito *Med. Par.*[2] *lib. rec.* aucito *uel* aticito *uel* attito *Par.*[2] additos *Moguntini* 7. bisso *Par. a. corr.* C. Sicinium *Sigonius coll. Liu. III* 54, 12 *et Diod. l. s. s.* Cn. Siccius *etiam c.* 61, 2 *Med. Par. exhibent.* Cñ. sicinium *Helmst. I* Cn. Siccium *et hic et c.* 61 *Flor. Marc.* sp. ilicium *Med. Par. Harl. I* 8. lucium mecilium *Med. Par*, l. melicium *Harl. I* Maecilium *Hertz (et sic nomen scribitur IIII* 68, 12 *in Med. Par.)*

24. *cf. conment. ad Cinc. fr.* 6 13. *καλπουρνίνος codex*

τοὺς παρόντας ἐν τῷ συνεδρίῳ πιστεύσαντας ἀληθῆ τὰ λεγόμενα εἶναι γνώμην ἀποδειξαμένου τῶν πρεσβυτέρων τινὸς ἄκριτον ἦ μὴν ἀποκτενεῖν τὸν ἄνδρα, παραχρῆμα πεισθῆναι καὶ οὕτω τὸν Σερουίλιον ἐπὶ τοῦτο τάξαι τὸ ἔργον, νέον ὄντα καὶ κατὰ χεῖρα γενναῖον. τοῦτον δέ φασι λαβόντα τὸ ξιφίδιον ὑπὸ μάλης ἐλθεῖν πρὸς τὸν Μαίλιον πορευόμενον ἐκ τῆς ἀγορᾶς. καὶ προελθόντα εἰπεῖν ὅτι βούλεται περὶ πράγματος ἀποῤῥήτου καὶ μεγάλου διαλεχθῆναι πρὸς αὐτόν. κελεύσαντος δὲ τοῦ Μαιλίου μικρὸν ἀποχωρῆσαι τοὺς ἐγγὺς αὐτῷ παρόντας ἐπειδὴ μονωθέντα τῆς φυλακῆς ἔλαβε, γυμνώσαντα τὸ ξίφος βάψαι κατὰ τῆς σφαγῆς. τοῦτο δὲ πράξαντα δρόμῳ χωρεῖν εἰς τὸ βουλευτήριον ἔτι συγκαθημένων τῶν συνέδρων ἔχοντα τὸ ξίφος ᾑμαγμένον, κεκραγότα πρὸς τοὺς διώκοντας, ὅτι κελευσθεὶς ὑπὸ τῆς βουλῆς ἀνήρηκε τὸν τύραννον. ἀκούσαντας δὲ τὸ τῆς βουλῆς ὄνομα τοὺς ὡρμηκότας παίειν τε καὶ βάλλειν αὐτὸν ἀποτραπέσθαι καὶ μηδὲν εἰς αὐτὸν παρανομῆσαι. Ἐκ τούτου καὶ τὴν ἐπωνυμίαν τὴν Ἄλαν αὐτῷ τεθῆναι λέγουσιν, ὅτι τὸ ξίφος ἔχων ὑπὸ μάλης ἦλθεν ἐπὶ τοὺς ἄνδρας. ἄλας γὰρ καλοῦσι Ῥωμαῖοι τὰς μάλας. 399

25*. *Dion. XII* 9—10 *in exc. ab Ang. Maio edit. in nou.* 355 *coll. II p.* 470 *IIII p.* 182 *K.* Ἑορτὰς ἦγον οἱ Ῥωμαῖοι τὰς καλουμένας τῇ ἐπιχωρίῳ γλώττῃ στρωμνὰς, ὑπὸ τῶν Σιβυλλείων κελευσθέντες χρησμῶν. νόσος γάρ τις λοιμώδης γενομένη θεόπεμπτός τε καὶ ὑπὸ τέχνης ἀνθρωπίνης ἀνίατος εἰς ζήτησιν αὐτοὺς ἤγαγε τῶν χρησμῶν. ἐκόσμησάν τε στρωμνὰς τρεῖς, ὡς ἐκέλευον οἱ χρησμοί, μίαν μὲν Ἀπόλλωνι καὶ Λητοῖ, ἑτέραν δὲ Ἡρακλεῖ καὶ Ἀρτέμιδι, τρίτην δὲ Ἑρμῇ καὶ

---

25. *Cf. Liu. V* 13: Insignis annus hieme gelida ac niuosa fuit, adeo ut uiae clausae, Tiberis innauigabilis fuerit. annona ex ante conuecta copia nihil mutauit. et quia P. Licinius, ut ceperat haud tumultuose magistratum maiore gaudio plebis quam indignatione patrum, ita etiam gessit, dulcedo inuasit proximis comitiis tribunorum militum plebeios creandi. unus M. Veturius ex patriciis candidatis locum tenuit; plebeios alios tribunos militum consulari potestate omnes fere centuriae dixere, M. Pomponium Cn. Duilium Voleronem Publilium Cn. Genucium L. Atilium.

Tristem hiemem, siue ex intemperie caeli raptim mutatione in contrarium facta, siue alia qua de causa, grauis pestilensque omnibus animalibus aestas excepit. cuius insanabili pernicie quando nec causa nec finis inueniebatur, libri Sibyllini ex senatus consulto aditi sunt. duumuiri sacris faciundis, lectisternio tunc primum in urbe Romana

Ποσειδῶνι. καὶ διετέλουν ἐφ' ἡμέρας ἑπτὰ δημοσίᾳ τε καταθύοντες καὶ ἰδίᾳ κατ' οἰκείαν δύναμιν ἅπαντες τοῖς θεοῖς ἀπαρχόμενοι, ἑστιάσεις τε λαμπροτάτας ἐπιτελοῦντες καὶ ξένων τοὺς παρεπιδημοῦντας ὑποδεχόμενοι. Πείσων δὲ ὁ τιμητικὸς ἐν ταῖς ἐνιαυσίοις ἀναγραφαῖς καὶ ταῦτ' ἔτι προστίθησιν, ὅτι λελυμένων μὲν τῶν θεραπόντων ὅσους πρότερον ἐν τοῖς δεσμοῖς εἶχον οἱ δεσπόται, πληθυούσης ὄχλου ξενικοῦ τῆς πόλεως, ἀναπεπταμένων τῶν οἰκιῶν διὰ ἡμέρας τε καὶ νυκτὸς καὶ δίχα κωλύσεως εἰσιόντων εἰς αὐτὰς τῶν βουλομένων, οὔτε χρῆμα οὐδὲν ἀπολωλεκέναι τις ᾐτιάσατο, οὔτε ἠδικῆσθαι τινὰ ὑπ' οὐδενός, καίτοι πολλὰ φέρειν εἰωθότων πλημμελῆ καὶ παράνομα τῶν ἑορταίων καιρῶν διὰ τὰς μέθας.

EX LIBRO III

305/449 **26*.** *Liu. VIIII* 44, 2 Creati consules L. Postumius Ti. Minucius. Hos consules Piso Q. Fabio et P. Decio suggerit, biennio exempto, quo Claudium Volumniumque et Cornelium cum Marcio consules factos tradidimus. memoriane fugerit in annalibus dirigendis an consulto binos consules falsos ratus transscenderit, incertum est.

304/450 **27.** *Gell. VII (VI)* 9 Quod res uidebatur memoratu digna,

---

facto, per dies octo Apollinem Latonamque et Dianam, Herculem Mercurium atque Neptunum tribus quam amplissime tum apparari poterat stratis lectis placauere. priuatim quoque id sacrum celebratum est. tota urbe patentibus ianuis promiscoque usu rerum omnium in propatulo posito notos ignotosque passim aduenas in hospitium ductos ferunt; et cum inimicis quoque benigne ac comiter sermones habitos, iurgiis ac litibus temperatum, uinctis quoque dempta in eos dies uincula; religioni deinde fuisse, quibus eam opem dei tulissent, uinciri.

26. *Cf. Mommsen chronol. p.* 120 *not.* 222.

---

12. ἑορτάδων *cod. corr. Struve.*

26, 14. l. postumius t. minutius *Par.* postumiest minutius *Med.*[1] *(om.* l) postumius & minutius *Med.*[1] *corr. Sigonius sec. fast. Capit. et Diodor.* 24, 81 16. exēto *Med.* 17. cum m̄ uiaccio *Med.* memoriaene *Med.* memoriene *Par.* memoriamne *Alschefski e cod. Gaertn.*

27. *Non habent hoc caput RP.*

quam fecisse Cn. Flauium, Anni filium, aedilem curulem, L. Piso in tertio annali scripsit, eaque res perquam pure et uenuste narrata a Pisone, locum istum totum huc ex Pisonis annali transposuimus: Cn., inquit, Flauius, patre libertino natus, scriptum faciebat, isque in eo tempore aedili curuli apparebat, quo tempore aediles subrogantur, eumque pro tribu aedilem curulem

---

27. *Vel in uerbis quibusdam conspirat cum Gellio Liuius VIIII* 46, 1—10, *a quo etiam totum caput transscriptum esse ex Pisone euincitur Plinii consensu, quem in eadem re exponenda Pisone usum esse supra (p. CCI) demonstrauimus. haec igitur Liuius (ex quo sua sumpsit Valerius Maximus II* 5, 2*)*: Eodem anno Cn. Flauius Cn. filius scriba, patre libertino humili fortuna ortus, ceterum callidus uir et facundus, aedilis curulis fuit. iuuenio in quibusdam annalibus, cum appareret aedilibus fierique se pro tribu aedilem uideret neque accipi nomen, quia scriptum faceret, tabulam posuisse et iurasse se scriptum non facturum. ⟨quem aliquanto ante desisse scriptum facere arguit Macer Licinius (*fr.* 18) tribunatu ante gesto triumuiratibusque, nocturno altero, altero coloniae deducendae.⟩ ceterum, id quod haud discrepat, contumacia aduersus contemnentes humilitatem suam nobiles certauit; ciuile ius repositum in penetralibus pontificum euulgauit fastosque circa forum in albo proposuit, ut quando lege agi posset sciretur; aedem Concordiae in area Vulcani summa inuidia nobilium dedicauit; coactusque consensu populi Cornelius Barbatus pontifex maximus uerba praeire, cum more maiorum negaret, nisi consulem aut imperatorem posse templum dedicare. itaque ex auctoritate senatus latum ad populum est, ne quis templum aramue iniussu senatus aut tribunorum plebei partis maioris dedicaret. haud memorabilem rem per se, nisi documentum sit aduersus superbiam nobilium plebeiae libertatis, referam. ad collegam aegrum uisendi causa Flauius cum uenisset, consensuque nobilium adulescentium, qui ibi adsidebant, adsurrectum ei non esset, curulem adferri sellam eo iussit, ac sede honoris sui anxios inuidia inimicos spectauit. ceterum Flauium dixerat aedilem forensis factio, Ap. Claudii censura uires nacta, qui senatum primus libertinorum filiis lectis inquinauerat et, posteaquam eam lectionem nemo ratam habuit, nec in curia adeptus erat, quas petierat opes urbanas, humilibus per omnes tribus diuisis forum et campum corrupit. tantumque Flauii comitia indignitatis habuerunt, ut plerique nobilium anulos aureos et phaleras deponerent. ex eo tempore in duas partes discessit ciuitas: aliud integer populus fautor et cultor bonorum, aliud forensis factio tenebat, donec Q. Fabius et P. Decius censores facti, et Fabius simul concordiae causa, simul ne humillimorum in manu comitia essent, omnem forensem turbam excretam in quattuor

---

1. Anni] *sic semper V.* Ancus *pater nominatur a Plinio,* Gnaeus *a Liuio. sed etiam Cicero ad Att. VI* 1, 8 Annium *eum dixit, quam cod. Medicei scripturam nunc in text. recepit Kayser.* 3. hunc *V* 4. Cn.] C. N. *V* flauus *V ante corr.* patre] pat̃ *V* 5. curili *V* 6. pro tribu] *scripturam codd. a quorundam coniecturis defendit Rubino, röm. Verfass. I p.* 25 curulem] culem V^1 *corr.* V^2

renuntiauerunt. aedilis, qui comitia habebat, negat accipere, neque sibi placere, qui scriptum faceret, eum aedilem fieri. Cn. Flauius, Anni filius, dicitur tabulas posuisse, scriptu sese abdicasse; isque aedilis curulis factus est.

Idem Cn. Flauius, Anni filius, dicitur ad collegam uenisse uisere aegrotum. eo in conclaue postquam introiuit, adulescentes ibi complures nobiles sedebant. hi contempnentes eum assurgere ei nemo uoluit. Cn. Flauius, Anni filius, id arrisit, sellam curulem iussit sibi afferri, eam in limine apposuit, ne quis illorum exire posset, utique hi omnes inuiti uiderent sese in sella curuli sedentem.

EX LIBRIS III—VII

299/455 28*. *Liu. X* 9, 12 Id ne pro certo ponerem, uetustior annalium auctor Piso effecit, qui eo anno aediles curules fuisse

tribus coniecit, urbanasque eas appellauit. adeoque eam rem acceptam gratis animis ferunt, ut Maximi cognomen, quod tot uictoriis non pepererat, hac ordinum temperatione pareret. ab eodem institutum dicitur, ut equites idibus Quinctilibus transueherentur. *Plinius XXXIII* 17—19 *haec rettulit*: Frequentior autem usus anulorum non ante Cn. Flauium Anci filium deprehenditur. hic namque publicatis diebus fastis, quos populus a paucis principum cotidie petebat, tantam gratiam plebei adeptus est — libertino patre alioqui genitus et ipse scriba Appi Caeci, cuius hortatu exceperat eos dies consultando adsidue sagaci ingenio promulgaratque — ut aedilis curulis crearetur cum Q. Anicio Praenestino, qui paucis ante annis hostis fuisset, praeteritis C. Poetelio et Domitio, quorum patres consules fuerant. additum Flauio, ut simul et tribunus plebei esset, quo facto tanta indignatio exarsit, ut anulos abiectos in antiquissimis reperiatur annalibus. fallit plerosque, quod tum et equestrem ordinem id fecisse arbitrantur. at enim adiectum hoc quoque: sed et phaleras positas, propterque nomen equitum adiectum est, anulos quoque depositos a nobilitate in annalis relatum est, non a senatu uniuerso. hoc actum P. Sempronio P. Sulpicio consulibus. Flauius uouit aedem Concordiae, si populo reconciliasset ordines. et cum ad id pecunia publice non decerneretur, ex multaticia faeneratoribus condemnatis aediculam aeream fecit in Graecostasi, quae tunc supra comitium erat, inciditque in tabella aerea factam eam aedem CCIIII annis post Capitolinam dedicatam. ita CCCCXLVIIII a condita urbe gestum est et primum anulorum uestigium exstat.

1. at aedilis *uulgo*. at ille *Roth* 2. Cn.] C. N. *V* 3. posisse scriptu *V*¹ *man. rec. XV saec. corr.*: posuisse scriptũ 4. isque] *an* itaque? 5. Cn.] C. N. *V* 6. uissere aecrocium *V*¹ *m. rec. XV s. corr.* Visu egrotu; eo] *V* et *uulgo* 6. 7. adulescens *V* 8. C. N. *V* 9. opposuit *Gronou.*

tradit Cn. Domitium Cn. f. Caluinum et Sp. Caruilium Q. f.
Maximum.
29*. *Plin. n. h. XVI* 192 Mirum apud antiquos primo Pu- 263/491
nico bello classem Duilli inperatoris ab arbore LX die nauigasse,
contra uero Hieronem regem CCXX naues effectas diebus XXXXV
tradit L. Piso.
30*. *Plin. n. h. VIII* 16 Elephantos Italia primum uidit
Pyrri regis bello et boues Lucas appellauit in Lucanis uisos anno
urbis CCCCLXXII, Roma autem in triumpho VII annis ad supe-
riorem numerum additis, eadem plurimos anno DII uictoria L. 250/504
Metelli pontificis in Sicilia de Poenis captos. CXLII fuere aut,
ut quidam, CXL trauecti ratibus, quas doliorum consertis ordi-
nibus inposuerat. — L. Piso inductos dumtaxat in circum atque,
ut contemptus eorum increscerct, ab operariis hastas praepilatas
habentibus per circum totum actos.
31*. *Plin. n. h. XV* 126 L. Piso tradit, Papirium Maso- 231/523
nem, qui primus in monte Albano triumphauit de Corsis, myrto
coronatum ludos circensis spectare solitum.
32*. *Liu. XXV* 39, 15 Ita nocte ac die bina castra ho- 212/542
stium expugnata ductu L. Marcii [*post mortem Scipionum in Hi-
spania*] —. Piso quinque milia hominum, cum Mago cedentis
nostros effuse sequeretur, caesa ex insidiis scribit. Apud omnis
magnum nomen Marcii ducis est. et uerae gloriae eius etiam
miracula addunt, flammam ei contionanti fusam e capite sine

---

28. *Vid. supra p. CLXXXXVIIII et Licin. f.* 19.
31. *cf. Valer. Max. III* 6, 5 Nam Papirius quidam Masso, cum bene re gesta publica triumphum a senatu non inpetrauisset, in Albano monte triumphandi et ipse initium fecit et ceteris postea exemplum praebuit proque laurea corona, cum alicui spectaculo interesset, myrtea usus est. *Paul. p.* 144 Myrtea corona Papirius usus est, quod Sardos in campis Myrteis superasset. *p.* 195. *Gell. V* 6, 20.
32. *cf. Acil. fr.* 4. *Valer. Ant. fr.* 23 *cum adnot.*

---

1. tradit c. l. (cl *Med.*) domitium cn̄. filum caluinum *Med. Paris.* Cn. Domitium *Pighius* L. Dom. *I. F. Gronou.*
30, 11. centum uiginti *Liu. epit. XVIIII Zonar. VIII* 14 *p.* 153 centum et quattuor *Oros. IIII* 9. ἑξήκοντα *Diodor. exc. Hoesch. p.* 506 *H.* 23 *Dind.* CXXX *Eutrop. II* 24.
32, 21. magocedentis *Putean. (quarta man. scr.* ne *sup.* occ*)* 22. effusae *Putean.* *uid. conm. Acil. fr.* 4

ipsius sensu cum magno pauore circumstantium militum, monimentumque uictoriae eius de Poenis usque ad incensum Capitolium fuisse in templo clipeum Marcium appellatum cum imagine Hasdrubalis.

33*. *Plin. XVIII* 41 C. Furius Cresimus e seruitute liberatus cum in paruo admodum agello largiores multo fructus perciperet quam ex amplissimis uicinitas, in inuidia magna erat, ceu fruges alienas perliceret ueneficiis. quam ob rem a Sp. Albino curuli *aedile* die dicta metuens damnationem, cum in suffragium tribus oporteret ire, instrumentum rusticum omne in forum attulit et adduxit familiam suam ualidam atque, ut ait Piso, bene curatam ac uestitam, ferramenta egregie facta, graues ligones, uomeres ponderosos, boues saturos. postea dixit: Veneficia mea, Quirites, haec sunt, nec possum uobis ostendere aut in forum adducere lucubrationes meas uigiliasque et sudores.
187 omnium sententiis absolutus itaque est.

567 **34*.** *Plin. XXXIIII* 14 Triclinia aerata abacosque et monopodia Cn. Manlium Asia deuicta primum inuexisse triumpho suo, quem duxit anno urbis DLXVII, L. Piso auctor est.

35*. *Plin. III* 131 Ab Aquileia ad XII lapidem deletum

---

33. *Pighius ann. II p.* 281 *Sp. Albinum aedilem curulem fuisse ponit a.* 191. 563.

34. *Vid. Liu. XXXVIIII* 6, 7 Luxuriae enim peregrinae origo ab exercitu Asiatico inuecta in urbem est. ii primum lectos aeratos, uestem stragulam pretiosam, plagulas et alia textilia et, quae tum magnificae supellectilis habebantur, monopodia et abacos Romam aduexerunt. tunc psaltriae sambucistriaeque et conuiualia ludorum oblectamenta addita epulis; epulae quoque ipsae et cura et sumptu maiore adparari coeptae. tum coquus, uilissimum antiquis mancipium et aestimatione et usu, in pretio esse et quod ministerium fuerat, ars haberi coepta. uix tamen illa quae tum conspiciebantur, semina erant futurae luxuriae.

35. *Videtur esse intellegendus consul a.* 183. 571, *qui Gallis ex Gallia*

33, 8. uenificiis *Par. E* beneficiis *cet. codd. Detl.* 9. curili *Vat. Leid. Par. G* aedile *om. codd. addidit Sillig.* 11. filiam *codd.* familiam *Harduin.* 14. benefacia *Vat. Leid.*[1] benefacta *Leid.*[2] benefacico *Par. G* 16. omnibus *Vat. Leid. Par. G.*

34, 2. Cn] consulem *Par. h* Manlium] *Bamb. Par. h* Manilium *Voss. Ricc. Par. d* inuexisse] inuenisse *Ricc.* 19. urbis anno *Voss. Par. d* DLXVII *Voss. Ricc. Parr. d h* DLXVI *Bamb.*

oppidum etiam inuito senatu a M. Claudio Marcello L. Piso auctor est.

EX LIBRO VII

36. *Censor. d. d. n.* 17, 13 Testis est Piso, in cuius annali 158/596 septimo scriptum est sic: Roma condita anno DC septimum occipit saeculum his consulibus, qui proximi sunt: consules M. Aemilius M. filius Lepidus C. Popilius II absens. 158/596

37*. *Plin. XXXIIII* 30 Lucius Piso prodidit, M. Aemilio C. Popilio iterum consulibus a censoribus P. Cornelio Scipione M. Popilio statuas circa forum eorum qui magistratum gesserant, sublatas omnis praeter eas quae populi aut senatus sententia statutae essent, eam uero quam apud aedem Telluris statuisset sibi Sp. Cassius, qui regnum adfectaverat, etiam conflatam a censoribus. 154/600

38*. *Plin. XVII* 244 Nec non et Romae in Capitolio in

---

prouincia exactis Histricum bellum suscepit et ut colonia Aquileia deduceretur senatui suasit. Liu. XXXVIIII 55, 4.

37. *Errorem Plinii hoc loco subesse puto. cf.* § 15 Romae simulacrum ex aere factum Cereri primum reperis ex peculio Sp. Cassi, quem regnum adfectantem pater ipsius interemerit. *Liu. II* 41, 10 eum *[patrem Cassii]* — peculium filii Cereri consecrauisse; signum inde factum esse et inscriptum 'ex Cassia familia datum'. (*cf. Valer. Max. V* 8, 2). *Dion. VIII* 79 *ἐξ ὧν (τῶν Κασσίου χρημάτων) ἀπαρχὰς ἐν ἄλλοις τε ἱεροῖς ἀνέθηκεν (ἡ πόλις) καὶ δὴ καὶ τῇ Δήμητρι τοὺς χαλκέους ἀνδριάντας ἐπιγραφαῖς δηλοῦντας ἀφ' ὧν εἰσι χρημάτων ἀπαρχαί.*

38. *Cf. Fest. s. u. religionis p.* 285: Religionis praecipuae habetur censo[ria maiestas, cuius in libris de uita p. R.] Varro exe[mpla haec

---

35, 1. M. *add. Leid. om. Ricc. Tolet. Par. d.*

36, 4. anno .δ. septimo *Darmst. Vat. correxit Lachmann* 5. accipit *Darmst. Vat.* occipit *Scaliger de emend. temp. V p.* 367. coepit *Mommsen chron. p.* 186 emilius *Darmst.* 6. M·F· laepidus *Vat.* M.' *in fastis Cap.*

37, 7. L. Piso prodidit. idem auctor est *Par. h* 8. C. Popilio] *Bamb. Parr. d h* CC. *Voss. Ricc.* iterum *Bamb.* II *Voss. Ricc. Parr. d h* a] ac *Voss.* 9. stuas *Bamb.* magistratum *Bamb. Voss. Ricc. Par. d* magistratus *Par. h.* gesserunt *Voss. Ricc.* 10. sententiam *Ricc.* 11. statuae *Voss. Ricc.* quam *Bamb. Par. h* qua *Voss. Ricc. Par. h* 12. comflatam *Bamb.* 12. 13. a quaestoribus *Becker antiq. II* 2 *p.* 228 *not.* 554 a *om. Voss. Ricc.*

ara Iouis bello Persei enata palma uictoriam triumphosque portendit. hac tempestatibus prostrata eodem loco ficus enata est M. Messalae C. Cassi censorum lustro, a quo tempore pudicitiam
146 subuersam Piso grauis auctor prodidit.

608 **39*.** *Censor. d. d. n.* 17, 11 At Piso Censorius et Cn. Gellius sed et Cassius Hemina, qui illo tempore uiuebat, post annum factos [*ludos saeculares*] tertium adfirmant, Cn. Cornelio Lentulo L. Mummio Achaico consulibus, id est anno DCVIII.

INCERTAE SEDIS RELLIQVIAE

40. *Cic. ad fam. VIIII* 22, 2 At vero Piso ille Frugi in annalibus suis queritur, adulescentes peni deditos esse.

41. *Varro ap. Lactant. inst. I* 6, 9 Quartam [*Sibyllam fuisse*] Cimmeriam in Italia, quam Naevius in libris belli Punici, Piso in annalibus nominat.

42. *Macrob. sat. I* 12, 18 Piso uxorem Vulcani Maiestam, non Maiam dicit uocari.

43. *Macrob. sat. III* 2, 14 Piso ait uitulam uictoriam nominari. cuius rei hoc argumentum profert, quod postridie nonas Iulias re bene gesta, cum pridie populus a Tuscis in fugam

---

profert]: — M. Val[erius Messala C. Cassius Longi]nus censores, q[uod in eorum magistratu subuersa pudici]tia fuerat famosi [exstiterunt, nam palmam, quae] in Capitolio in ara [ipsa Iouis optimi maximi bello Pers]ico nata fuerat, [tum prostratam ferunt, ibique esse ena]tam ficum infamesque [fecisse illos, qui sine] ullo pudicitiae resp[ectu fuerant censores].

39. *Cf. Cass. fr.* 39. *Gell.* 28.

41. *Naeuii fragm. bell. Pun. I* 15 *p.* 12 *Vahl.*

43. *cf. Schwegler I p.* 532 *sqq. Hoc fr. falso coniunctum est cum fr.* 1. *de diuersis enim rebus agit Piso.*

38, 1. ara Iouis] *Vat.*² *cf. Fest. l. in adn. adl.* capita bis *cet. codd. Detl.* 4. subuersa *Par. E* subuersum *cet. codd. Detl.*

39, 8. Mummo *Darmst. Vat.* c̅o̅s̅. *Darmst. Vat.* ð CIII *Darmst. Vat.*

43, 16. poso *Paris. Bamberg. post emend. (antea in Bamb. erat omiss.)*

uersus sit, unde populifugia uocantur, post uictoriam certis diebus fiat uitulátio.

44. *Seru. ad Aen. X* 76 Varro Pilumnum et Picumnum infantium deos esse ait, eisque pro puerpera lectum in atrio sterni, dum exploretur an vitalis sit qui natus est. Piso Pilumnum dictum quia pellat mala infantiae.

45. *Arnob. III* 38 Nouensiles Piso deos esse credit nouem in Sabinis apud Trebiam constitutos. hoc Granius Musas putat consensum accomodans Aelio.

---

44. *Cf. Varro ap. Non. s. u. Pilumnus p.* 528. *Seru. Aen. VIIII* 4. *Augustin. d. ciu. d. VI* 9, 2 (Pilumnum a pilo).

---

1. post tridie *Bamb.*

44. *e Thilonis libris solus exhibet Parisin.* 6. pellet *Par.* infantia *Par.*

45, 8. Trebulam *Roth.*

C. FANNII ANNALES

EX LIBRO I

1. *Priscian. XIII p.* 960 *P.* 8 *H.* G. Fannius in I annalium: Cum in uita agenda didicimus, multa, quae inpraesentiarum bona uidentur, post *mala* inuenta et multa amplius alius modi atque ante uisa essent.

EX LIBRO VIII

2. *Charis. I p.* 99 *P.* 124 *K.* G. Fannius annalium VIII: Domina eius, ubi ad uillam uenerat, iubebat biber dari.

3. *Schol. Veron. ad Verg. Aen. III* 707 *p.* 93 *K.* C. Fannius in VIII annali Drepanum modo, modo Drepana appellat.

INCERTORVM LIBRORVM RELLIQVIAE

146/608 **4.** *Plut. Tib. Gracch.* 4 Ὁ δ' οὖν νεώτερος Τιβέριος στρατευόμενος ἐν Λιβύῃ μετὰ τοῦ δευτέρου Σκηπίωνος ἔχοντος αὐτοῦ τὴν ἀδελφὴν ὁμοῦ συνδιαιτώμενος ὑπὸ σκηνὴν τῷ στρατηγῷ ταχὺ μὲν αὐτοῦ τὴν φύσιν κατέμαθε πολλὰ καὶ μεγάλα πρὸς ζῆλον ἀρετῆς καὶ μίμησιν ἐπὶ τῶν πράξεων ἐκφέρουσαν, ταχὺ δὲ τῶν νέων πάντων ἐπρώτευεν εὐταξίᾳ

---

3. *cf. Seruius ad Verg. l. s.*
4. *cf. conpar. cum Ag. et Cleom.* 3.

1, 2. multaq; in presentiarum *Bamberg.* 3. mala *inseruit Roth* pessima *Hertz* alius modi *ex* ali** modi *corr. Bamb.* 4. atque *in litura Bern.*

4, 14. ἐπρώτευον *Paris. A B*

καὶ ἀνδρίᾳ· καὶ τοῦ γε τείχους ἐπέβη τῶν πολεμίων πρῶτος, ὥς φησι Φάννιος, λέγων καὶ αὐτὸς τῷ Τιβερίῳ συνεπιβῆναι καὶ συμμετασχεῖν ἐκείνης τῆς ἀριστείας. 133

5. *Cicer. Brut.* 21, 81 Q. Metellus, is cuius quattuor filii 621 consulares fuerunt, imprimis est habitus eloquens, qui pro L. Cotta dixit accusante Africano, cuius et aliae sunt orationes et contra Ti. Gracchum exposita est in C. Fanni annalibus.

6. *Cicer. Tusc. IIII* 17, 40 Aegre tulisse P. Rupilium fratris repulsam consulatus scriptum apud Fannium est. sed tamen transisse uidetur modum, quippe qui ob eam caussam a uita recesserit.

7. *Cic. acad. prior. II* 5, 15 Socrates autem de se ipse detrahens in disputatione plus tribuebat iis, quos uolebat refellere. ita cum aliud diceret atque sentiret, libenter uti solitus est ea dissimulatione, quam Graeci εἰρωνείαν uocant. quam ait etiam in Africano fuisse Fannius, idque propterea uitiosum in illo non putandum, quod idem fuerit in Socrate.

---

5. *Fortasse eadem est oratio, ex qua sententiam quandam Plutarchus (Tib. Gracch.* 14) *inseruit. tulerat enim Tiberius Gracchus legem* ὅπως τὰ βασιλικὰ χρήματα κομισθέντα τοῖς τὴν χώραν διαλαγχάνουσι τῶν πολιτῶν ὑπάρχοι πρὸς κατασκευὴν καὶ γεωργίας ἀφορμήν. περὶ δὲ τῶν πόλεων, ὅσαι τῆς Ἀττάλου βασιλείας ἦσαν, οὐδὲν ἔφη τῇ συγκλήτῳ βουλεύεσθαι προσήκειν, ἀλλὰ τῷ δήμῳ γνώμην αὐτὸς προσθήσειν. *contra quam primus Pompeius surrexit, tum Q. Metellus* ὠνείδισε τὸν Τιβέριον, ὅτι τοῦ μὲν πατρὸς αὐτοῦ τιμητεύοντος, ὁσάκις ἀναλύοι μετὰ δεῖπνον οἴκαδε, τὰ φῶτα κατεσβέννυσαν οἱ πολῖται φοβούμενοι, μὴ πορρωτέρω τοῦ μετρίου δόξωσιν ἐν συνουσίαις εἶναι καὶ πότοις, τούτῳ δὲ παραφαίνουσι νυκτὸς οἱ θρασύτατοι καὶ ἀπορώτατοι τῶν δημοτῶν. *uid. supr. p. CCVIII.*

6. *Mortuus est P. Rupilius inter a.* 132. 622, *quo eum consulem fuisse traditum est, et* 129. 625, *quo Africanus, qui eius fratri suffragatus est, mortuus est. cf. Cic. Lael.* 20, 73: ut Scipio P. Rupilium potuit consulem efficere, fratrem eius Lucium non potuit. *Plin. VII* 122: P. Rupilius morbo leui inpeditus nuntiata fratris repulsa in consulatus petitione illico exspirauit.

7. *Cic. de orat. II* 67, 270: In hoc genere *[urbanae dissimulationis]* Fannius in annalibus suis Africanum hunc Aemilianum *multum* dicit fuisse (dicit floruisse *Bake* multum *inseruit Ellendt*) et eum Graeco uerbo (in annal. — uerbo *om. Erlang.*) appellat εἴρωνα (irona *Erlang.*)

---

2. φάνιος *Par. A B C*

6, 8. P. Rupilium *Manutius* p. rutilium *Gud. Reg.* prutulium *Bruxell.*

7, 15. ironian *Vindob. Leid. A B*

8*. *Priscian. VIII p.* 791 *P.* 380 *H.* Gaius Fannius: Haec apiscuntur.

EX BRVTI EPITOME FANNIANA

149 **9.** *Cicer. ad Att. XII* 5, 3 Et uide, quaeso, L. Libo, ille,
605 qui de Ser. Galba, Censorinone et Manilio, an T. Quinctio M'.
148 Acilio consulibus tribunus pl. fuerit. conturbabat enim me
604 [epitome Bruti Fanniana] in Bruti epitoma Fannianorum [scripsi] quod erat in extremo; idque ego secutus, hunc Fannium, qui scripsit historiam, generum esse scripseram Laelii; sed tu me γεωμετρικῶς refelleras te autem nunc Brutus et Fannius. ego tamen de bono auctore, Hortensio, sic acceperam, ut apud Brutum est. hunc igitur locum expedies.

---

sed, uti ferunt, qui melius haec norunt, Socratem opinor in hac ironia dissimulantiaque longe lepore et humanitate omnibus praestitisse. *Brut.* 87, 299: Quare εἴρωνα me, ne si Africanus quidem fuit, ut ait in historia sua C. Fannius, existimari uelim.

8. *uid. supra p. CCVI.*

9. *cf. Cicer. Brut.* 23, 89. 26, 101.

8, 1. Gannius *Bern. a pr. m.* 2. adipiscuntur *Grut. sec. m. Halberst. sec. m.*

9, 4. Censorino *Medic. edd. Rom. Ienson.* Manlio *Med. edd. Rom. Iens.* 4. 5. M' Acilio] Manlio *Med. om. edd. Rom. Iens.* 5. fuerit — scripsi quos] si erit, conturbo enim me et pito me Bruti Fanniana in Bruti epitoma Fannianorum scripsi quod *Med.* si erit (fuit si erit *Iens.*). Conturbo enim me et puto me Bruti Fanniana. in Bruti epitoma Fannianorum scripsi quod *edd. Rom. Ienson.* Conturbat enim me in Bruti epitoma Fannianorum scriptum quod *I. F. Gronouius.* Conturbabat enim me in Bruti epitome Fannianorum quod *Wesenberg* conturbat etiam me in Bruti epitoma Fannianorum scriptum quod *Orelli in adn., in contextu repraesentauit fere cod. Medicei scripturam nisi quod* in *mutauit in* an. 7. in extrema *coni. Kayser.* idque *an* eandemque? 9. ego sane de *coni. Kayser.*

VENNONII ANNALES

Dionys. IIII 15 Διεῖλε δὲ καὶ τὴν χώραν ἅπασαν (*Seruius Tullius*), ὡς μὲν Φάβιός φησιν, εἰς μοίρας ἕξ τε καὶ εἴκοσιν, ἃς καὶ αὐτὰς καλεῖ φυλάς —· ὡς δὲ Οὐεννώνιος ἱστόρηκεν, εἰς μίαν τε καὶ τριάκοντα, ὥστε σὺν ταῖς κατὰ τὴν πόλιν οὔσαις ἐκπεπληρῶσθαι τὰς ἔτι καὶ εἰς ἡμᾶς ὑπαρχούσας τριάκοντα καὶ πέντε φυλάς.

Vid. Fab. Pict. gr. an. fr. 9. *Caton. fr.* 23.

---

uid. comment. crit. ad Fab. fr. 9. 4. ὥστε — τριάκοντα καὶ πέντε *defuerunt in edit. Dion. ante Sylburgum, accesserunt ex Vrbin. Coislin. cod. Bessarionis.*

C. SEMPRONII TVDITANI ANNALES

1. *Dionys. I* 11 Οἱ δὲ λογιώτατοι τῶν Ῥωμαϊκῶν συγγραφέων, ἐν οἷς ἐστι Πόρκιός τε Κάτων, ὁ τὰς γενεαλογίας τῶν ἐν Ἰταλίᾳ πόλεων ἐπιμελέστατα συναγαγών, καὶ Γάϊος Σεμπρώνιος καὶ ἄλλοι συχνοί, Ἕλληνας αὐτοὺς [*Aborigines*] εἶναι λέγουσι τῶν ἐν Ἀχαΐᾳ ποτὲ οἰκησάντων, πολλαῖς γενεαῖς πρότερον τοῦ πολέμου τοῦ Τρωικοῦ μεταναστάντας. οὐκέτι μέντοι διορίζουσιν οὔτε φῦλον Ἑλληνικὸν οὗ μετεῖχον, οὔτε πόλιν ἐξ ἧς ἐπανέστησαν, οὔτε χρόνον οὔθ' ἡγεμόνα τῆς ἀποικίας οὔθ' ὁποίαις τύχαις χρησάμενοι τὴν μητρόπολιν ἀπέλιπον. Ἑλληνικῷ δὲ μύθῳ χρησάμενοι οὐδένα τῶν τὰ Ἑλληνικὰ γραψάντων βεβαιωτὴν παρέσχοντο.

2. *Macrob. Sat. I* 16, 32 Harum [*nundinarum*] originem quidem Romulo adsignant, quem communicato regno cum Tito Tatio sacrificiis et sodalitatibus institutis nundinas quoque adiecisse commemorant, sicut Tuditanus adfirmat.

3. *Plin. n. h. XIII* 84 Cassius Hemina, uetustissimus auctor

---

1. *Eandem sententiam repetiit Dionysius I* 13: Εἰ τῷ ὄντι Ἑλληνικὸν φῦλον ἦν τὸ τῶν Ἀβοριγίνων, ὡς Κάτωνι καὶ Σεμπρωνίῳ καὶ πολλοῖς ἄλλοις εἴρηται.

2. *His Macrobii uerbis conlatis haec Dionysii uerba (II 28) ex Tuditano sumpta esse censet Kiessling p.* 17: (Ῥωμύλος) τοὺς αὐτοὺς τόν τε πολεμικὸν καὶ τὸν γεωργικὸν ἔταξε βίον ζῆν. εἰ μὲν εἰρήνην ἄγοιεν ἐπὶ τοῖς κατ' ἀγρὸν ἔργοις ἐθίζων ἅπαντας μένειν, πλὴν εἴ ποτε δεηθεῖεν ἀγορᾶς, τότε δ' εἰς ἄστυ συνιόντας ἀγοράζειν, ἐνάτην ὁρίζων ἡμέραν ταῖς ἀγοραῖς. ὅτε δὲ πόλεμος καταλάβοι στρατεύεσθαι διδάσκων καὶ μὴ παραχωρεῖν ἑτέροις μήτε τῶν πόνων μήτε τῶν ὠφελειῶν. *cf. VII* 58. *X* 1. *Cass. fr.* 14. *Rutil. fr.* 1.

3. *uid. supr. p. CCXI. Cass. fr.* 37. *Pison.* 11. *Val. Ant. fr.* 7—10.

---

1. *uid. comment. crit. ad Cat. fr.* 5.

2, 13. quidam *uulg.* rego *Par. ante emend.* 15. tutidianus *Par.* tutidanus *corr. ut uid. ex* tutiuanus *Bamb.*

annalium, quarto eorum libro prodidit Cn. Terentium scribam agrum suum in Ianiculo repastinantem effodisse arcam, in qua Numa, qui Romae regnavit, situs fuisset. in eadem libros eius repertos P. Cornelio L. f. Cethego, M. Baebio Q. f. Tamphilo coss. — eosque combustos a Q. Petilio praetore, quia philosophiae scripta essent. hoc idem tradit Piso Censorius primo commentariorum, sed libros septem iuris pontificii totidemque Pythagoricos fuisse, Tuditanus quattuordecim Numae decretorum fuisse.

494/260 **4.** *Ascon. in Cicer. Cornel. p.* 76 *Or.* Ceterum quidam non duo tribunos plebis, ut Cicero dicit, sed quinque creatos tum [*in monte sacro*] esse, singulos ex singulis classibus. sunt tamen, qui eundem illum duorum numerum quem Cicero ponant, inter quos Tuditanus et Pomponius Atticus Liuiusque noster. idem hic et Tuditanus adiciunt, tres praeterea ab illis duobus collegas creatos esse. nomina duorum, qui primi creati sunt, haec traduntur: L. Sicinius L. f. Bellutus, L. Albinius C. f. Paterculus.

250/504 **5.** *Gell. n. Att. VII (VI)* 4, 1 Quod satis celebre est de Atilio Regulo, id nuperrime legimus in Tuditani libris: Regulum captum ad ea, quae in senatu Romae dixit suadens, ne

---

4. *cf. Liu. II* 33, 2: Ita tribuni plebei creati duo, C. Licinius et L. Albinus: ii tres collegas sibi creauerunt. in his Sicinium fuisse seditionis auctorem, de duobus qui fuerint minus conuenit. *Lyd. d. magistr. I* 44 *p.* 155 *Bk.* *ἐχειροτόνησεν ὁ δῆμος δύο δημάρχους ἑαυτῷ, Γάϊον Λικίνιον καὶ Λούκιον Ἀλβῖνον, διαιτήσοντας τῷ πλήθει καὶ τὴν ἀγορὰν ἐποψομένους.* *Pison. fr.* 23 *c. adn.*

5. *cf. Tuber. fr.* 10. *Vigilando Regulum interfectum esse etiam Cicero de off. III* 27, 100 *tradidit. mortem Carthaginiensium ad Regulum transtulit Aurelius Victor (de uir. ill.* 40*)*: Legatus de permutandis captiuis Romam missus dato iure iurando, ut, si non impetrasset, ita demum [*an* denuo?] rediret, in senatu conditionem dissuasit reiectisque a se con-

---

8. quattuordecim *scripsi cf. p. CCXI.* tertio decimo *pql. Mon.* XIIII *Ricc.* quarto decumo *Sillig.* tertio decumo *Detlefsen.*

4, 17. C. Sicinius *Sigonius* lauinius C. f. patriculum *ed. princeps* lactinius *cod. Laurent.* LIIII 27. *cf. Niebuhr h. R. I p.* 646.

5, 20. atilio *V (deficit R)* Attilio *uulg.* 21. scripsit (dixit) *V (m. pr. corr.)*

captiui cum Carthaginiensibus permutarentur, id quoque addidisse, uenenum sibi Carthaginienses dedisse, non praesentarium, sed eius modi quod mortem in diem proferret, eo consilio, ut uiueret quidem tantisper quoad fieret permutatio, post autem grassante sensim ueneno contabesceret. Eundem Regulum Tubero in historiis redisse Carthaginem nouisque exemplorum modis excruciatum a Poenis dicit. — Tuditanus autem somno diu prohibitum atque ita uita priuatum refert, idque ubi Romae cognitum est, nobilissimos Poenorum captiuos liberis Reguli a senatu deditos et ab his in armario muricibus praefixo destitutos eademque insomnia cruciatos interisse.

---

iuge et liberis Carthaginem regressus, ubi in arcam ligneam coniectus clauis introrsum adactis uigiliis ac dolore punitus est. *mortem Reguli similiter exornauit App. Sic.* 2. *Libyc.* 4. *apud Zonaram (VIII* 15 *p.* 157 *Bon. cf. Dion. fr.* 43, 28.*) Tuberonis et Tuditani narrationem contaminatas habemus:* ἡ γερουσία δὲ τῆς ἐκείνου σωτηρίας ἕνεκεν καὶ τὴν εἰρήνην ποιήσασθαι καὶ τοὺς αἰχμαλώτους ἀντιδοῦναι προτεθύμητο. γνοὺς οὖν τοῦτο αὐτὸς, ἵνα μὴ τὸ συμφέρον δι᾽ αὐτὸν καταπρόωνται, ἐπλάσατο πεπωκέναι φάρμακον δηλητήριον καὶ μέλλειν πάντως δι᾽ αὐτοῦ ἀπολέσθαι. καὶ οὔτε ἡ σύμβασις γέγονεν οὔτε τῶν αἰχμαλώτων ἡ ἀμοιβή. ἀπιόντος δ᾽ αὐτοῦ σὺν τοῖς πρέσβεσιν ἀντελάβοντο ἄλλοι τε καὶ οἱ παῖδες καὶ ἡ γυνή. οἱ δ᾽ ὕπατοι μήτ᾽ ἐθέλοντα καταμεῖναι αὐτὸν ἐκδώσειν ἔφασαν μήτ᾽ ἀπιόντα κατασχεῖν. καὶ οὕτω προτιμήσας μὴ παραβῆναι τοὺς ὅρκους ἀνεκομίσθη. καὶ αἰκισθεὶς ὑπ᾽ αὐτῶν, ὡς ἡ φήμη λέγει, ἀπέθανε. τὰ γὰρ βλέφαρα αὐτοῦ περιτεμόντες καὶ χρόνον τινὰ ἐν σκότει καθείρξαντες, εἶτα εἴς σκεῦός τι σύμπηκτον κέντρα πανταχόθεν ἔχον ἐμβαλόντες αὐτὸν καὶ τρέψαντες πρὸς τὸν ἥλιον, οὕτως ὑπὸ κακοπαθείας καὶ ἀγρυπνίας μὴ δυνάμενόν πη κλιθῆναι διὰ τὰ κέντρα διέφθειραν. ἃ πυθόμενοι οἱ Ῥωμαῖοι τοὺς πρώτους τῶν παρ᾽ αὐτοῖς αἰχμαλώτων παρέδοσαν τοῖς ἐκείνου παισὶ καὶ ἀντιαικίσασθαι καὶ ἀνταποκτεῖναι. *Etiam Liuius ut crudelitatem augeret, supplicia quae de Regulo sumpta esse Tubero et Tuditanus rettulerant, coniunxisse uidetur. uid. Oros. IIII* 10: Post haec fessi tot malis Carthaginienses petendam esse a Romanis pacem decreuerunt. ad quam rem Atilium Regulum, antea ducem Romanum, quem iam per quinque annos captiuum detinebant, inter ceteros legatos praecipue mittendum putauerunt. quem non impetrata pace ab Italia reuersum resectis palpebris illigatum in machina necauerunt. *Val. Max. VIIII* 2 *ext.* 1: Karthaginienses Atilium Regulum palpebris resectis machinae, in qua undique praeacuti stimuli eminebant, inclusum uigilantia pariter et continuo tractu doloris necauerunt. *Pluribus supplicium crudelissimum de Bodostore et Hamilcare, Carthaginiensibus nobilibus, (fortasse Philinum secutus) exposuit Diodorus exc. Val. lib. XXIIII p.* 566 *(uol. II* 2 *p.* 100 *Dind.).*

---

1. cartag. *V* 2. cartag. *V* 4. tantis. p *V* tantis p quo adfieret *P* pmutacio *P* 5. ueneni *P* cor tabesceret *V* 10. municibus *V (R et P haec non habent)* praefixos *V* 11. insompnia *V*

194

6. *Plutarch. Tit. Flam.* 14 Τό τε τῶν χρημάτων πλῆθος οὐκ ὀλίγον ἦν, ὡς ἀναγράφουσιν οἱ περὶ Τουδιτανὸν ἐν τῷ θριάμβῳ [*T. Quinctii Flaminini post Philippum uictum*] κομισθῆναι χρυσίου μὲν συγκεχωνευμένου λίτρας τρισχιλίας ἑπτακοσίας δεκατρεῖς, ἀργυρίου δὲ τετρακισμυρίας τρισχιλίας διακοσίας ἑβδομήκοντα, φιλιππείους δὲ χρυσοῦς μυρίους τετρακισχιλίους πεντακοσίους δεκατέσσαρας, χωρὶς δὲ τούτων τὰ χίλια τάλαντα Φίλιππος ὤφειλεν. 560

EX MAGISTRATVVM LIBRIS

EX LIBRO III

7. *Macrob. sat. I* 13, 21 Quando autem primum intercalatum sit, uarie refertur. — Tuditanus refert libro tertio magistratuum, decem uiros, qui decem tabulis duas addiderunt, de intercalando populum rogasse.

---

6. *Vid. Liu. XXXIIII* 52, 2: Postquam Romam ventum est, senatus extra urbem Quinctio ad res gestas edisserendas datus est, triumphusque meritus ab lubentibus decretus. triduum triumphauit. die primo arma tela signaque aerea et marmorea transtulit, plura Philippo adempta quam quae ex ciuitatibus ceperat; secundo aurum argentumque factum infectumque et signatum. infecti argenti fuit decem et octo milia pondo et ducenta septuaginta facti; uasa multa omnis generis, caelata pleraque, quaedam eximiae artis, et ex aere multa fabrefacta. ad hoc clupea argentea decem. signati argenti octoginta quattuor milia fuere Atticorum (tetrachma uocant, trium uere denariorum in singulis argenti est pondus). auri pondo fuit tria milia septingenta decem quattuor, et clipeum unum ex auro totum, et Philippei nummi aurei quattuordecim milia quingenti quattuordecim. tertio die coronae aureae, dona ciuitatium, tralatae centum quattuordecim; et hostiae ductae, et ante currum multi nobiles captiui obsidesque, inter quos Demetrius regis Philippi filius fuit et Armenes Nabidis tyranni filius, Lacedaemonius. ipse deinde Quinctius in urbem est inuectus. secuti currum milites frequentes ut exercitu omni ex prouincia deportato. his duceni quinquageni aeris in pedites diuisi, duplex centurioni, triplex equiti. praebuerunt speciem triumpho capitibus rasis secuti, qui seruitute exempti fuerant.

7. *cf. Cass. fr.* 18 *Licin.* 4 *Antiat.* 5.

6, 2. *Τουδιτανὸν anonymus τὸν ἰτανὸν libri Sintenisi praeter codd. Monac. Vindob., qui τουιτανὸν, uid. supra p. CCXII* 3. 4. *κοσμηθῆναι Par. P* 5. *τρισχιλίας om. Par. P.* 8. *ἃ quod uulg. inserit post τάλαντα, om. Monac. Vindob.*

7, 10. tutidianus *Par.* tutid^{i}anus *Bamb.*

EX LIBRO XIII

8. *Ex libro M. Messallae auguris de auspiciis primo ap. Gell. n. A. XIII* 15, 4 Praetor etsi conlega consulis est, neque praetorem neque consulem iure rogare potest, ut quidem nos a superioribus accepimus aut ante haec tempora seruatum est et ut in commentario tertio decimo C. Tuditani patet, quia imperium minus praetor, maius habet consul, et a minore imperio maius aut † maiore conlega rogari iure non potest.

---

8. *cf. Cic. ad Att. VIIII* 9, 3. Nos autem in libris habemus non modo consules a praetore sed ne praetores quidem creari ius esse, idque factum esse nunquam; consules, eo non esse ius, quod maius imperium a minore rogari non sit ius; praetores autem, cum ita rogentur, ut collegae consulibus sint, quorum est maius imperium.

8, 2. collega *m* 3. consulem interrogare potest Vt *p*
u
4. asperioribus *φ* 5. comentario *L* pat̃ (pater) *p g unus ς* 7. a maiore collega *paene omnes libri melioris notae* aut maiorẽ collega *L* aut a maiore collega *unus ς* conlega *m* aut a minore collega maior rogari *Pighius* rogari] *R L* rogare *φ p m*.

L. COELII ANTIPATRI

BELLI PVNICI ALTERIVS HISTORIAE AD C. LAELIVM

EX LIB. I

1. *Cicer. orat.* 69, 229 Sed magnam exercitationem res flagitat, ne quid eorum, qui genus hoc secuti non tenuerunt, simile faciamus, ne aut uerba traiciamus aperte, quo melius aut cadat aut uoluatur oratio; quod se L. Caelius Antipater in prooemio belli Punici nisi necessario facturum negat. O uirum simplicem, qui nos nihil celet, sapientem, qui seruiendum necessitati putet! sed hic omnino rudis; nobis autem in scribendo atque in dicendo necessitatis excusatio non probatur. nihil est enim necesse et, si quid esset, id necesse tamen non erat confiteri. et hic quidem, qui hanc a Laelio, ad quem scripsit, cui se purgat, ueniam petit, et utitur ea traiectione uerborum et nihilo tamen aptius explet concluditque sententias.

2*. *Priscian. VIII p.* 792 *p.* 383 *H.* Coelius: ex scriptis eorum qui ueri arbitrantur.

3. *Priscian. XIII p.* 960 *P. II p.* 8 *H.* Caelius in I: Neque ipsi eos alii modi esse atque Amilcar dixit, ostendere possunt aliter.

---

2. *prooemio adtribui cum Nauta et Rothio.*
3. *Temere Nauta p.* 22 *pro* Hannibal: Bomilcar *proponens ad Syracusarum obsidionem refert* (*Liu. XXV* 27). *forsitan pertineat ad bellum Punicum primum extremum.*

1, 10. Laelio] *cf. supra p. CCXVI.* scribit *Eins. sed in marg.* scripsit
2, 13. Coelius *Bamb. Bern. Halb. Sangall. Grut. Karol.* caelius *rell. libri* 14. qui] q̃ *Sangall. Grut.* ueri] uereris *Bamb.*
3, 15. coelius in prima *Bamb.* 16. hamcilar *Bern. Halberst.*

4. *Priscian. XIII p.* 960 *P.* 8 *H.* Caelius in I: Antequam Barcha perierat, alii rei causa in Africam missus.

5*. *Non. s. u. bellosus p.* 80 Coelius: Tantum bellum suscitare conari aduersarios contra bellosum genus.

6. *Priscian. X p.* 886 *P.* 510 *H.* Caelius in I: Qui cum is ita foedus icistis.

7. *Non. s. u. poteratur p.* 508 Caelius annali lib. I: Cum iure sine periculo bellum geri poteratur.

8. *Priscian. VIII p.* 801 *P.* 399 *H.* Caelius in I: Qui intellegunt quae fiant, dissentiuntur.

9. *Non. s. u. dedicare p.* 280 Caelius in annalium libro primo: Legati quo missi sunt ueniunt, dedicant mandata.

---

4. *Hannibalem missum esse conl. Liu. XXI* 3, 2 *(qui de hac re ipse secum pugnat. cf. C. Peter Liv. u. Polyb. p.* 9*) censent. Lachmann de font. Liu. II p.* 34, *Nauta p.* 21, *Weissenborn ad Liu. l. s., Hasdrubalem Roth. cum hoc facit Diodorus in exc. Hoesch. p.* 30 *D.*: *Ἀσδρούβας δὲ ὁ γαμβρὸς Ἀμίλκου, πεμφθεὶς παρὰ τοῦ κηδεστοῦ εἰς Καρχηδόνα εἰς πόλεμον τῶν Νομάδων τῶν ἐπαναστάντων Καρχηδονίοις κατέκοψεν ὀκτακισχιλίους, ζωγρίας δὲ ἔλαβεν δισχιλίους, οἱ δὲ λοιποὶ ἐδουλώθησαν φόρους τελέσοντες.*

5—10 *facile locum habere poterant in earum rerum narratione, quae inter Romanos Carthaginiensesque ante bellum Hannibalicum actae sunt. ad fr.* 5 *Nauta p.* 22 *conparauit Hannonis orationem apud Liuium XXI* 10, *qua senatum Carthaginiensem obtestatur, ne Romanum cum Saguntino suscitent bellum. in eadem oratione etiam uerba fr.* 6 *dicere poterat. minus probabiliter Nauta p.* 24 *et Meltzer p.* 17 *fr.* 9 *ad ipsam quartam legationem*

4, 1. celius *Par. R* coelius *Bamb.* in I *om. Sangall.* Africam] africa *Par. R (pr. m. corr. sec. m.)* africam *(suprscr.* f *s.* af) *Halberst.* affricam *Karolir.* misus *Grut. Karol.*

5, 3. Coelius *V* caelius *L* cecilius *W*

6, 5. coelius *Bamb.* 6. is] *sic ex corr., ut uid., Par. R* his *Bamb. Sangall. Gruter. Karolir. Bern. sec. m.* is ita] ista *Heidelb.* icitis *Halberst. Sangall. Grut. Karolir.*

7, 7. cecilius *V* celius *W* ceci *F*

8, 9. Caelius *Putschius* Celius *Erl. sec. Krehlii* caecilius *Par. R Bern. Halberst. pr. m. Sangall. Grut. Karolir.* cecilius *Bamb. Halb. sec. m.* 9. 10. qui intellegunt *bis scriptum Halberst. m. pr. corr. sec. m.* qui intelliguunt *Grut.* 10. quae fiant] *Bamb.* qui fiant *Halb. Sang. Grut. Karol.* qui faciunt *Bern. (pr. m.* uel quae *suprscr. sec. m.)* quid faciant *in litura et ad marg. Par. R sec. m., nonnulli codd. Krehlii* quid faciunt *Heidelb. Erl.* 2 *Krehlii* disentiuntur *Par. R (pr. m. corr. s. m.) Sang. Grut. Karol.*

9, 11. caecilius *LW* cecili *F*

10. *Charis. I p.* 115 *P.* 143 *K.* 'Saguntinorum' Coelius, Saguntium Sallustius, ut Paulus in Coelii historia libro I notat. 218

11*. *Cicer. de diuin. I* 24, 49 Hoc item in Sileni, quem 536 Coelius sequitur, Graeca historia est; is autem diligentissime res Hannibalis persecutus est: Hannibalem, cum cepisset Saguntum, uisum esse in somnis a Ioue in deorum concilium uocari. — quo cum uenisset, Iouem imperauisse, ut Italiae bellum inferret, ducemque ei unum e concilio datum, quo illum utentem cum exercitu progredi coepisse. tum ei ducem illum praecepisse, ne respiceret, illum autem id diutius facere non potuisse elatumque cupiditate respexisse: tum uisam beluam uastam et immanem, circumplicatam serpentibus, quacunque incederet, omnia arbusta, uirgulta, tecta peruertere. et eum admiratum quaesisse de deo, quodnam illud esset tale monstrum: et deum respondisse, uastitatem esse Italiae, praecepisseque ut pergeret protinus. quid retro atque a tergo fieret, ne laboraret.

Romanorum rettulerunt, qua Carthaginiensibus bellum indictum est. Liu. XXI 18.

11. *cf. Liu. XXI* 22, 5: Ab Gadibus Carthaginem ad hiberna exercitus redit. atque inde profectus praeter maritumam oram Etouissam urbem ad Hiberum ducit. ibi fama est in quiete uisum ab eo iuuenem diuina specie, qui se ab Ioue diceret ducem in Italiam Hannibali missum: proinde sequeretur neque usquam a se deflecteret oculos. pauidum primo nusquam circumspicientem aut respicientem secutum, deinde cura ingenii humani, cum, quidnam id esset quod respicere uetitus esset, agitaret animo, temperare oculis nequiuisse eum, uidisse post sese serpentem mira magnitudine cum ingenti arborum ac uirgultorum strage ferri ac post insequi cum fragore caeli nimbum. tum, quae moles ea quidue prodigii esset, quaerentem audisse, uastitatem Italiae esse: pergeret porro ire nec ultra inquireret sineretque fata in occulto esse. *(ex eo Valer. Max. I ext.* 1. *Sil. Ital. III* 168—214.*) Zonar. VIII* 22 p. 181 τῷ δ' Ἀννίβᾳ θηρία πολλὰ καὶ

10, 2. hist. lib' I *Neapol.*

11, 3. item *Lambinus* idem *codd. Christi sed Voss. A pr. m. Leid. H* isdem quam *Voss. A* 4. Caelius *Voss. B Leid. H* graeci *Vindob.* his *Voss. B* 5. Annibalis *Voss. A pr. m. Leid. H* Annibalem *Voss. A* 6. concilio *Leid. H* 7. inferet *Voss. B* 8. e] in *Leid. H* 9. caepisse cum *Leid. H* 10. respiceret *Voss. A in ras.* autem *Voss. s lin.* id *om. Leid. H* 13. tesca *Orelli* 14. de deo *corr. ex* deeo *Voss. B* 15. praecepisseque *cod. Salisburg.* praecepissetque *codd. Christi* protenus *exc. Pith.* 16. a *sup. lin. Voss. B*

218/536 **12.** *Charis. II p.* 183 *P.* 203 *K.* Coelius historiarum I: Sempronius Lilybaco celocem in Africam mittit, uisere locum, ubi exercitum exponat.

13*. *Plin. n. h. III* 132 Alpis in longitudinem deciens centena milia passuum patere a supero mari ad inferum Caelius tradit.

14*. *Liu. XXI* 38, 7 Taurini Galliae proxima gens erat in Italiam degresso. id cum inter omnes constet, eo magis miror ambigi, quanam Alpis transierit et uulgo credere Poenino (atque inde nomen ei iugo Alpium inditum) transgressum [*Hannibalem*], Coelium per Cremonis iugum dicere transisse.

218/536 **15.** *Charis. II p.* 182 *P.* 203 *K.* Coelius historiarum I: Duodeciens C milia passuum longe.

ἄγνωστα τὸν Ἴβηρα διαβαίνοντι προκαθηγήσατο, καὶ ὄψις ὀνείρου ἐφάνη. ἔδοξε γάρ ποτε τοὺς θεοὺς ἐν ἐκκλησίᾳ καθημένους μεταπέμψασθαί τε αὐτὸν καὶ στρατεῦσαι ὅτι τάχιστα εἰς τὴν Ἰταλίαν προστάξαι, καὶ λαβεῖν παρ' αὐτῶν τῆς ὁδοῦ ἡγεμόνα καὶ ἀμεταστρεπτὶ ὑπ' αὐτοῦ κελευσθῆναι ἕπεσθαι· μεταστραφῆναι δὲ καὶ ἰδεῖν χειμῶνα μέγαν χωροῦντα καὶ δράκοντα αὐτῷ ἐπακολουθοῦντα ἀμήχανον, καὶ θαυμάσαι ἐρέσθαι τε τὸν ἀγωγὸν τί ταῦτα εἶεν καὶ τὸν εἰπεῖν 'ὦ Ἀννίβα, ταῦτα συμπορθήσοντά σοι τὴν Ἰταλίαν ἔρχεται'. ipso Sileno Cassium Dionem usum esse censet Bujack de Sileno p. 5 sq. eandem famam etiam Polybius III 47 significauit, ita tamen ut prorsus respueret.

12. *cf. Liu. XXI* 17, 6 Cum his terrestribus maritimisque copiis Ti. Sempronius missus in Siciliam, ita in Africam transmissurus, si ad arcendum Italia Poenum consul alter satis esset. *Polyb. III* 41, 2 *οἱ δὲ στρατηγοὶ τῶν Ῥωμαίων ἑτοιμασάμενοι τὰ πρὸς τὰς ἰδίας ἐπιβολὰς ἐξέπλεον ὑπὸ τὴν ὡραίαν ἐπὶ τὰς προκειμένας πράξεις — Τιβέριος Σεμπρώνιος εἰς Λιβύην ἑκατὸν ἑξήκοντα σκάφεσι πεντηρικοῖς. οἷς οὕτω καταπληκτικῶς ἐπεβάλετο πολεμεῖν καὶ τοιαύτας ἐποιεῖτο παρασκευὰς ἐν τῷ Λιλυβαίῳ, πάντας καὶ πανταχόθεν ἀθροίζων, ὡς εὐθέως ἐκ κατάπλου πολιορκήσων αὐτὴν τὴν Καρχηδόνα.*

15. *Hic fere fuit milium passuum numerus itineris, quod confecit Hannibal a Carthagine noua usque ad Padi campos. cf. Polyb. III 39, qui adcurate singula itineris spatia, ex quibus unum librariorum culpa intercidit*

12, 1. hist. I *Neap.*

13, 5. mari *Ricc. Par. d* nam *Leid.* Coelius *Ricc. Leid.*

14, 7. *codd. scripturam uid. in comm. ad Cinc. fr. 7. supra secutus sum Weissenborni editionem.* Taurini Semigalli prox. *Maduig* 8. digresso *Colbert. Med.* degresso *Sigonius* 9. poennino *Colbert.* 10. ei] et *libri corr. Gronou.* 11. collium *Colbert. Med. lib. rec.* dicer& transisss& *Med.* diceret transsisse *Colbert. lib. rec. aliq., emend. in libr. quib. rec.*

15, 12. hist. I duodeciens. C. mil. *Neap.*

16. *(Macrobii) Excerpt. Bob. de uerbo ap. Eichenf. et Endl. in anal. p.* 173, *V p.* 651 *K.* Coelius in primo: 'Illis facilius est bellum tractare', hoc est diu trahere.

17*. *Liu. XXI* 46, 10 Seruati consulis [*P. Scipionis in proelio Ticinensi*] decus Coelius ad seruum natione Ligurem delegat: malim equidem de filio uerum esse, quod et plures tradidere auctores et fama optinuit. 218/536

18*. *Liu. XXI* 47, 4 Coelius auctor est Magonem [*post proelium Ticinense*] cum equitatu et Hispanis peditibus flumen extemplo transnasse; ipsum Hannibalem per superiora Padi uada exercitum traduxisse elephantis in ordinem ad sustinendum impetum fluminis oppositis. 218/536

19*. *Cic. d. deor. nat. II* 3, 8 C. Flaminium Coelius religione neglecta cecidisse apud Trasumenum scribit cum magno rei publicae uulnere. 217/537

20*. *Cicer. de diu. I* 35, 77 Quid? Bello Punico secundo nonne C. Flaminius consul iterum neglexit signa rerum futura- 217/537

(cf. Bekkeri adnot. a. h. l.), indicauit et sic conclusit: ὥστ᾽ εἶναι τοὺς πάντας ἐκ Καινῆς πόλεως σταδίους περὶ ἐνακισχιλίους οὓς ἔδει διελθεῖν αὐτόν.

16. *Fortasse ex oratione Hannibalis ante proelium Ticinense habita. cf. Liu. XXI* 44, 8 Illis timidis et ignauis licet esse, quod sua terra, suus ager per tuta ac pacata itinera fugientes accipient: uobis necesse est fortibus uiris esse *et q. s.*

17. *cf. Macrob. sat. I* 11, 26 Ipsum P. Scipionem, Africani patrem, postquam cum Hannibale conflixerat, saucium in equum seruus imposuit et ceteris deserentibus solus in castra perduxit.

18. *Hanc famam secutus est Zonaras VIII* 24 *p.* 184 Ἀννίβας δὲ μεθ᾽ ἡμέραν τὴν ἀποχώρησιν αὐτοῦ μαθὼν πρὸς τὸν Ἠριδανὸν ἦλθε καὶ μήτε σχεδίας ἢ πλοῖα λαβὼν (ἐνεπέπρηστο γὰρ παρὰ τοῦ Σκιπίωνος), τὸν μὲν ἀδελφὸν Μαγῶνα σὺν τοῖς ἱππεῦσι διανήξασθαι καὶ ἐπιδιῶξαι τοὺς Ῥωμαίους ἐκέλευσεν, αὐτὸς δὲ ἄνω πρὸς τὰς πηγὰς χωρήσας τοῦ ποταμοῦ τοὺς ἐλέφαντας κατὰ τὸν ἐπίῤῥουν διαβῆναι προσέταξε· καὶ οὕτω τοῦ ὕδατος περὶ τοῖς ὄγκοις τῶν ζῴων ἐμποδιζομένου καὶ σκεδαννυμένου ῥᾷον κάτω σφῶν διεπεραιώθη. *cf. C. Peter Liv. et Polyb. p.* 23.

19. 20. *Eandem famam Coelianam secutus Liuius quaedam narrationi Polybianae inspersit. haec enim ille XXII* 3, 11 *(qui usque ad* § 11 *Polybium uerterat et cap.* 4 *ad eundem redit)*: haec simul increpans cum

---

17, 7. auctores sed f. *Put.*
18, 10. tramnasse *Putean. suprscr. a m. s.* s *s.* m. annibalem *Putean.*
19, 14. transumen *Leid. A B C* transsumẽ *Erlang.*
20, 17. G. *codd. Christi*

rum magna cum clade rei publicae? qui exercitu lustrato cum Arretium uersus signa mouisset et contra Hannibalem legiones duceret, et ipse et equus eius ante signum Iouis Statoris sine causa repente concidit, nec eam rem habuit religioni, obiecto signo, ut peritis uidebatur, ne committeret proelium. Idem cum tripudio auspicaretur, pullarius diem proelii committendi differebat. tum Flaminius ex eo quaesiuit, si ne postea quidem pulli pascerentur, quid faciendum censeret. cum ille quiescendum respondisset, Flaminius: 'Praeclara uero auspicia, si esurientibus pullis res geri poterit, saturis nihil geretur.' Itaque signa conuelli et se sequi iussit. quo tempore cum signifer primi astati signum non posset mouere loco, nec quicquam proficeretur, plures cum accederent, Flaminius re nuntiata suo more neglexit. itaque tribus iis horis concisus exercitus atque ipse interfectus est. Magnum illud etiam quod addidit Coelius, eo tempore ipso, cum hoc calamitosum proelium fieret, tantos terrae motus in Liguribus, Gallia compluribusque insulis totaque in Italia factos esse, ut multa oppida conruerint, multis locis labes

---

ocius signa conuelli iuberet et ipse in equum insiluisset, equus repente conruit consulemque lapsum super caput effudit. territis omnibus qui circa erant uelut foedo omine incipiendae rei insuper nuntiatur, signum omni ui moliente signifero conuelli nequire. conuersus ad nuntium 'num litteras quoque' inquit 'ab senatu adfers, quae me rem gerere uetant? abi, nuntia, effodiant signum, si ad conuellendum manus prae metu obtorpuerit'. incedere inde agmen coepit primoribus, superquam quod dissenserant ab consilio, territis etiam duplici prodigio, milite in uulgus laeto ferocia ducis, cum spem magis ipsam quam causam spei intueretur. *ex Liuio sua habent Plut. Fab.* 3 *et Valer. Max. I* 6, 6. *Tum Liuius haec addit c.* 5, 8 Tantusque fuit ardor animorum, adeo intentus pugnae animus, ut eum motum terrae, qui multarum urbium Italiae magnas partes prostrauit auertitque cursu rapidos amnis, mare flumi-

---

2. aretium *Voss. B* arreuum *Leid. H* Annibalem *Voss. B* 3. stutoris saue causa *Leid. H* 5. idem] id est *Leid. H* 6. commitendi *Voss. A* 8. censerct *Salisb.* censerent *Voss. A B Vindob.* censeret — quiescendum *om. Leid. H* 9. respondissent *Voss. A pr. m.* respondisse *Leid. H* uero] nunc *Leid. H* 10. potuit *Leid. H* 11. couelli *Leid. H* cum *om. Leid. H* 12. astati *Voss. A Leid. H Vindob.* hastati *Leid. B* ne *Leid. H* 14. tribus iis horis *ed. Iuntina* tr. his h. *Voss. A B Vind.* tribus horis *Leid. H* 16. proelium *om. Voss. A Leid. H Vindob.* 17. in solis *Vindob. pr. m.* 18. corruerunt *Leid. H* laues *Voss. A Vindob.*[1]

factae sint, terraeque desiderint fluminaque in contrarias partes fluxerint atque in amnes mare influxerit. 217

21*. *Liu. XXII* 31, 8 Omnium prope annales Fabium 537 dictatorem aduersus Hannibalem rem gessisse tradunt. Coelius etiam eum primum a populo creatum dictatorem scribit.

22. *Priscian. III* p. 607 *P.* 98 *H.* Caelius in primo historiarum: Dextimos in dextris scuta iubet habere.

---

nibus inuexit, montes lapsu ingenti proruit, nemo pugnantium senserit. tris ferme horas pugnatum est. *(ex eo Plut. Fab.* 3. *Oros. IIII* 16. *Sil. Ital. V* 611. *Flor. II* 6, 11, *fortasse Plin. II* 200, *nam uterque et Liuius et Caelius in indice nominatus est.) cf. supra p. CCXXVI sq. et Zonar. VIII* 25 *p.* 189 *(qui etiam adcuratius consentit cum Cicerone quam Liuius)*: *τοσοῦτος δ᾽ ἐγένετο θόρυβος, καὶ τοιαύτη ταραχώδης ἔκπληξις κατέσχεν αὐτούς, ὡς μηδὲ τῶν σεισμῶν τῶν τότε γενομένων αἰσθέσθαι, καίπερ πολλὰ μὲν οἰκοδομήματα κατεῤῥάγη, πολλὰ δὲ καὶ τῶν ὀρῶν τὰ μὲν διέσχε, τὰ δὲ καὶ συνέπεσεν, ὡς καὶ τὰς φάραγγας ἐμφράξαι, καὶ ποταμοὶ δὲ τῆς ἀρχαίας ἐξόδου ἀποκλεισθέντες ἄλλην ἐτράποντο. τοιοῦτοι μὲν σεισμοὶ τὴν Τυρσηνίδα κατέσχον, οὐ μέντοι καὶ οἱ μαχόμενοι ἐν ἐννοίᾳ σφῶν ἐγένοντο.*

21. *Antea hanc Coelii famam sine dubitatione amplexus erat Liuius. cf. XXII* 8, 5 Itaque ad remedium iam diu neque desideratum nec adhibitum, dictatorem dicendum, ciuitas confugit. et quia et consul aberat, a quo uno dici posse uidebatur, nec per occupatam armis Punicis Italiam facile erat aut nuntium aut litteras mitti, nec dictatorem praetor [*sic Weissenborn.* populo *Putean.*[1] populus *Put.*[2] populo *non consulto senatus* creare *Maduig emend. Liu. p.* 233 nec dictatorem — poterat *eicit Mommsen C. I. L. I p.* 288 *not.*] creare poterat, quod numquam ante eam diem factum erat, dictatorem *[sic enim libri exhibent]* populus creauit Q. Fabium Maximum et magistrum equitum M. Minucium Rufum. *Zonar. VIII* 26 *p.* 190.

22. *uid. Liu. XXII* 50, 4 Binis in castris *[ad Aufidum a Romanis positis post cladem Cannensem]* cum multitudo semiermis sine ducibus esset, nuntium qui in maioribus erant mittunt, dum proelio, deinde ex laetitia epulis fatigatos quies nocturna hostes premeret, ut ad se transirent: uno agmine Canusium abituros esse. eam sententiam alii totam aspernari: cur enim illos, qui se arcessant, ipsos non uenire, cum aeque coniungi possent? quia uidelicet plena hostium omnia in medio essent, et aliorum quam sua corpora tanto periculo mallent obicere. aliis non tam sententia displicere quam animus deesse. *Tum P. Sempronius Tuditanus, tribunus militum, hortatur milites, ut se sequantur.* haec ubi dicta dedit, stringit gladium cuneoque facto per medios uadit hostis. et cum in latus dextrum, quod patebat, Numidae iacularentur, translatis in dextrum scutis in maiora castra ad sexcenti euaserunt; atque inde

---

1. desiderint *Voss. A* desederint *Voss. B Leid. H Vindob.* 2. fluxerunt *Leid. H* atque — influxerint *om. Leid. H* atque innes *Voss. A pr. m. Vindob. pr. m.* atque amnes *Vind. s. m.* atque annes *Voss. A s. m.*

21, 5. primum *add. Put. Colbert. Med. om. lib. aliq. rec.*

22, 7. dextimos in *om. Karolir. pr. m. add. sec. m.*

23. *Non. s. u. singulatim p.* 176 Coelius annali lib. I: Primum malo publico gratias singulatim nomina.

24. *Charis. II p.* 193 *P.* 217 *K.* Coelius historiarum I: 'Commodum est, satis uidetur'. Nec enim pro sufficienti inquit Paulus, accipi debet, sed pro pari et aequo.

EX LIB. II

216/538 **25.** *Gell. X* 24, 6 Suppetit etiam Caelianum illud ex libro historiarum secundo: Si uis mihi equitatum dare et ipse cum cetero exercitu me sequi, diequinti Romae in Capitolium curabo tibi cena sit cocta.

26*. *Prisc. VI p.* 678 *P.* 198 *H.* Caelius: Nullae nationi

---

protinus alio magno agmine adiuncto Canusium incolumes perueniunt. haec apud uictos magis impetu animorum, quod ingenium suum cuique aut fors dabat, quam ex consilio ipsorum aut imperio cuiusquam agebantur. *cf. supra p. CCXXVIII sq.*

23. *An de eis gratiis sermo est, quae post cladem Cannensem a ciuitate consuli redeunti actae sunt, quod de re p. non desperasset (Liu. XXII* 61, 14)?

25. *Adnexuit haec Gellius*: Et historiam autem et uerbum hoc sumpsit Coelius ex origine M. Catonis *(fr.* 86*). Eadem apud Macrobium (sat. I* 4, 26*) ex Gellio exscripta habes. cf. adn. ad Cat. fr.* 86 *et p. CCXX.*

26. *Recte etiam Meltzer p.* 35 *haec ad Magonis Hamilcaris filium orationem rettulit, qui post pugnam Cannensem in Africam missus* cum ei senatus datus esset, res gestas in Italia a fratre exponit: cum sex imperatoribus

---

23, 1. coecilius *W*¹ annili *W*¹

24, 3. coeli: hist. I *Neap.* 4. est] esse *Fabricius* suffienti *Neap. em. ed. pr.*

Ἐν δὲ Σιλβίῳ φησὶν οἰκέτην Ποντίου θεοφόρητον ἐντυχεῖν αὐτῷ λέγοντα παρὰ τῆς Ἐνυοῦς κράτος πολέμου καὶ νίκην ἀπαγγέλλειν. εἰ δὲ μὴ σπεύσειεν, ἐμπεπρήσεσθαι τὸ Καπιτώλιον. ὃ καὶ συμβῆναι τῆς ἡμέρας ἐκείνης, ἧς ὁ ἄνθρωπος προηγόρευσεν. ἦν δὲ αὕτη πρὸ μιᾶς νωνῶν Κυντιλίων, ἃς νῦν Ἰουλίας καλοῦμεν.

19*. *Plut. Sull.* 28 Ἐν ταύτῃ τῇ μάχῃ [*ad Sacriportum*] 82/672
Σύλλας φησὶν εἰκοσιτρεῖς μόνους ἀποβαλεῖν, ἀποκτεῖναι δὲ τῶν πολεμίων δισμυρίους καὶ λαβεῖν ζῶντας ὀκτακισχιλίους.

Sulla mox ut Campanum litus adtigit, Norbanum consulem praelio oppressit. septem millia Romanorum Romani interfecerunt, centum et uiginti quatuor de Sullana parte ceciderunt. *Etiam alio fonte usus est Appian. b. c. I 84:* καὶ θνήσκουσι Νωρβανοῦ μὲν ἑξακισχίλιοι, τῶν δ' ἀμφὶ τὸν Σύλλαν ἑβδομήκοντα, τραυματίαι δ' ἐγένοντο πολλοί.

---

7. Ἥφαιον *libri* Τίφατον *Bochartus* 18. φασι *Par. C* 19. συμμεῖναι *Sintenis ex Sangerm.* συμβῆναι *uulg.* 23. ἐμπεπρῆσθαι *libri corr. Reiske* 25. νώννων *Par. A* νόννων *Sangerm. Par. C* 25. 26. κεντιλίων *Par. A in ras.*

EX LIBRO XXI

20. *Priscian. VIIII p.* 864 *P.* 476 *H.* Sulla in uicesimo primo rerum suarum: Ad summam perniciem rem publicam peruenturum esse.

EX LIBRO XXII

78/676 **21*.** *Plut. Sull.* 37 Ὁ δὲ Σύλλας οὐ μόνον προέγνω τὴν ἑαυτοῦ τελευτὴν ἀλλὰ τρόπον τινὰ καὶ γέγραφε περὶ αὐτῆς· τὸ γὰρ εἰκοστὸν καὶ δεύτερον τῶν ὑπομνημάτων πρὸ δυεῖν ἡμερῶν ἢ ἐτελεύτα γράφων ἐπαύσατο. καί φησι τούς [τε] Χαλδαίους αὐτῷ προειπεῖν, ὡς δέοι βεβιωκότα καλῶς αὐτὸν ἐν ἀκμῇ τῶν εὐτυχημάτων καταστρέψαι· λέγει δὲ καὶ τὸν υἱὸν αὐτοῦ τεθνηκότα μικρὸν ἔμπροσθεν τῆς Μετέλλης φανῆναι κατὰ τοὺς ὕπνους, ἐν ἐσθῆτι φαύλῃ παρεστῶτα καὶ δεόμενον τοῦ πατρὸς παύσασθαι τῶν φροντίδων, ἰόντα δὲ σὺν αὐτῷ παρὰ τὴν μητέρα Μετέλλαν ἐν ἡσυχίᾳ καὶ ἀπραγμόνως ζῆν μετ' αὐτῆς.

---

21. *Aliud Chaldaei cuiusdam uaticinium, quo Sullae a.* 92. 662 *futura magnitudo portendebatur, Plutarchus c.* 5 *exposuit (cf. Vell. II* 24, 3, *qui de anno discrepat, consentit de re). — De somnio Sullae extremo uid. Plin. VII* 138: Quod ut dissimulauerit et supremo somnio eius, cui inmortuus quodam modo est, credamus ab uno illo inuidiam gloria uictam, hoc tamen nempe felicitati suae defuisse confessus est quod Capitolium non dedicauisset *App. b. c. I* 105: *Σύλλας δ' ἐν τοῖς ἀγροῖς ἐνύπνιον ἔδοξεν ἰδεῖν, ὅτι αὐτὸν ὁ δαίμων ἤδη καλοίη· καὶ ὁ μὲν αὐτίκα μεθ' ἡμέραν τοῖς φίλοις τὸ ὄναρ ἐξειπὼν διαθήκας συνέγραφεν ἐπειγόμενος καὶ αὐτῆς ἡμέρας συνετέλει, σφραγισαμένῳ δ' αὐτὰς περὶ ἑσπέραν πυρετὸς ἐμπίπτει καὶ νυκτὸς ἐτελεύτησεν.*

20, 1. sylla *Bern. Halberst. Gruter. Par. R s. m. Bamb. s. m.* (C ylla sylla *Karolir.*) silla *Sangall.* syllaba *Par. R pr. m. Bamb. pr. m.* uigesimo primo *Bern.* uicensimo primo *Gruter.* 2. rēppublica *Par. R* (p *deleuit s. m.*) rempuplicam *Sang. Karol.*
21, 7. *τε del. Sintenis*

Q. CLAVDII QVADRIGARII ANNALES

EX LIBRO I

1. *Gell. XVII* 2, 12 Verba ex Q. Claudi primo annali: — (390/364) Postquam nuntiatum est, inquit, ut pugnatum esset in Gallos, id ciuitas grauiter tulit.

2. *Gell. XVII* 2, 19 Verba ex Q. Claudi primo annali: — Tanta, inquit, sanctitudo fani est, ut numquam quisquam uiolare sit ausus.

3. *Gell. XVII* 2, 10 Verba ex Q. Claudi primo annali: — Sole, inquit, occaso.

4. *Gell. XVII* 2, 24 Verba ex Q. Claudi primo annali: — 390/364 Cominius, inquit, qua ascenderat, descendit atque uerba Gallis dedit.

---

1. *Vel de clade Aliensi uel de proelio anni* 295. 459, *quod ad Clusium aduerso Marte cum Gallis conmissum est.*

2. Flamen Quirinalis uirginesque Vestales — optimum ducunt *[sacra]* condita in doliolis sacello proximo aedibus flaminis Quirinalis, ubi nunc despui religio est, defodere. *Liu. V* 40, 7. *cf. Schwegler, hist. Rom. uol. III p.* 250 *not.* 2.

3. Tum demum, postquam nihil usquam hostile cernebatur, uiam ingressi [*Galli post pugnam Aliensem*] h a u d m u l t o a n t e s o l i s o c c a s u m ad urbem Romam perueniunt. *Liu. V* 39, 2.

4. Ingenti periculo transeundum per hostium custodias erat. ad eam rem Pontius Cominius inpiger iuuenis operam pollicitus, incubans cortici secundo Tiberi ad urbem defertur. inde, qua proximum fuit a

---

1, 1. exq; cl. *L* exq ∗∗ claudii (uę *erasum*) *φ* claudi *m* claudii *ceteri libri Hertzi* 2. nunciatum *R*

2, 5. ut *om. L* quisquam] quis *g*

3, 8. occasio *L* occasu *o ante correct.*

4, 10. quomimus *L* $\overset{o}{\div}$q minius *R* cominus *p* comin' *g ante corr.* comminus *a* qua] qui *φ* ascenderat *Hertz cum RLgmao* adscenderat *ceteri eius libri.*

390/364 5. *Gell. XVII* 2, 26 Verba ex Q. Claudi primo annali: — Putabant, inquit, eos qui foris atque qui in arce erant, inter se commutationes et consilia facere.

6. *Gell. XVII* 2, 17 Verba ex Q. Claudi primo annali: — Cum iis, inquit, consermonabatur.

384/370 7. *Gell. XVII* 2, 14 Verba ex Q. Claudi primo annali: — Nam Marcus, inquit, Manlius, quem Capitolium seruasse a Gallis supra ostendi, cuiusque operam cum M. Furio dictatore apud Gallos cumprime fortem atque exuperabilem res p. sensit, is et genere et ui et uirtute bellica nemini concedebat.

(384/370) 8. *Gell. XVII* 2, 13 Verba ex Q. Claudi primo annali: — Simul, inquit, forma, factis, eloquentia, dignitate, acrimonia, confidentia pariter praecellebat, ut facile intellegeretur magnum uiaticum ex se atque in se ad rem publicam euertendam habere.

---

ripa, per praeruptum eoque neglectum hostium custodiae saxum in Capitolium euadit et ad magistratus ductus mandata exercitus edit. accepto inde senatus consulto, uti comitiis curiatis reuocatus de exilio iussu populi Camillus dictator extemplo diceretur militesque haberent imperatorem quem uellent, eadem degressus nuntius Veios contendit missique Ardeam legati ad Camillum Veios eum perduxere. *Liu. V* 46, 8. *Καὶ λαθὼν τοὺς αὐτόθι φυλάσσοντας Κελτοὺς ἀνῆλθέ τε καὶ εἰπὼν ὅσα ἔδει, πάλιν ὑπὸ νύκτα ἀπηλλάγη. Dionys. XIII* 9.

5. Inde *[post factum Manlii]* intentiores utrimque custodiae esse, et apud Gallos, quia uulgatum erat inter Veios Romamque nuntios commeare, et apud Romanos ab nocturni periculi memoria. *Liu. V* 47, 11.

6. Indutiae deinde cum Romanis factae et conloquia permissu imperatorum habita. in quibus cum identidem Galli famem obicerent eaque necessitate ad deditionem uocarent, dicitur auertendae eius opinionis causa multis locis panis de Capitolio iactatus esse in hostium stationes. *Liu. V* 48, 4.

8. *Manlium esse intellegendum ex eis, quae Liuius de eo rettulit, satis adparet; omnibus enim illis uirtutibus etiam apud Liuium Manlium ornatum uides. Ceterum accuratiora de eius regni studio Claudius non uidetur narrasse, certe qui eum his in libris maxime usus est Liuius haec scribit VI*

5, 2. qui *in o sup. lin.*

6, 5. hiis *L* his *φ mag p o* cū sermonabatur *L* ɔsermo^{u}nibatur *a ant. corr.*

7, 7. quem *om. RL* a Gallis] agellis *φ ante corr.* 9. atque *φ* exup. *L* ex sup. *g* 10. *ante* ui *in φ una litt. erasa.*

8, 12. forme *RL* forme (ta *sup.* e *script.*) *φ* factis *om. pga* eloq̃ntie *L* 13. p̃collebat *L* p̃colebant *R* intelligetur *R* 14. ex se — habere *om. Rφpmga* rem p. *L.*

9. *Gell. XVII* 2, 16 Verba ex Q. Claudi primo annali: — Nam haec, inquit, maxime uersatur deorum iniquitas, quod deteriores sunt incolomiores, neque optimum quemquam inter nos sinunt diurnare.

10^a^*. *Liu. VI* 42, 3 Creati A. et M. Cornelii iterum, M. Geganius, P. Manlius, L. Veturius, P. Valerius sextum. 367 / 387 cum praeter Velitrarum obsidionem, tardi magis rem exitus quam dubii, quietae externae res Romanis essent, fama repens belli Gallici allata perpulit ciuitatem, ut M. Furius dictator quintum diceretur. is T. Quinctium Pennum magistrum equitum dixit. Bellatum cum Gallis eo anno circa Anienem flumen auctor est Claudius, inclitamque in ponte pugnam, qua P. Manlius Gallum, cum quo prouocatus manus conseruit, in conspectu duorum exercituum caesum torque spoliauit, tum pugnatam.

10^b^*. *Gell. VIIII* 13, 4 *sqq.* Quis hostis [*Manlii Torquati*] et quid genus, quam formidandae uastitatis et quantum insolens prouocator et cuimodi fuerit pugna decertatum, Q. Claudius

---

18: inde de regno agendi ortum initium dicitur, sed nec cum quibus nec quem ad finem consilia peruenerint, satis planum traditur *et VI* 20: cum dies uenit, quae — pertinentia proprie ad regni crimen ab accusatoribus obiecta sint reo, apud neminem auctorem inuenio.

9. *Ex Gellio Nonius p.* 100 *M.:* diurnare honestum uerbum pro diu uiuere (sic *Ald.* uidere *libri*), ut apud ueterem prudentem auctoritatis incognitae (*dicit Gellium cf. Gerlach, praef. ad Non. p. XIIII. Hertz, in Iahn. ann.* 1862 *p.* 790): neque optumum quemquam in suos solent diurnare. — *An de Manlio dictum?*

10^a^. *Cf. supra p. CCLXXXXVIIII.*

10^b^. *Verba* Vbi eum euertit — in collum imponit *e Gellio exscripsit Nonius (p.* 228 *M.:* Claudius Quadrigarius describens Manli Torquati pugnam. Vbi *et q. s.) — Ex eodem Claudio sua sumpsit Liu. VII* 9, 6: Dictator *[T. Quinctius Pennus]* cum tumultus Gallici causa iustitium edixisset, omnes iuniores sacramento adegit ingentique exercitu ab urbe profectus in citeriore ripa Anienis castra posuit. pons in medio erat neutris eum rumpentibus, ne timoris indicium esset. proelia de

---

9, 2. maxime] *an* maxima? 3. incoloniores *R* obtimum *Rg* in suos solent *Nonius* 4. diurnarei *L*

10^a^, 6. p̃ manlius. ueturius *Med.* 7. uelitratum *Medic.* rem *del. I. Fr. Gronou.* 8. gallii *Leid. I* 9. perculit *libri recent.* 10. is.t.quintium poenum mãg. equitum dixit *Par.*² *Med.* is.t.quintius poenum *Par.*¹ *cf. IIII* 26. 13. manum *libri recent.* seruit *Med. ante correct.* 14. pugnatum *Paris. Harlei. I. Leid. I libri rec.*

10^b^, 17. decertatumq; claudi' *RLB*

primo annalium purissime atque inlustrissime simplicique et incompta orationis antiquae suauitate descripsit. — Verba Q. Claudi, quibus pugna ista depicta est, adscripsi: Cum interim Gallus quidam nudus praeter scutum et gladios duo torque atque armillis decoratus processit, qui et uiribus et magnitudine et adulescentia simulque uirtute ceteris antistabat. is maxime proelio commoto atque utrisque summo studio pugnantibus manibus significare coepit utrisque, quiescerent. pugnae facta pausa est. extemplo silentio facto cum uoce maxima conclamat, si quis secum depugnare uellet, uti prodiret. nemo audebat propter magnitudinem atque inmanitatem facies. deinde Gallus inridere

---

occupando ponte crebra erant, nec qui potirentur, incertis uiribus satis discerni poterat. tum eximia corporis magnitudine in uacuum pontem Gallus processit, et quantum maxima uoce potuit 'quem nunc', inquit 'Roma uirum fortissimum habet, procedat agedum ad pugnam, ut noster duorum euentus ostendat, utra gens bello sit melior'. Diu inter primores iuuenum Romanorum silentium fuit, cum et abnuere certamen uererentur et praecipuam sortem periculi petere nollent. tum T. Manlius L. filius, qui patrem a uexatione tribunicia uindicauerat, ex statione ad dictatorem pergit: 'iniussu tuo' inquit, 'imperator, extra ordinem numquam pugnauerim, non si certam uictoriam uideam. si tu permittis, uolo ego illi beluae ostendere, quando adeo ferox praesultat hostium signis, me ex ea familia ortum, quae Gallorum agmen ex rupe Tarpeia deiecit'. tum dictator 'macte uirtute' inquit 'ac pietate in patrem patriamque, T. Manli, esto. perge et nomen Romanum inuictum iuuantibus diis praesta'. armant inde iuuenem aequales: pedestre scutum capit, Hispano cingitur gladio ad propiorem ha-

---

2. Verba Q] uerbaq; *RLBφ* Claudi] cl. *RLB* 4. nut' *LB*[1] *φ* preter *p* gladios detorq̃ (*suprasc. sup.* os: t) duos *B* (duos *R*) torque *om. ga* atque *om. B* 5. qui ex uiribus *L* 6. adolecētia *B* adolescentie (*sup.* e *scr.* a) *aφ* antistitabat *R* antistabat (*sup.* i *scr.* e) *B* antestabat *p* antistabatis maxime *L* prelio *L* p̃lio *Bgp* 7. utriusque summo *φ* moto *RB* cōmo. *Lgp* 8. cepit *LBap* caepit *φ* utrisque] *RLB* utrique *mapg* utriusque *φ* utrinque *uulg.* pugne *RLB* 9. exemplo *LBφ a pr. m.* extimplo *ap* maxime *φ* conclamāt *RLB* 10. depugnare uti uellet prodiret. nemo *L* 11. imanitatẽ *L* facies] *p* faciei *RB uid. Gell. VIIII* 14, 1: Quod autem supra scriptum est in Q. Claudi uerbis: 'Propter magnitudinem atque inmanitatem facies' id nos aliquot ueteribus libris inspectis explorauimus atque ita esse, ut scriptum est, comperimus. — Corruptos autem quosdam libros repperi, in quibus 'faciei' scribtum est, illo, quod ante scribtum erat, obliterato. inrid'e *RLm*

coepit atque linguam exertare. Id subito perdolitum est cuidam Tito Manlio, summo genere gnato, tantum flagitium ciuitati adcidere, e tanto exercitu neminem prodire. is, ut dico, processit neque passus est uirtutem Romanam ab Gallo turpiter spoliari. scuto pedestri et gladio Hispanico cinctus contra Gallum constitit. Metu magno ea congressio in ipso ponti utroque exercitu inspectante facta est. ita, ut ante dixi, constiterunt: Gallus sua disciplina scuto proiecto cunctabundus, Manlius animo magis quam arte confisus, scuto scutum percussit atque statum

---

bili pugnam; armatum adornatumque aduersus Gallum stolide laetum et — quoniam id quoque memoria dignum antiquis uisum est — linguam etiam ab inrisu exserentem producunt. recipiunt inde se ad stationem, et duo in medio armati spectaculi magis more quam lege belli destituuntur, nequaquam uisu ac specie aestimantibus pares. corpus alteri magnitudine eximium, uersicolori ueste pictisque et auro caelatis refulgens armis: media in altero militaris statura modicaque in armis habilibus magis quam decoris species. non cantus, non exultatio armorumque agitatio uana, sed pectus animorum iraeque tacitae plenum omnem ferociam in discrimen ipsum certaminis distulerat. ubi constitere inter duas acies tot circa mortalium animis spe metuque pendentibus, Gallus uelut moles superne inminens proiecto laeua scuto in aduenientis arma hostis uanum caesim cum ingenti sonitu ensem deiecit: Romanus mucrone subrecto, cum scuto scutum imum perculisset totoque corpore interior periculo uulneris factus insinuasset se inter corpus armaque, uno alteroque subinde ictu uentrem atque inguina hausit et in spatium ingens ruentem porrexit hostem. iacentis inde corpus ab omni alia uexatione intactum uno torque spoliauit, quem respersum cruore collo circumdedit suo. defixerat pauor cum admiratione Gallos, Romani alacres ab statione obuiam militi suo progressi, gratulantes laudantesque ad dictatorem perducunt. inter carminum prope modum incondita quaedam militariter ioculantes Torquati cognomen auditum, celebratum deinde posteris etiam familiaeque

---

1. cępit *LBgp* linguam exertare *R* lingua exerrare *LBmpgaφ* subito] *uix sanum. an* excubitori? *uid Liu.* ex statione ad dictatorem pergit. id *om. B* perdelatum *p* 2. nato *φ* (*fin.* r *eras.*) gnato *Hertz cum BLpm* flagicium *R* 2. 3. adcidere *Hertz cum m* accedere *L* accidere *celeri libri Hertzi* accid'ere ⁊ante exercitū *R* 3. e tanto *om. B* ⁊ante *L* p̃cessit *a* 5. * spanico (s *eras.*) *L* spanico *B* hispani concinctus *φ* spanici R^1 hispanici R^1 *ispanico (h *eras.*) *g* 6. metu] *aut, si Liuium sequeris, spei notio est addenda:* Spe metuque magno, *aut scribendum:* impetu magno. ponti *Hertz cum LB* ponte *ceteri eius libri et uulg.* 7. expectante *φ* est ut ita antedixi *L* 8. cunctabundus *Hertz cum p* cantabundus *ceteri libri et uulg.* 9. scuto scutum *Hertz cum RLBm* scutum scuto *ceteri libri et uulg.* statim *L*

Galli conturbauit. dum se Gallus iterum eodem pacto constituere studet, Manlius iterum scuto scutum percutit atque de loco hominem iterum deiecit; eo pacto ei sub Gallicum gladium successit, ne Gallus impetum in ictu haberet, atque Hispanico pectus hausit, deinde continuo humerum dextrum eodem congressu incidit neque recessit usquam, donec subuertit. Vbi eum subuertit, caput praecidit, torquem detraxit eamque sanguinulentam sibi in collum imponit. Quo ex facto ipse posterique eius Torquati sunt cognominati.

11*. *Nonius s. u. spolior p.* 480 Quadrigarius annali: Ita per sexennium uagati Apuliam atque agrum Campanum, quod his per militem licebat, expoliabantur.

---

honori fuit. dictator coronam auream addidit donum mirisque pro contione eam pugnam laudibus tulit. *Errare enim existimo Lachmannum* (*de font. Liu. I p.* 67), *ex Claudio a Liuio haec hausta esse negantem, cum leuissima sint, in quibus Liuius et Gellius dissentiunt, in plurimis rebus saepe ad uerbum congruant. neque hoc cum illo facit, quod Liuius VI* 42 *rationem temporum ab Claudio de hoc proelio initam inprobauit. quid enim nos impedit, quominus Liuium, cui narrationem Claudii haud ignotam fuisse ex loco illo sequitur, eam auctorum suorum grauitate permotum in annum* 361. 393 *seposuisse existumemus? etiam ex ea re certamen illud ex alieno loco huc insertum esse haud temere conicias, quod Liuius de tumultu illius anni nihil adcuratius et fusius narrat nisi hoc ipsum, omnino omittit pugnam, quam inter utramque aciem conmissam esse ueri simile est.* (*cf. Weissenborn ad Liu. VI* 9, 5.)

11. *Popma haec rettulit ad bellum Punicum, quo Hannibal per multos annos Apuliam et Campaniam tenuit ac spoliauit, ego cum Rothio ad Gallos,*

---

1. perturbauit *pφ* dum] cum *L* itē *L* 1. 2. constituere *a* 2. manlli⁹ *a* mallius *m* iterum] e *et* u *in L ex corr.* 3. hominē hominem *m* eo pacto] *an* eo facto? gladiū gallicū *LB ante correct.* 4. ne Gallus — haberet, *quod est in libris post* subuertit *aut huc transposuit aut omnino deleuit Scaliger* in ictu *Hertzius cum R* icti *ceteri eius libri et uulg.* hispannico *R* *ispanico *g* 5. umerum *m* consensu *BL* concessu *ceteri libri Hertzi* congressu *Gronou.* 6. usquam recessit *L* 7. capud *R* precidit *L* praeciditorquem *Nonii cod. L* tetraxit *L* sanguinulentam *B m a g φ Nonius* sanguinulentē *L* 8. īponit *B* inponit *φ Nonius* qui ex f. *φ*

11, 11. iugati am polam *L* uagaciam polam *V* ampolam *W* Lucaniam *coni. Palmer.* Apuliam *Iunt.* adque *L*[1] quod his] quod eius *coni. Palmer. an* quoad his? 12. expolabatur *LW* spolabatur *V emend. in Ald., scripturae* spoliabantur *fauet et lemma et quod etiam altero loco, ubi u.* expoliari *inueniebatur (Donat. a. gr. p.* 1769 *P.* 394 *K.), nunc* spoliantur *restitutum est.*

12.** *Gell. n. Att. VIIII* 11 De Maximo Valerio, qui Coruinus appellatus est ob auxilium propugnationemque corui alitis, haut quisquam est nobilium scriptorum, qui secus dixerit. Ea res prorsus miranda sic profecto est in libris annalibus memorata: 349/405

Adulescens tali genere editus, L. Furio Claudio Appio consulibus, fit tribunus militaris. atque in eo tempore copiae Gallorum ingentes agrum Pomptinum insederant, instruebanturque acies a consulibus de ui ac multitudine hostium satis agentibus. Dux interea Gallorum, uasta et ardua proceritate armisque auro praefulgentibus, grandia ingrediens et manu telum reciprocans incedebat perque contemptum et superbiam circumspiciens despiciensque omnia uenire iubet et congredi, si quis pugnare secum ex omni Romano exercitu auderet. tum Valerius tribunus,

---

idque ad annum 361. 393, *quo Galli ad Tiburtinum auxilium ex Campania redeunt* (*Liu. VII* 11, 3), *postquam ab a.* 367. 387 *Apuliam peruagati sunt. cf. Liu. VI* 42, 8: palati alii Apuliam maxime petentes cum fuga longinqua· tum quod passim eos simul pauor terrorque distulerant, ab hoste sese tutati sunt. *VII* 1, 3: principio anni (366. 386) et de Gallis, quos primo palatos per Apuliam congregari iam fama erat — agitata mentio.

12. *Hoc fragmentum argumentis tam certis ad Quadrigarii auctoritatem nobis trahi uidebatur, ut hoc unum ex eis, quae scriptoris nomine omisso ad nos peruenissent, dignum esse existimaremus, quod in ipsis relliquiis exstaret. primum enim is erat mos Gellii, ut eundem scriptorem conpluribus deinceps capitibus transscriberet* (*uid. Kretzschmer, de A. Gell. font. part. I p.* 4 *seqq. Mercklin, Citiermethode, p.* 664 *sqq.*), *ex Claudio autem, quo solo annalium scriptore in hoc libro usus est, etiam capita primum et tertium decimum sumpsit; deinde ita concinit haec narratio cum Quadrigarii uerbis, quibus simile certamen Gellius cap.* 13 *exposuit, et toto colore et singulis quibusdam uocibus* (*cf. c.* 11 si quis pugnare secum auderet. *c.* 13 si quis secum depugnare uellet; *c.* 11 spectante utroque exercitu. *c.* 13 utroque exercitu inspectante), *ut fieri non possit, quin utraque narratio ex eodem auctore fluxerit. sed accedit, quod etiam hoc certamen Liuius* (*VII* 25 *et* 26) *ita narrat:* et cum in agrum Pomptinum descendisset *[Camillus consul]*, quia neque in campis congredi nulla cogente re uolebat et prohibendo populationibus, quos rapto uiuere necessitas cogeret, satis domari credebat hostem, locum idoneum statiuis delegit. Vbi cum stationibus quieti tempus tererent, Gallus processit magnitudine atque

---

12, 6. adolescentis *B*[1] adolescens *B*[1] ęditus *p* L. Furio] L *om. RLB* 7. fit *om. RLmp²ga* copie *B* 8. ꝓmptinum *RLB* 9. a cons.] a *om. p* deuia multitudinē *L* 10. interea] itra *B* 11. grandia *m* gradia *RLB* gaudia *a* 12. circ̄spiciens *B* circonspiciens *R* circunspiciens *m* 12. 13. despiensq; *L*[1] 14. tum] tamen *L ante corr.*

ceteris inter metum pudoremque ambiguis, impetrato prius a consulibus, ut in Gallum, tam inaniter adrogantem, pugnare sese permitterent, progreditur intrepide modesteque obuiam; et congrediuntur et consistunt et conserebantur iam manus. atque ibi uis quaedam diuina fit: coruus repente inprouisus aduolat et super galeam tribuni insistit atque inde in aduersarii os atque oculos pugnare incipit; insilibat, obturbabat et unguibus manum laniabat et prospectum alis arcebat atque, ubi satis saeuierat, reuolabat in galeam tribuni. Sic tribunus spectante utroque exercitu et sua uirtute nixus et opera alitis propugnatus ducem hostium ferocissimum uicit interfecitque atque ob hanc causam cognomen habuit Coruinus. Id factum est annis quadringentis quinque post Romam conditam.

---

armis insignis quatiensque scutum hasta cum silentium fecisset, prouocat per interpretem unum ex Romanis, qui secum ferro decernat. M. erat Valerius tribunus militum adulescens, qui haud indigniorem eo decore se quam T. Manlium ratus, prius sciscitatus consulis uoluntatem in medium armatus processit. minus insigne certamen humanum numine interposito deorum factum: namque conserenti iam manum Romano coruus repente in galea consedit, in hostem uersus. quod primo ut augurium caelo missum laetus accepit tribunus, precatus deinde, si diuus, si diua esset qui sibi praepetem misisset, uolens propitius adesset. dictu mirabile, tenuit non solum ales captam semel sedem, sed quotienscumque certamen initum est, leuans se alis os oculosque hostis rostro et unguibus adpetit, donec territum prodigii talis uisu oculisque simul ac mente turbatum Valerius obtruncat. coruus ex conspectu elatus orientem petit. hactenus quietae utrimque stationes fuere. postquam spoliare corpus caesi hostis tribunus coepit, nec Galli se statione tenuerunt, et Romanorum cursus ad uictorem etiam ocior fuit. ibi circa iacentis Galli corpus contracto certamine pugna atrox concitatur. — consul contione aduocata laudatum tribunum decem bubus aureaque corona donat. *Vides igitur eum uel in minimis rebus consentire cum Gellio; nam quod Gellius de duobus consulibus loqui-*

---

1. mecū *R* ambiguis *g*[1] īpetto *B cum* a *inter* t *et* t *sup. lin. addit.* 2. inmanit̃ *L* īmanit̃ *Bp* immaniter *am* adrgantem *L cum* o *inter* r *et* g *sup. lin.* 3. inde *om. m* 6. aduersarios atq; *R*[1] *corr. sec. m.* aduersariis atq. *LBag* 7. incipit] cepit *p* insilibat $L^1 B^1$ insiliebat $L^2 B^2$ insibilat *pa* obturbabatq; ung. *p* obturbabat ung. *a* manum] *magis mihi placeret* uoltum. *uid. Liu.:* os oculosque hostis rostro et unguibus appetit 8. alis] alias *Rpm* alas *ag* ales *m in marg.* arcebat] *in R sup.* e *m. s. scripsit* r. seuierat *LB* 9. reuolebat *a* 10. ducem] ducet *a* 12. annis quadringentesimo quinto *g* anno quadragesimo quinto *a* .cccc. v. *p.*

13. *Gell. n. Att. XVII* 2, 4 *et Non. s. u. subnixum p.* 405 Verba ex Q. Claudi primo annali: — Ea, inquit, dum fiunt, Latini subnixo animo ex uictoria inerti consilium ineunt. 330/424

14*. *Liu. VIII* 19, 13 Conlaudatis Fundanis consul [*L. Plautius Venox*] litterisque Romam missis, in officio Fundanos esse, ad Priuernum flexit iter. prius animaduersum in eos, qui capita coniurationis fuerant, a consule scribit Claudius; ad trecentos quinquaginta ex coniuratis uinctos Romam missos, eamque deditionem ab senatu non acceptam, quod egentium atque humilium poena defungi uelle Fundanum censuerint. 326/428

15. *Gell. n. Att. VI (VII)* 11, 7 Consimiliter Q. quoque Claudius in primo annalium 'nequitiam' appellauit luxum uitae prodigum effusumque in hisce uerbis: Persuadent cuidam adulescenti Lucano, qui adprime summo genere gnatus erat, sed luxuria et nequitia pecuniam magnam consumpserat.

---

tur, Liuius de uno, errori Gellii id adscribendum esse adparet; itaque cum etiam VII 9 *Liuium ante oculos habuisse Claudium demonstrauerimus, et eum etiam hic eodem auctore usum esse consentaneum est, et firmatur hoc consensu sententia nostra de Gellii fonte. — Ceterum eadem fere apud Cass. Dion. fr.* 34 (*Zon. VII* 25 *p.* 93 *Pind.*), *alia apud Appian. Celt.* 10.

13. *Spectare uidetur ad bellum Latinum.*

15. 16. *cf. Liu. VIII* 27: Aliud subinde bellum cum alterius orae Graecis exortum. namque Tarentini cum rem Palaepolitanam uana spe auxilii aliquamdiu sustinuissent, postquam Romanos urbe potitos accepere, uelut destituti ac non qui ipsi destituissent, increpare Palaepolitanos, ira atque inuidia in Romanos furere, eo etiam quod Lucanos

---

13. *Contaminaui hoc fragmentum ex Gellio et Nonio l. s. s. haec enim debentur Gellio:* Ea dum fiunt, Latini subnixo animo, *haec Nonio:* ea Latini subnixo animo ex uictoria inerti consilium ineunt. *sed cum cetera Claudii uerba tum etiam haec Nonium sumpsisse ex Gellio, cum libri eius integriores essent, suspicatus est M. Hertz in Iahn. ann.* 85. (1862) *p.* 721. *pro Claudio tamen ab eo et hic et fr.* 22. 23. 24 *Coelii nomen substitutum est. uid. p.CCXXXIIII.*
2. 3. latini (la *ex* h *corr.*) *R* e latinis *cod. Basil. Nonii* et Latini *uulg. Nonii* 3. subniso *R* sub. mixo (*sup.* x *scr. t*) *φ* et uictoriae certi *Canter.*

14, 8. ad cccl ex coniuratis *Med.* 9. dedicionē *Med.* 10. Fundanum populum cens. *praeter Med. et Lou. quartum libri Alschefskiani.*

15, 11. Q.] q̃ *Ra* Q. *p* 13. persuadenti *libri* persuadent *scripsi conlato Liuio in mus. Rhen. nouo XVII p.* 152 15. peccuniam *a.*

326/428 **16.** *Gell. n. Att. II* 19, 7 Claudius Quadrigarius in primo annali: Ea Lucani ubi resciuerunt, ⌜sibi per fallacias uerba data esse.

17. *Gell. XVII* 2, 18 Verba ex Q. Claudi primo annali: — sese, inquit, ne id quoque, quod tum suaderet, facturum esse.

321/433 **18.** *Liu. VIIII* 5, 1 Consules [*T. Veturius Caluinus Sp. Postumius Albinus*] profecti ad Pontium in conloquium, cum de foedere uictor agitaret, negarunt iniussu populi foedus fieri posse, nec sine fetialibus caerimoniaque alia sollemni. itaque non, ut uulgo credunt Claudiusque etiam scribit, foedere pax Caudina, sed per sponsionem facta est. quid enim aut sponsoribus in foedere opus esset aut obsidibus, ubi precatione res transigitur, per quem populum fiat, quo minus legibus dictis

---

et Apulos (nam utraque eo anno societas coepta est) in fidem populi Romani uenisse adlatum est: quippe prope modum peruentum ad se esse, iamque in eo rem fore, ut Romani aut hostes aut domini habendi sint. discrimen profecto rerum suarum in bello Samnitium euentuque eius uerti. eam solam gentem restare, nec eam ipsam satis ualidam, quando Lucanus defecerit, quem reuocari adhuc impellique ad abolendam societatem Romanam posse, si qua ars serendis discordiis adhibeatur. haec consilia cum apud cupidos rerum nouandarum ualuissent, ex iuuentute quidam Lucanorum pretio adsciti, clari magis inter populares quam honesti, inter se mulcati ipsi uirgis cum corpora nuda intulissent in ciuium coetum, uociferati sunt se, quod castra Romana ingredi ausi essent, a consulibus uirgis caesos ac prope securi percussos esse. deformis suapte natura res cum speciem iniuriae magis quam doli prae se ferret, concitati homines cogunt clamore suo magistratus senatum uocare, et alii circumstantes consilium bellum in Romanos poscunt, alii ad concitandam in arma multitudinem agrestium discurrunt, tumultuque etiam sanos consternante animos decernitur, ut societas cum Samnitibus renouaretur, legatique ad eam rem mittuntur. repentina res quia quam causam nullam tam ne fidem quidem habebat, coacti a Samnitibus et obsides dare et praesidia in loca munita accipere: caeci fraude et ira nihil recusarunt. dilucere deinde breui fraus coepit, postquam criminum falsorum auctores Tarentum commigrauere, sed amissa omni de se potestate nihil ultra quam ut paeniteret frustra restabat.

17. *Hic posui, quia a.* 321. 433 *dicere potuit Pontius, cum etiam alterum consilium, quod dederat pater de Romanis apud Caudium inclusis, repudiaret. uid. Liu. VIIII* 3—4.

16, 1. Cladius *P* 2. fallatias *R.*
17, 5. sese] ēē *r* esse *L.*
18, 8. fędere *Medic.* 10. ut ulgo *Med.*[1] 11. sed] sec *Med.*[1] *corr. m. quarta* 12. ubi p̄catione restant igitur per *Paris.*[1] ubi p̄catione res an igitur per *Paris.*[2]

stetur, ut cum ita Iuppiter feriat, quem ad modum a fetialibus porcus feriatur. spoponderunt consules, legati, quaestores, tribuni militum, nominaque omnium qui spoponderunt extant, ubi, si ex foedere acta res esset, praeterquam duorum fetialium non extarent. et propter necessariam foederis dilationem obsides etiam sescenti equites imperati, qui capite luerent, si pacto non staretur.

19. *Gell. II* 19, 8 Item Quadrigarius in eodem [*i. e. primo*] libro —: Id ubi rescierunt propinqui obsidum, quos Pontio traditos supra demonstrauimus, eorum parentes cum propinquis capillo passo in uiam prouolarunt. 320/434

20. *Gell. n. Att. XVII* 2, 21 Verba ex Q. Claudi primo annali: — 'Cum tantus' inquit, 'arrabo penes Samnites populi Romani esset'. Arrabonem dixit sescentos obsides. 320/434

21. *Gell. n. Att. I* 25, 6 Aut rursus quid esse id dicemus, 320/434

---

19. *Res post furculas Caudinas Romae gestas intellegendas esse facile adparet. minus clarum est, qua re audita propinqui obsidum in uiam prouolarint. an cum resciuissent, exsoluisse se senatum religione foederis et in magnum periculum adductos obsides? cf. Liu. VIIII* 5, 5: et propter necessariam foederis dilationem obsides etiam sescenti equites imperati, qui capite luerent, si pacto non staretur, *Liu. VIIII* 14, 12: nec ullum superfuisset animal [*Samnitium castris ad Luceriam expugnatis*], ni consules receptui signum dedissent auidosque caedis milites e castris hostium imperio ac minis expulissent. itaque apud infensos ob interpellatam dulcedinem irae confestim oratio habita est, ut doceretur miles, minime cuiquam militum consules odio in hostes cessisse aut cessuros, quin duces sicut belli ita insatiabilis supplicii futuros fuisse, ni respectus equitum sescentorum, qui Luceriae obsides tenerentur, praepedisset animos, ne desperata uenia hostes caecos in supplicia eorum ageret, perdere prius quam perire optantes. laudare ea milites, laetarique obuiam itum irae suae esse, ac fateri omnia patienda potius quam proderetur salus tot principum Romanae iuuentutis.

21. *Fortasse de rebus ante Luceriam urbem expugnatam gestis, nam colloquium tum inter Romanos Samnitesque factum esse de urbe tradenda Liuius VIIII* 15, 3 *diserte rettulit. Postquam autem in ipso orationis tenore et consules tum rem ad Luceriam gessisse neque Pontium in ipsa urbe fuisse narrauit, haec* § 8 *addit:* haud ferme alia mutatione subita rerum

---

2. cos̄ *Par.* coss *Med.* 6. sescenti] *in Par. a sec. man. in rasura scriptum. in Leid. primo ceterisque Drakenb. codd:* ac.

19, 9. rescierunt *VPR* resciuerunt *codd. rec.* Pontio *R aliquot codd. rec.* poncio *VP alii codd. rec.*

20, 13. 14. .p. r. *LRmpoa* populi Rom. esset] p̃sc *φ* 14. arbonē *L* artabonem *R* Arrabone *g* arrobone *a*

quod in primo annalium Quadrigarii scriptum est, C. Pontium Samnitem a dictatore Romano sex horarum indutias postulasse, si indutiae 'paucorum' tantum 'dierum' appellandae sunt?

22. *Gell. n. Att. XVII* 2, 3 Verba ex Q. Claudi primo annali: — Arma, inquit, plerique abiciunt atque inermi inlatebrant sese.

---

clarior uictoria populi Romani est, si quidem etiam, quod quibusdam in annalibus inuenio [*Claudio autem in his libris permultum esse usum Liuium constat*], Pontius Herenni filius Samnitium imperator, ut expiaret consulum ignominiam, sub iugum cum ceteris est missus. ceterum id minus miror, obscurum esse de hostium duce dedito missoque: id magis mirabile est ambigi, Luciusne Cornelius dictator cum L. Papirio Cursore magistro equitum eas res ad Caudium atque inde Luceriam gesserit — an consulum Papiriique praecipuum id decus sit. *cf. etiam Dionys. XVI* 2: μετ' οὐ πολὺ δὲ τὰ αὐτὰ καὶ ὁ Πόντιος ὑπὸ Ῥωμαίων ἔπαθε, καὶ τὸν ζυγὸν ὑπῆλθον καὶ αὐτὸς καὶ οἱ σὺν αὐτῷ. *De re cf. Mommsen, chronol. p.* 112. *Weissenborn ad Liu. l. l.*

22. *Ex Gellio sua habet Non. p.* 129, 23, *falso tamen sub nomine Coelii. uid. p. CCXXXIIII. porro quod extremis uerbis addidit* in latebras, *somniauit ut saepe Nonius auctores suos transcribens. uid. Kretzschmer, de Gell. font. p.* 33 *et supra p. l. Referendum esse hoc fr. mihi uidetur ad proelium in saltu auium ad Bouinum a C. Iunio Bubulco contra Samnites commissum a.* 311. 443; *ubi cum Romani spe praedae pellecti in insidias incidissent, oratione consulis accensi, aggressi sunt* inminentem hostium aciem (*pergo enim ipsius Liuii VIIII* 31, 14 *uerbis*). ibi paulum laboris fuit, dum in aduersum cliuum erigitur agmen, ceterum postquam prima signa planitiem summam ceperunt, sensitque acies aequo se iam institisse loco, uersus extemplo est terror in insidiatores, easdemque latebras, quibus se paulo ante texerant, palati atque inermes fuga repetebant. sed loca difficilia hosti quaesita ipsos tum sua fraude inpediebant. itaque ergo perpaucis effugium patuit: caesa ad uiginti milia hominum, uictorque Romanus ad oblatam ab hoste praedam pecorum discurrit. [*Contra Romanos* ἐν ταῖς ὕλαις ταῖς Ἀόρναις, *cum circumdati essent, fusos esse a Samnitibus Zonaras VIII* 1 *p.* 100 *ed. Bonn. narrat.*]

21, 1. quadriga4 *anthol. Vrsin.* 1. 2. poncium *V* 2. sannitē *anthol. Thuan. et Vrsin.* sōnitem *R*

22, 4. Coelius annalibus libro I. *Non.* 5. abitiunt *a* atque] at *Nonii cod. L* inhermi *Lφ* inhermis in latebras se illatebrant *Nonius* 5. 6. illecebrant *R ante corr.* illacebrant *R corr.* illatebrant *p Nonii cod.* L^2 inlatebant *φ ante corr.*

INCERTAE SEDIS

23. *Gell. XVII* 2, 5 Verba ex Q. Claudi primo annali: — Domus, inquit, suas quemque ire iubet et sua omnia frunisci.

24. *Gell. XVII* 2, 9 Verba ex Q. Claudi primo annali: — Et Romani, inquit, multis armis et magno commeatu praedaque ingenti copiantur.

25. *Gell. XVII* 2, 11 Verba ex Q. Claudi primo annali: — Nos, inquit, in medium relinquemus.

26. *Gell. XVII* 2, 15 Verba ex Q. Claudi primo annali: — Nihil sibi, inquit, diuitias opus esse.

27. *Gell. XVII* 2, 22 Verba ex Q. Claudi primo annali: — Miserrimas, inquit, uitas exegerunt.

28. *Gell. XVII* 2, 23 Verba ex Q. Claudi primo annali: — Hic annus in otiis, inquit, consumptus est.

29. *Gell. XVII* 2, 25 Verba ex Q. Claudi primo annali: — Conualles, inquit, et arboreta magna erant.

30. *Gell. VIIII* 14, 3 Meminimus etiam in Tiburti biblio-

---

23. 24. *Ex Gellio apud Nonium (p.* 113, 8 *et* 87, 6*) sed falso sub Coelii nomine.*

26. *Closset p.* 496 *not.* 4 *refert ad Curium Dentatum dona Samnitium tertio bello repudiantem, sed uehementer dubito, num ad hoc bellum iam primus liber descenderit.*

28. *Ex eis annis, quorum memoriam Claudius libro primo esse conplexus uidetur, solos annos* 348. 406 *et* 347. 407 *in otiis consumptos esse tradit Liuius* (*VII* 27, 1 *et* 3).

30. *Hoc fragm. uulgo confusum est cum fr.* 10^b *p.* 208 *u.* 11. *sed falso, id quod cuiuis ipsa Gellii uerba paulo attentius legenti facile adparebit.*

23, 1. Coelius libro II *Nonius.* 2. suam *Non. cod. L* quoque *Nonius* 2. 3. fru*isci (n *cras*) *o*

24, 4. Caelius (Coelius *W*) libro I: armis et magno commeatu (cumm. L^1) set (sed L^2 *W*) praeda ing. cop. *Non.*

25, 8. in *om.* *φ*

26, 10. nichil inquit sibi *p* diuicias *R*

27, 12. uitas *Lpφgao* uias *ceteri libri Hertzi*

28, 14. mimis *R* minuss in *ad marg. L* minus *pag* min; *φ ante corr.* min' *φ corr.* mimus *o uulg.* nimiis *Roth* annus *scripsi.* ociis *LR* consupt' *L*

29, 16. conuales *L*

theca inuenire nos in eodem [*primo*] Claudii libro scriptum utrumque 'facies' et 'facii'.

31. *Seru. ad Verg. Aen. I* 108 Haec autem sunt saxa inter Africam, Siciliam et Sardiniam et Italiam, quae saxa ob hoc Itali aras uocant, quod ibi Afri et Romani foedus inierunt. — quidam insulam fuisse hunc locum tradunt, quae subito pessum ierit, in cuius reliquias saxa haec exstare, in quibus aiunt Poenorum sacerdotes rem diuinam facere solitos. has aras alii Neptunias uocant, sicut Claudius Quadrigarius I annalium: Apud aras, quae uocabantur Neptuniae.

32. *Nonius s. u. reticulum p.* 222 Claudius primo: Prius hisce † auctoribus inde reticula galearia.

33. *Nonius s. u. possetur p.* 508 Quadrigarius annalium lib. I: Cum non possetur decerni, utrius putaretur uictoria esse.

LIB. II

294 / 460 **34*.** *Liu. X* 37, 13 Et huius anni parum constans memoria est: Postumium auctor est Claudius in Samnio captis aliquot urbibus in Apulia fusum fugatumque, saucium ipsum cum paucis Luceriam conpulsum; ab Atilio in Etruria res gestas eumque triumphasse.

35. *Nonius s. u. properatim p.* 154 Quadrigarius annali libro II: Eo consules propere exercitum redducunt.

36. *Nonius s. u. offendere p.* 359 Quadrigarius annali lib. II:

---

34. *Libro secundo adtribui cum Krausio. Ceterum prorsus alia antea Liuius, eaque plurimis uerbis narrauerat.*

30, 1. daudii *φ* 2. utrumque⁊ f. *p* et f. *φ* facii] faciei *RLBφgpm, at uid. uerb. Gell. seqq.*

31. *uerba Claudii, ut supra edidimus, solus Cassellanus seruauit, Paris. haec tantum modo exhibet:* alii Neptunias uocant, ut Claudius dixit.

32, 12. isce *W*[1] priusque d u c t o r i b u s indit reticula *Lipsius.*

33, 13. quadriga. annal. li. I *F.*

34, 17. in apuliam *Par. Med. Leid. 1. libri rec.* saucium esse ipsum *Leid. 1. lib. rec.* sautiū ipsum paucis *Med.*[1]

35, 21. propere] *in lemmate est* properatim et properiter.

Inde postquam aliquantum recessit, offendit montem, loca inuenit ea res omnes habere, quae militibus opus sunt, ligna, aquam, pabulum.

37. *Nonius s. u. ignauiter p.* 514 Quadrigarius annali lib. II: Et qui ibi erant, non ignauiter potando cum diem pro meliore habuerunt.

38. *Nonius s. u. desubito p.* 517 Quadrigarius annali lib. II: His desubito utrisque nuntiatur ipsorum copias adesse.

39. *Priscian. VIII p.* 797 *P.* 393 *H.* Quintus Claudius in II annalium: Conprehensare suos quisque, sauiare, amplexare.

LIB. III

40. *Gell. III* 8 Cum Pyrrus rex in terra Italia esset et 278/476
unam atque alteram pugnas prospere pugnasset satisque agerent Romani et pleraque Italia ad regem desciuisset, tum Ambraciensis quispiam Timochares, regis Pyrri amicus, ad C. Fabricium consulem furtim uenit ac praemium petiuit et, si de praemio conueniret, promisit regem uenenis necare; idque facile esse factu dixit, quoniam filius suus pocula in conuiuio regi ministraret.

---

40. 41. *Valerium Antiatem ex eis scriptoribus, qui aetatem tulerint, nemo esse secutus uidetur praeter Maximum (VI* 5, 1 *cf. Mommsen Herm. I p.* 210 *not.), Claudium Plutarchus (uel ut adcuratius dicam Dionysius, ex quo sua sumpsit Plut., cf. Quellen d. Plut. p.* 71) *Pyrrh.* 21: μετὰ ταῦτα τοῦ Φαβρικίου τὴν ἀρχὴν παραλαβόντος ἧκεν ἀνὴρ εἰς τὸ στρατόπεδον πρὸς αὐτὸν ἐπιστολὴν κομίζων, ἣν ἔγραψεν ὁ τοῦ βασιλέως ἰατρὸς

36, 1. inde pquãntum rec. *L*[1] aliquanto *F* 1. 2. munita res *LW* munires *F* inuenit ea *scripsi* 2. õms *LWF* que *F* 3. babulum *L*[1]

37, 4. quadriga. in II annali *F* annalibus II *L* 5. qui incrant *F* *post* non *addidit F pr. m.* grauiter potando *V* putando *LWF* pugnando *coni. Gulielm.*

38, 7. quadriga. in II ãna is des. *F* 8. nunciatur *VW*[1]

39, 10. II] I *codex Gruteri* analium *Par. R* conpraehensare *Par. R* compħensare *Sangall.* conprensare *Halberst.*[2] sauiare *Krehlius.* seuire *Par. R Bern. Halberst. Gruter. Karol.* saeuire *Bamb. Sangall.*

40, 11. pirrus *VR* ħitalia *R* 13. desciuiss3 *P* deciuisset *R* ambraciënisis *R* 14. quispiam regis timochares pirri *P* pyrrhi (i *ex corr. in ras. duarum litt.*, us?) *V* pirri *R* C *om. P* 15. et] ut *VPR emend. Scioppius* 17. filii sui *VR* regi min.] reministrarent *V*

Eam rem Fabricius ad senatum scripsit. senatus ad regem legatos misit mandauitque, ut de Timochare nihil proderent sed monerent, uti rex circumspectius ageret atque a proximorum insidiis salutem tutaretur. Hoc ita, uti diximus, in Valeri Antiatis historia scriptum est. Quadrigarius autem in libro tertio non Timocharem sed Niciam adisse ad consulem scripsit, neque legatos a senatu missos sed a consulibus, et *Pyrrum* populo Romano laudes atque gratias scripsisse captiuosque omnes, quos tum habuit, uestiuisse et reddidisse. **41.** Consules tum fuerunt C. Fabricius et Q. Aemilius. Literas, quas ad regem Pyrrum super ea causa miserunt, Claudius Quadrigarius scripsit fuisse hoc exemplo:

'Consules Romani salutem dicunt Pyrro regi.

Nos pro tuis iniuriis continuis animo tenus commoti inimiciter tecum bellare studemus. sed communis exempli et fidei ergo uisum, ut te saluum uelimus, ut esset quem armis uincere possemus. Ad nos uenit Nicias, familiaris tuus, qui sibi praemium a nobis peteret, si te clam interfecisset. id nos negauimus

---

ἐπαγγελλόμενος φαρμάκοις ἀναιρήσειν τὸν Πύῤῥον, εἰ χάρις αὐτῷ παρ' ἐκείνων ὁμολογηθείη λύσαντι τὸν πόλεμον ἀκινδύνως. Ὁ δὲ Φαβρίκιος δυσχεράνας πρὸς τὴν ἀδικίαν τοῦ ἀνθρώπου καὶ τὸν συνάρχοντα διαθεὶς ὁμοίως ἔπεμψε γράμματα πρὸς τὸν Πύῤῥον κατὰ τάχος φυλάττεσθαι τὴν ἐπιβουλὴν κελεύων. Εἶχε δὲ οὕτως τὰ γεγραμμένα. „Γάιος Φαβρίκιος καὶ Κόιντος Αἰμίλιος ὕπατοι Ῥωμαίων Πύῤῥῳ βασιλεῖ χαίρειν. Οὔτε φίλων εὐτυχὴς ἔοικας εἶναι κριτὴς οὔτε πολεμίων· Γνώσῃ δὲ τὴν πεμφθεῖσαν ἡμῖν ἐπιστολὴν ἀναγνοὺς, ὅτι χρηστοῖς καὶ δικαίοις ἀνδράσι πολεμεῖς, ἀδίκοις δὲ καὶ κακοῖς πιστεύεις. Οὐδὲ γὰρ ταῦτα σῇ χάριτι μηνύομεν, ἀλλ' ὅπως μὴ τὸ σὸν πάθος ἡμῖν διαβολὴν ἐνέγκῃ καὶ δόλῳ δόξωμεν ὡς ἀρετῇ μὴ δυνάμενοι κατεργάσασθαι τὸν πόλεμον". Ἐντυχὼν τούτοις τοῖς γράμμασιν ὁ Πύῤῥος καὶ τὴν ἐπιβουλὴν ἐξελέγξας τὸν μὲν ἰατρὸν ἐκόλασε, Φαβρικίῳ δὲ καὶ Ῥωμαίοις ἀμοιβὴν ἐδωρεῖτο προῖκα τοὺς αἰχμαλώτους καὶ πάλιν

---

2. nichil *VR* ḍproderent *R* 3. circumspectacịus *R* 4. ualerianciatis *V* ualeriantianis *P* 5. tcio *VPR* 6. timorēcharem *V* nitiã *P* 7. ad senatũ (d *ex* t *corr.*) *R* missus *V ante corr.* Pyrrum *addidit Hertz* regem *uulg. inseritur* pop. Rom.] p. r. *R*

41, 10. Q.] q̃ *PVR* emilius *V* pirrum *V* ea causa] earca *R* 12. pirro *VR* 13. tenui *VRP* strenui *uulg.* tenus *Gronou.* 13. 14. inimiciciter *V* 15. ergo *P*[1] uigore *P a m. rec.* ut te] *P* uite *V* uitạe *R* 16. possimus *VRP* famiaris *R* 17. interfạecisset *R* negamus *VRP*

uelle, neue ob eam rem quicquam commodi expectaret, et simul uisum est, ut te certiorem faceremus, ne quid eius modi, si accidisset, nostro consilio ciuitates putarent factum, et, quod nobis non placet, pretio aut praemio aut dolis pugnare. Tu nisi caues, iacebis'.

42. *Gell. III* 7, 21 Claudius autem Quadrigarius annalis tertio non Caedicio nomen fuisse ait sed Laberio. 258/496

43. *Gell. I* 7, 9 In Claudi quoque Quadrigarii tertio annali 258/496

ἔπεμψε τὸν Κινέαν διαπραξόμενον αὐτῷ τὴν εἰρήνην. et Zonar. VIII 5 *p.* 121 *Bonn. Ἤδη δὲ τῶν ῥηθέντων ὑπάτων ἐν τῷ στρατεύματι ὄντων Νικίας τις τῶν Πύῤῥῳ πιστῶν δοκούντων ἦλθε πρὸς τὸν Φαβρίκιον καὶ ὑπέσχετο αὐτῷ τὸν Πύῤῥον δολοφονήσειν. δυσχεράνας οὖν ἐπὶ τούτῳ ἐκεῖνος (ἀρετῇ γὰρ καὶ ταῖς δυνάμεσιν ἠξίου τῶν πολεμίων κρατεῖν ὡς ὁ Κάμιλλος) κατεμήνυσε τῷ Πύῤῥῳ τὸ ἐπιβούλευμα. καὶ οὕτως αὐτὸν ἐκ τούτου κατέπληξεν, ὥστε καὶ τοὺς ἑαλωκότας τῶν Ῥωμαίων προῖκα αὖθις ἀφεῖναι καὶ πρέσβεις πάλιν ὑπὲρ εἰρήνης ἀποστεῖλαι. Similia Liuius, quocum consentiunt Cicero de offic. III* 22, 86 *et Senec. ep.* 120, 6 *(XX* 3*), narrasse uidetur (perioch. XIII*: cum C. Fabricio consuli is, qui ad eum a Pyrrho transfugerat, polliceretur, uenenum se regi daturum, cum indicio ad regem remissus est, *cf.* 24, 45, 3. 42, 47, 6. *Flor. I* 13 [18] 21. *Eutrop. II* 14, *quibus tamen locis proditoris nomen omissum est). utramque narrationem et Claudii et Valerii contaminasse uidetur Aelianus (uar. hist. XII* 33*), qui Niciam medicum (nam quod Cineam eum appellat, error is est aut ipsius Aeliani aut librariorum) ad senatum scripsisse rettulit.*

42. *De re uid. fragm. Caton. orig. fr.* 83. *et Frontin. I* 5, 15 *(quo de loco ad uerbum descripsit is qui librum quartum postea addidit IIII* 5, 10): Idem fecit sub Atilio Calatino consule is, cuius uarie traditur nomen: alii Laberium, nonnulli Q. Caedicium [*sic Cato*], plurimi Calpurnium Flammam [*sic Liu. per. XVII. XXI* 60, 11 *et qui eum secuntur Oros. IIII* 8. *Flor. I* 18 *(II* 2*)*, 12. *Zon. VIII* 12. *Plin. XXII* 11. *Aurel. Vict. de uir. ill.* 39, 3] uocitatum scripserunt. Hic cum demissum in eam uallem uideret exercitum, cuius latera omnia superiora hostis insederat, depoposcit et accepit a consule trecentos milites: quos adhortatus ut uirtute sua exercitum seruarent, in mediam uallem decucurrit. et ad obprimendos eos undique descendit hostis longoque et aspero proelio retentus occasionem consuli ad extrahendum exercitum dedit.

43. *Ad eandem rem pertinere ad quam fr.* 42 *iam ab aliis perspectum est; sunt uerba Laberii tribuni, quibus salutis uiam demonstrat Atilio Calatino consuli. uid. Caton. fr.* 83 *p.* 75, 6: Censeo, inquit, si rem seruare uis, faciun-

---

1. exteptaret *R superscr.* c *sup.* p. 4. precio *P* pugnare ∗ *V* 5. tacehis *V ante corr.*

42, 6. annał. *R* 7. tercio *VRP* cedicio *R* cecidio *P* lauerio *VRP*

43, 8. Claudi *A* cl *s.* c̀l *VPR excerpta Scioppii codd. rec.* centesimo quinquagesimo *(tum* tertio *om.) ex Busl. Carrio Steph.* Q *uel* Qu. *codd. rec. et edd. uet.* annali] *A* annali libro *VP codd. rec.* annalib bro *R* annalium libro *codd. rec.*

uerba haec esse dixit [*amicus Gellii, homo lectione multa exercitus*]: Dum i conciderentur, hostium copias ibi occupatas futurum.

44. *Gell. I* 16, 1 Quadrigarius in tertio annalium ita scripsit: Ibi occiditur mille hominum.

45. *Macrob. sat. I* 4, 18 Claudius etiam Quadrigarius annali tertio: Senatus autem de nocte conuenire, noctu multa domum dimitti.

46. *Non. s. u. delectare p.* 97 Quadrigarius annalium lib. III: Fabius de nocte coepit hostibus castra simulare obpugnare, eum hostem delectare, dum collega id caperet quod captabat.

47. *Non. s. u. potestur p.* 508 Quadrigarius annali lib. III: Adeo memorari uix potestur, ut omnes simul suum quisque negotium adorti essent.

48. *Non. s. u. praeclariter p.* 516 Quadrigarius annali lib. III: Et ita rebus praeclariter gestis Romam reuerterunt.

49. *Priscian. VI p.* 697 *P.* 232 *H.* Claudius in III historiarum: Vt uiderent † ne respueret uerminaret litteris addiualis, quod uerminatum ne ad cancer peruenerit.

---

dum, ut quadringentos aliquos milites ad uerrucam illam — ire iubeas, eamque uti occupent, imperes horterisque; hostes profecto ubi id uiderint, fortissimus quisque et promptissimus ad occursandum pugnandumque in eos praeuertentur unoque illo negotio sese adligabunt, atque illi omnes quadringenti procul dubio obtruncabuntur.

44. *Ex Gellio hoc fragmentum ad uerbum descripsit Macrob. sat. I* 5, 6.

45. *cf. supra p. CCLXXXXVI not.* 2.

---

2. dum ii *codd. rec.* idum i *A* dum hii *VPR* dum hi *V a man. rec.* concideretur *R* copia sibi *P* copia tibi *R in* ibi oc *desinit A.*

45, 7. dimitti] do demitti P^1 do *postea deletum*

46, 9. denocte *L W* oppugnare L^2 *in W post* eum *una litt. eras.* 10. cum (*uel* ut) hostem delectaret *conieci.*

47, 11. liber *W* 12. potestur *F (uid. lemma)* potest *L V W* suum] sunt *libri.* quisq: *L V*

48, 14. quadriga. in III anna. *F* 15. reuertẽr *W*

49, 17. respuerorum *Caroliruh. alter* uermiaret (*suprascripto* N) *Paris. R* minaret (*ante* m *suprascripto* u *pro littera erasa*) *cod. Gruteri* litteris *Sangall.* haddiualis *Bamberg.* adiualis *Halberst.* litteris addiualis] lateris ulcus in alis *Casaub. ad Suet. Claud.* 41. Clandius III historiarum litteris ad senatum: ut uiderent ne res sinerent (*uel* paterentur) uerminare; quod uermi-

LIB. IIII

50. *Non. s. u. alternatim p.* 76 Quadrigarius annalibus lib. IIII: Item gaudium atque aegritudinem alternatim sequi.

51. *Non. s. u. urgere p.* 418 Quadrigarius annali lib. IIII: Sed circiter horas duas graui proelio urserunt; deinde in fugam sunt coniecti.

52. *Seru. ad Verg. Georg. I* 135 Quadrigarius quarto: Inter uenas saxi.

LIB. V

53. *Gell. V* 17, 5 Nihil nos super ea re [*ante diem quoque quartum kalendas uel nonas uel idus tamquam inominalem diem a plerisque uitari*] scriptum inuenimus, nisi quod Q. Claudius annalium quinto cladem illam pugnae Cannensis uastissimam factam dicit ante diem quartum nonas Sextiles. 216/538

54. *Non. s. u. cohortarent p.* 472 Quadrigarius annalium lib. V: Et dicerent castra facta esse atque hos cohortarent, uti maturarent.

---

53. *Ad uerbum descripsit Macrob. sat. I* 16, 26.

54. *Nisi audacius est numerum corruptum existimare, refero haec uerba ad inpetum ab Hannibale in castra Romanorum, qui Capuam obsidebant, factum* a. 211. 543: fraudem quoque super tumultum adiectam inmissis ab Hannibale, qui habitu Italico gnari Latinae linguae iuberent consulum uerbis, quoniam amissa castra essent, pro se quemque militum in proxumos montis fugere: sed eam celeriter cognitam fraudem oppressamque magna caede hostium; elephantos igni e castris ex-

---

natum, ne ad cancer perueniret *I. F. Gronouius ad Suet. l. l.* ne respueret uerminare ad ulceris (ulceris ad *censor Krehlii Ienensis*) cliua, cis quod uerminatum ne ad cancer peruenerit *God. Hermann apud Krehlium.* ne res publica uerminaret literis adulatis, quod uerminatum ne ad cancer perueniret *M. Hertz. ego desperaui de probabili huius fragmenti emendatione.*

50, 2. alternatum *W*

51, 3. annali] arena *L* 4. oras *L*

52. *Ex Thilonis libris solus Vossianus saec. X seruauit.*

53, 10. quod Q.] q̄ qd *V* quod q̃ *R* qd' ∗ (q; *eras.*) *P* 11. 12. uatissimam *R* 12. Sextilis *Par. Macrobii.*

54, 13. quadraginarius *W*[1], 14. ducerent *F* capta *Mercer.* adque *L*[1] hos] os *W*

55. *Non. s. u. cohortarent p.* 475 Quadrigarius annali lib. V: Is ubi Dacium cognouit et patria eum recordauit.

LIB. VI

56. *Prisc. X. p.* 906 *P.* 541 *H.* Quadrigarius in VI annali: Artorius Taureae dextrum umerum sauciat atque ita resiluit.

213/541 **57.** *Gell. n. Att. II* 2, 13 Posuimus igitur uerba ipsa Quadrigarii ex annali eius sexto transscripta: Deinde facti consules Sempronius Gracchus iterum, Q. Fabius Maximus, filius eius, qui

---

actos. *Liu. XXVI* 6. τοὺς δὲ ῥωμαΐζοντας βοᾶν ὅτι Φούλουιος ὁ Ῥωμαίων στρατηγὸς κελεύει τὸ στρατόπεδον ἐκλιπόντας ἐπὶ τὸν ἐγγὺς λόφον ἀναπηδᾶν. τόδε μὲν ἦν τὸ στρατήγημα τοῦ Ἀννίβου καὶ τούτων τὰ μὲν πρῶτα πάντα κατὰ νοῦν ἀπήντησεν. *App. Hann.* 41. *Quae coniectura si uera est, libro sexto hoc fragmentum esse adsignandum, fortasse coniungendum est cum fragm.* 58: Paene factum est, quin castra relinquerent atque cederent hosti.

55. *Dacii nusquam, quod sciam, in rebus horum annorum mentio fit, quam ob rem Decii nomen latere suspicatus est Augustinus, Dasii Roth (ad Non. l. s.). Dasii complures nobis occurrunt apud Liuium in eis qui huc pertinent libris (XXI* 48 *a.* 218. 536. *XXIIII* 45 *sq. a.* 213. 541. *XXVI* 38 [*ex eo Valer. Max. III* 8, 1; *cf. Appian. Hann.* 45] *a.* 210. 544), *Decius unus, Capuanus, ex gente Magiorum, qui ob constantem in Romanos fidem ab Hannibale uinctus et in Africam missus, sed tempestate Cyrenas delatus et a Ptolemaeo seruatus est* (*Liu. XXIII* 7, 4—10. *a.* 216. 536).

56. *Claudii Aselli Romani et Taureae Campani certamen a.* 215. 539 *fuse narrant Liuius XXIII* 46 *et* 47 *et Appian. Hann.* 37, *ex quo tamen Taurea saluus cito equo aufugit. Aliud certamen simillimum T. Quinctii Crispini Romani et Badii Campani extat apud Liuium XXV* 18 *(unde sua descripsit Valer. Max. V* 1, 3 *sed parum adcurate); in hoc, quod conmissum est anno* 212. 542, Crispinus supra scutum sinistrum umerum Badio hasta transfixit superque delapsum cum uulnere ex equo desiluit, ut pedes iacentem conficeret. Badius priusquam opprimeretur, parma atque equo relicto ad suos aufugit. *nomina igitur magis faciunt cum Liuio XXIII* 46, *res cum Liu. XXV* 18. *cf. Weissenborn ad Liu. XXV* 18, 3.

57. *cf. Liu. XXIIII* 43: creati consules ambo praesentes Q. Fabius Maximus consulis filius et Ti. Sempronius Gracchus iterum. —

55, 1. lib. III *W numerus deest in F* 2. subi L^1 is ubi L^2 Decium *Augustinus* Dasium *Roth.* patriae *coni. Iun.*

56, 4. taurea *Par. R* taurę̨ *D* taurae *Sangall. cod. Gruteri Carolir.* humerum *Bamb. Bern. Halb. Grut.* saucia *Sangall. Carol.* sacucia *Gruter.* resiliuit *ex corr. Halberst.*[2]

57, 5. 6. cadrigrii (*supr. g script.* a) *R* 6. annalib' *R* consul ēēm pronius *P* 7. graccus *VP* iterum, Q] iterumq; *siue* iterumque *libri.* qui *om. R*

priore anno erat consul. Ei consuli pater proconsul obuiam in equo uehens uenit neque descendere uoluit, quod pater erat, et, quod inter eos sciebant maxima concordia conuenire, lictores non ausi sunt descendere iubere. ubi iuxta uenit, tum consul ait: 'Quid postea'? lictor ille, qui apparebat, cito intellexit, Maximum proconsulem descendere iussit. Fabius inperio paret et filium conlaudauit, cum inperium, quod populi esset, retineret.

58. *Gell. XVII* 13, 6 Item in sexto annali eiusdem [*Quadrigarii*] uerba haec sunt: Paene factum est, quin castra relinquerent atque cederent hosti.

59. *Non. s. u. censere p.* 267 Quadrigarius annali lib. VI: Ne nos ad certationem censeas haec incepisse.

60. *Non. s. u. aliquantisper p.* 511 Quadrigarius annali lib. VI: Aliquantisper pugnato nihil promouet Poenus.

LIB. VII

61. *Nonius s. u. habentia p.* 119 Libro septimo Claudius: Animos eorum habentia inflarat.

---

(44) pater filio legatus ad Suessulam in castra uenit. cum obuiam filius progrederetur, lictoresque uerecundia maiestatis eius taciti anteirent, praeter undecim fasces equo praeuectus senex, ut consul animaduertere proximum lictorem iussit, et ut is, descenderet ex equo, inclamauit, tum demum desiliens 'experiri' inquit 'uolui, fili, satin scires consulem te esse'. *(ex Liuio Valerius Max. II* 2, 4 *qui tamen falso illud ad Suessam accidisse dicit.) pluribus uerbis exornat Plut. Fab.* 24.

58. *Vide quae adnotauimus ad fr.* 54.

61. *Vid. supra p. CCCIIII.*

---

1. ei consuli pater] ei ospat *R* obuiam *om. R* 3. sciebat *Vrb.* 4. sunt ausi *Vrb.* iubere ubi *V* 5. quid postea *VPR Iac. Gron. (interrogationis notam addidit Hertz.)* quod postea *codd. rec.* tum consul ait: descendere iube. quod posteaquam lictor *in edit. Gron.* Tum consul ait quid postea lictori illi qui apparebat. Cito intellexit. Maximum *I. Gron.* cito] *an* dictum? 6. iusit *R*

58, 8. annalii *L* annalium R^2 9. pene *pφmga* 9. 10. reliquerent *L* 10. hosti *om. R*

59, 12. certatione L^1 hec *WF* incoepisse *F*

60, 13. quadriga. in annali. li. I *F* annali bib W^1 14. pugno *V* pugnare *F*

61, 15. VII *V W* 16. animus L^1 habentia *om. W* inflaret *W*

197/557 **62***. *Liu. XXXIII* 10, 7: Caesa eo die [*pugna ad Cynoscephalas*] octo hostium milia, quinque capta. ex uictoribus septingenti ferme ceciderunt. — — Claudius quoque duo et triginta milia hostium caesa scribit, capta quattuor milia et trecentos.

196/558 **63***. *Liu. XXXIII* 30 Paucos post dies decem legati ab Roma uenerunt, quorum ex consilio pax data Philippo in has leges est, — ne plus quinque milia armatorum haberet neue elephantum ullum. bellum extra Macedoniae fines ne iniussu senatus gereret. — Valerius Antias quaternum milium pondo argenti uectigal in decem annos inpositum regi tradit; Claudius in annos XXX quaterna milia pondo et ducena, *in* praesens XX milia pondo. idem nominatim adiectum scribit, ne cum Eumene Attali filio (nouus is tum rex erat) bellum gereret. in haec obsides accepti, inter quos Demetrius Philippi filius.

---

62. *Ex Liuio Oros. IIII* 20. *cf. uersus quosdam ab Alcaeo poeta de clade illa Macedonum conpositos apud Plut. Flam.* 9: *Ἄκλαυστοι καὶ ἄθαπτοι, ὁδοιπόρε, τῷδ' ἐπὶ νώτῳ | Θεσσαλίας τρισσαὶ κείμεθα μυριάδες | Αἰτωλῶν δμηθέντες ὑπ' Ἄρεος ἠδὲ Λατίνων. quibus haec addit Plut.*: *Τοῦτο ἐποίησε μὲν Ἀλκαῖος ἐφυβρίζων Φιλίππῳ καὶ τὸν ἀριθμὸν τῶν ἀποθανόντων ἐπιψευσάμενος. numeros Claudii etiam ductos esse ex hisce uersibus perperam intellectis suspicatur Lachmann de font. Liu. II p.* 23. *Etiam Valerii numeros (fr.* 32) *adscripsit Liuius, secutus tamen est Polybii auctoritatem.*

63. *Pacis condiciones, quas hoc capite Liuius tradit, ex Polybio (XVIII* 27 [44 *Dind.*]) *sunt exceptis duabus*: ne plus quinque milia armatorum habere neue elephantum ullum *et* bellum extra Macedoniae fines ne iniussu senatus gereret, *quas, cum ex Claudio aut Valerio (fr.* 33) *Liuium sumpsisse ueri simile sit, supra adscripsi. cf. Nissen, Untersuch. p.* 145 *Ceterum quas Polybius omiserat, addidit ex annalibus Liuius, etiam Zonar. VIIII* 16 *p.* 252 *habet*: *καὶ τοὺς ἐλέφαντας τάς τε τριήρεις πλὴν πέντε καὶ τῆς στρατηγίδος αὐτῆς οὔσης ἑκκαιδεκήρους, καὶ χρήματα τὰ μὲν αὐτίκα δοῦναι, τὰ δὲ καὶ ἐν τάξεσί τισι, καὶ μόνης τῆς Μακεδονίας βασιλεύειν, μὴ πλείους τ' ἔχειν στρατιώτας τῶν πεντακισχιλίων, μήτε πόλεμον ἔξω τῆς ἑαυτοῦ χώρας ποιεῖσθαί τινι. cf. adnot. ad Val. Ant. fr.* 33.

62, 3. duo et XXX milia *Bamberg.* 4. scribi *Bamb.* capta IIII. et ccc *Bamb.*

63, 7. ne plus V milia armentorum habere *Bamberg.* ne plus quingentis armatorum haberet *Mogunt. Zonar. VIIII* 16 *facit cum Bamb.* 10. regit *Bamb.* in decem annos — in annos XXX] *pro his Mogunt. exhibuit* in decem annos triginta. 11. ducentum *Bamb.* ducenta *Mogunt.* ducena *Weissenborn* XX pondo *Bamb.* in *add. Maduig* 12. ne cum Eumene] cum ne cū eni *Bamb.*[1] ne cum *Bamb.*[2] nec cum Eumene *Mogunt.*

64*. *Liu. XXXIII* 36, 13: In eo praelio [*quod Marcellus ad Comum contra Insubres et Comenses commisit*] supra XL milia hominum caesa Valerius Antias scribit; octingenta septem signa militaria capta et carpenta DCCXXXII et aureos torques multos, ex quibus unum magni ponderis Claudius in Capitolio Ioui donum in aede positum scribit. 196/558

65*. *Liu. XXXVIII* 41, 11 Mitiores Thraecas idem exercitus [*Cn. Manli*], cum a Scipione eadem uia duceretur, habuerat, nullam ob aliam causam quam quod praedae minus, quod peteretur, fuerat. quamquam tunc quoque Claudius auctor est ad quindecim milia Thraecum praecedenti ad exploranda loca agmen Muttini Numidae obcurrisse. quadringentos equites fuisse Numidas, paucos elephantos; Muttinis filium per medios hostes cum centum quinquaginta delectis equitibus perrupisse; eundem mox, cum iam Muttines in medio elephantis locatis, in cornua equitibus dispositis manum cum hoste conseruisset, terrorem ab tergo praebuisse, atque inde turbatos equestri uelut procella hostis ad peditum agmen non accessisse. 190/564

66*. *Liu. XXXVIII* 23, 6: Numerus interfectorum [*Gallorum in Olympo monte a Cn. Manlio consule*] haud facile iniri potuit, 189/565

---

64. *Omnia quae narrat Liuius c.* 36, 4—37 *de rebus a Marcello Furioque consulibus in Gallia gestis, ex Claudio Valerioque hausta esse etiam Nissenio (p.* 149 *sq.) uidentur, neque est dubium, quin hosce in animo habuerit, cum cap.* 36 *extr. haec scriberet:* id quoque inter scriptores ambigitur, utrum in Boios prius an in Insubres consul exercitum duxerit aduersamque prospera pugna oblitterauerit, an uictoria ad Comum parta deformata clade in Bois accepta sit.

65. *Falso hoc fragm. a Krausio ad annum* 188. 566, *quo Cn. Manlius cos. a.* 189. 565 *ex Asia in Italiam rediit, relatum et ab eo et Rothio post fr.* 66 *positum est; pertinet enim res a Claudio relata non ad Manlii sed ad Scipionis iter. Quae post uerba supra transcripta et ante ea a Liuio exposita sunt, ex Polybio originem ducunt. cf. Nissen p.* 210.

66. *Sola haec uerba Polybio uerso Liuium addidisse ex annalibus recte existumat Nissen p.* 204; *in numero captiuorum cum Liuio consentit Appianus Syr.* 42, *qui in his libris permultum Polybio usus est. cf. Valer. fr.* 44 *c. adnot.*

---

64. *uid. comm. ad Valer. fr.* 34.

65, 7. Threcas *Bamb.* 11. Threcum *Bamb.* praecedentia *Bamb.* 13. hosteis *(Mogunt.?)* hostium *Bamb.* 14. quinquaginta *om. Bamb.* 15. Muttinis *Bamb.* 16. conseruisse *Bamb.*

quia late per omnis amfractus montium fugaque et caedes fuit, et magna pars rupibus inuiis in profundae altitudinis conualles delapsa est, pars in siluis uepribusque occisa. Claudius, qui bis pugnatum in Olympo monte scribit, ad quadraginta milia hominum auctor est caesa, Valerius Antias, qui magis inmodicus in numero augendo esse solet, non plus decem milia. numerus captiuorum haud dubie milia quadraginta expleuit, quia omnis generis aetatisque turbam secum traxerant demigrantium magis
169 quam in bellum euntium modo.

585 **67***. *Liu. XXXXIIII* 14, 8 Rhodi superbe commemoratis *meritis suis* erga populum Romanum et paene uictoriae, utique de Antiocho rege, maiore parte ad se uindicata, adiecerunt, cum pax inter Macedonas Romanosque esset, sibi amicitiam cum rege Perseo coeptam; eam se inuitos, nullo eius in se merito, quoniam ita Romanis uisum sit in societatem se belli trahere, interrupisse, tertium se annum multa eius incommoda belli sentire. mari enim intercluso inopia insulam † inopem miss . . . . . . ritimisiuu. r colendi itaque commeatibus. cum id ultra pati non possent, legatos alios ad Persea in Macedoniam misisse, qui ei denuntiarent,

67. *De re cf. Nissen p.* 261 *et Weissenborn a. h. l., qui iure num fides Claudio sit habenda, multum dubitant; Polybius (XXVIII* 14*) alia de oratione, quam Rhodii hoc anno habuissent, rettulerat. Quae u. s. transcriptis adnectitur a Liuio narratio aliorum, fortasse Valerii Antiatis est (Nissen p.* 261*).*

66, 1. per omnis] *Mogunt.* romanis *Bamb.* anfractus *Bamb.* 2. ualles *Bamb.* 5. inmodicus *om. Bamb. add. Mogunt.* 7. quadraginta *om. Bamb.*

67, 10. rodi *Laur.* commoratis *Laur.* 11. meritis suis *add. Weissenborn* 12. anthioco *Laur.* a *Laur.* ad *Sigon.* 13. sibi maceamicitiam *Laur.* 17. mari interimincluso inopiam insulam | inopem miss . . . . . . ritimis *(litt.* r *partem tantum legit Maduig)* iuu (iuu . r *legit Vahlen*) . . . colendi *et q. s. Lauresh.* insulam sterilem premi amissisque maritimis iuu . . colendi itaque c. *Weissenborn plerumque sequens uet. edd., quae sic exhibent:* mari intercluso inopia insulam premi, amissis mar. uectigalibus atque commeatibus. — sentire mari interim intercluso. inopem insulam mess[ium ma]ritimis iuuari commerciis atque commeatibus *M. Seyffert in Iahn. ann.* 83 *p.* 839 inopem insulam esse suam; maritimis uiuere incolentes commeatibus. Itaque cum — *Maduig.* 18. parti *Laur.*

Rhodis placere pacem cum conponere cum Romanis; se Romam eadem nuntiatum missos. per quos stetisset, quo minus belli finis fieret, aduersus eos quid sibi faciendum esset, Rhodios consideraturos esse. *ne* nunc quidem haec sine indignatione legi audiriue posse certum habeo. inde existimari potest, qui habitus animorum audientibus ea patribus fuerit. Claudius nihil responsum auctor est, tantum senatus consultum recitatum, quo Caras et Lycios liberos esse iuberet populus Romanus, litterasque extemplo ad utramque gentem *ut id* sciret indicatum mitti; qua audita re principem legationis, cuius magniloquentiam uix curia paulo ante ceperat, corruisse.

LIB. VIII

68*. *Oros. V* 3 *p.* 289 *Hau.* Cum Metellus praetor Achaeos 146/608 Boeotiosque coniunctos duobus bellis, hoc est primum apud Thermopylas, iterum in Phocide uicisset, quorum priore bello occisa esse XX milia, secundo septem milia caesa Claudius historicus refert, — — igitur post extincta totius Achaiae praesidia, destitutarum euersionem urbium Metello praetore meditante, consul Mummius repentinus cum paucis uenit in castra, qui dimisso statim Metello Corinthum sine mora expugnauit.

69*. *Oros. V* 4 *p.* 292 *Hau.* Eodem tempore trecenti Lu- 146/608 sitani cum mille Romanis in quodam saltu contraxere pugnam, in qua LXX Lusitanos, Romanos autem CCCXX cecidisse

---

68. 69. *Orosius sua sumpsit ex Liuio, uid. Moerner de Oros. uit. p.* 123. *cf. Valer. fr.* 56. — *Hertzberg hist. Graec. I p.* 266 *sq.*

---

1. rodis *Laur.* romaniseromam *Laur.* 2. quostetisset *Laur.* 3. quissibi *Laur.* rodios *Laur.* 4. esse nunc *Laur.* audiériue *Laur.* 5. quiâ *Laur.* 9. gentemsciret (saret *teste Vahlen.*) *Laur. em. Sigon. et Weissenborn* ut sciret iudicatum, *Maduig* ut sciret id decretum, *A. Koch.* s. c. indicatum *Vahlen* 10. magniloquentia | uix curiam *Laur.*

68, 13. boetiosque *Laur. Rehdig.*[2] beotiosque *Portens.* byotiosque *Rehd.*[1] Boeotosque *uulg.* primum *Laur.* primo *uulg.* 14. in phocideuicisset *Laur.* in focis deuicisset *Port.* cum focis deuicisset *Rehdig.* in Phocaeis uic. *uulg.* 15. claudicus *Port.*

69, 22. in qua. LXX mil. lusitanos a romanos *Laur. an* e Romanis?

Claudius refert, et cum uictores Lusitani sparsi ac securi abirent, unus ex his longe a ceteris segregatus, cum a circumfusis equitibus pedes ipse deprehensus unius eorum equo lancea perfosso, ipsius equitis ad unum gladii ictum caput desecuisset, ita omnes metu perculit, ut prospectantibus cunctis ipse contemptim atque otiosus abscederet.

70. *Gell. XVII* 13, 5 Praeterea animaduertimus Quadrigarium in octauo annalium particula ista [*quin*] usum esse obscurissime. uerba ipsius posuimus: Romam uenit, uix superat, quin triumphus decernatur.

71. *Diomed. I* 378 *P. p.* 383 *K.* Claudius octauo historiarum: Flacco ospicatur.

72. *Nonius s. u. murmurari p.* 478: Quadrigarius annali lib. VIII: In eo loco populus murmurari coepit.

LIB. VIIII

(137/617) **73.** *Priscian. VII p.* 867 *P.* 347 *H.* Claudius — in eodem [*VIIII annali*]: Vbi decreuerunt, commemorant Graccho, foedus prior Pompeianum non esse seruatum.

---

70. *De Aemilio Paulo* (*a.* 147. 597) *cogitat Krause conlato Liuio XXXXV* 35; *potuit tamen idem de aliis imperatoribus dici.*

71. *Popma refert ad Q. Fuluium Flaccum, qui cum imperio in Hispania fuit et Celtiberos debellauit, sed res prorsus incerta. — cf. supra p. CCCIIII.*

73. *Videtur esse sermo de altero foedere inter Romanos Numantinosque icto, de quo cum a Graccho Mancini quaestore cum Numantinis ageretur, prioris illius foederis Pompeii consulis, quod populus Romanus infirmauerat, Numantinos mentionem iniecisse ueri est simillimum. cf. Liu. per.* 54: Q. Pompeius consul (*a.* 141. 613) in Hispania Termestinos subegit. cum isdem et Numantinis pacem ab infirmitate (a populo Rom. infirmatam

---

1. cladius (v *sup.* a *scr.*) *Rehd.* cum circumf. (*om.* a) *uulg.* a *exhibent Laur. Portens. Rehd.* 3. pedestris *Port. Rehd.* deprachensus *Laurent.* unius *om. Laur. praebent cod. Donaueschiny. et Vindobonensis* 3800. lacia *Rehd.*[1]

70, 10. thumphus (i *sup.* t *script.*) *L*

71, 12. flacco *Paris. AB et codex Scioppii* flaccio *Mon. om. uulg.* ospicatur *A et codex Scioppii* hospicatur *B uulg.* sospicatur *Mb.*

73, 15. idem in eodem *Gruterianus* 16. graecho *Par. R* gracco *Gruterianus Par. R*[2] gracho *Bamb. Sangall. Carolir.* graco *Halberst.* fedus *Bernens.* 17. Pompianum *Carolir.*

74. *Prisc. VII p.* 767 *P.* 347 *H.* Claudius in VIIII annali: Qui prior bellum, quod cum his gestum erat, meminissent.

75*. *Lactant. in schol. ad Stat. Theb. VIII* 1 Claudius: heri recedens uesperi Numantinis incidit.

LIB. XIII

76. *Gell. XIII* 29 (28), 1 Verba sunt Claudii Quadrigarii ex annalium eius XIII: Contione dimissa Metellus in Capitolium uenit cum mortalibus multis. inde domum proficiscitur, tota ciuitas eum reduxit. 99/655

LIB. XV

77. *Diomed. I p.* 379 *P.* 383 *K.* Claudius annalium quinto decimo: Grundibat grauiter pecus suillum.

Gronou.) fecit. *Oros. V* 4: Mancinus consul, postquam a Popillio apud Numantiam suscepit exercitum, adeo infeliciter proelia cuncta gessit atque in id suprema desperatione perductus est, ut turpissimum foedus cum Numantinis facere cogeretur, quamuis et Pompeius iam aliud aeque infame foedus cum iisdem Numantinis paulo ante pepigisset. *cf. Val. Ant. fr.* 57.

74. *An ex eadem narratione ex qua fr.* 73 *depromptum?*

76. *Q. Caecilium Metellum Numidicum dictum esse recte intellexit Popma. cf. Liu. perioch.* 69: Q. Caecilius Metellus ab exilio ingenti totius ciuitatis fauore reductus est. *App. b. c. I* 33: *Μετέλλῳ δ' ἡ κάθοδος ἐδόθη, καί φασιν αὐτῷ τὴν ἡμέραν οὐκ ἀρκέσαι περὶ τὰς πύλας δεξιουμένῳ τοὺς ἀπαντῶντας.*

77. *Idem fragm. sed corruptum seruauit Non. s. u. grundire p.* 465. *cf. supra p. CCCIIII.*

74, 1. annalium *Par. B*[2] 2. qui *Halberst.*[2] *in litura* meminisset *Halberst.*

75, 3. Herius *Roth.*

76, 5. claudi^{i} *φ* claudi *mgao* 7. cum mortalibus multis *Hertz cum LRpφgmao* cum multis mort. *ceteri libri Hertzi* inde dom.] *sic Hertz cum LRpmaφo* cum *post* inde *addunt ceteri eius libri.*

77, 9. Claudius lib. XVI agni: *Nonii libri praeter F, qui* XV *exhibet* analium *Paris. A* 10. grandibat *Par. A* pecus suillum *Par. A Par. B*[2] pe*cus s*illum *Par. B*[1] pecus sullum *Monac.* grundibant grumiter pecus suillum *Non. cf. Hertz in Iahni ann.* 1862 *p.* 780.

LIB. XVI

78. *Non. s. u. hinnibunde p.* 122 Claudius annalibus libro XVI: Equae hinnibunde inter se spargentes terram calcibus.

LIB. XVIII

79. *Gell. I* 7, 9 In duodeuicesimo annali eiusdem Quadrigarii principium libri sic scriptum: Si pro tua bonitate et nostra uoluntate tibi ualitudo subpetit, est quod speremus, deos bonis bene facturum.

80. *Senec. de benef. III* 23, 2 Claudius Quadrigarius in duodeuicesimo annalium tradit, cum obsideretur Grumentum et iam ad summam desperationem uentum esset, duos seruos ad hostem transfugisse et operae pretium fecisse. deinde urbe capta passim discurrente uictore illos per nota itinera ad domum, in qua seruierant, praecucurrisse et dominam suam ante se egisse. quaerentibus quaenam esset, dominam et quidem crudelissimam ad supplicium ab ipsis duci professos esse. eductam deinde extra muros summa cura celasse, donec hostilis ira consideret. deinde,

---

78. *cf. supra p. CCCIII.*

80. *Cf. Macrob. I* 11, 23: Cum premeret obsidio Grumentum, serui relicta domina ad hostes transfugerunt. Capto deinde oppido impetum in domum habita conspiratione fecerunt et extraxerunt dominam uultu poenam minante ac uoce obuiis adserente, quod tandem sibi data esset copia crudelem dominam puniendi, raptamque quasi ad supplicium obsequiis plenis pietate tutati sunt. — *Popma hanc rem refert ad bellum Marsicum, fortasse ad a.* 89. 665, *quo* A. Gabinius legatus rebus aduersus Lucanos prospere gestis et plurimis oppidis expugnatis in obsidione hostilium castrorum cecidit (*Liu. per.* 76). *cf. Kiene, der röm. Bundesgenossenkrieg p.* 213 *not.* 2.

78, 1. claudibus *F a pr. m.* 2. eq̃; *W* hinnibundę *L* hinnibundae *W* hinnibunde *F (uid. lemma).*

79, 3. duodeuicesimo *VPR (Stephanus)* duodeuigesimo *exc. Scioppii* duodecimo *uel* XII *codd. rec.* 5. subpetit *V* suppetit *PR codd. rec.*

80, 8. duodecimo *cod. Pal. tertius Gruteri* 9. seuos *cod. Rottendorfii* 10. hostes *cod. Trossii.* 12. serui erant *cod. Rottendorfii. cod. Guelferb. I* 13. et quaer. *cod. Rott. cod. Tross.* quaerentibusque quando aut essent *cod. Tross.* 14. ad supplicium *om. cod. Tross.* professus est *cod. Guelf. I* 15. hostilis cura *cod. Tross.*

ut satiatus miles cito ad Romanos mores rediit, illos quoque ad suos redisse et dominam sibi ipsos dedisse. Manumisit utrumque e uestigio illa nec indignata est ab his se uitam accepisse, in quos uitae necisque potestatem habuisset.

LIB. XVIIII

87

81. *Gell. XV* 1, 5 Percontatus ego sum, quid esset illud mirum Quadrigarii. repetit [*Iulianus rhetor*]: In eo igitur libro scriptum inueni, cum obpugnaret L. Sylla in terra Attica Piraeum et contra Archelaus regis Mithridati praefectus ex eo oppido propugnaret, turrim ligneam defendendi gratia structam, cum ex omni latere circumplexa igni foret, ardere non quisse, quod alumine ab Archelao oblita fuisset. Verba Quadrigarii ex eo libro [*undeuicensimo* § 4] haec sunt: Cum Sylla conatus esset tempore magno, eduxit copias, ut Archelai turrim unam, quam ille interposuit, ligneam incenderet. uenit, accessit, ligna subdidit, submouit Graecos, ignem admouit; satis sunt diu conati, numquam quiuerunt incendere; ita Archelaus omnem materiam obleuerat alumine. quod Sylla atque milites mirabantur, et postquam non succendit, reduxit copias. 667 uel 86 668

---

81. *Turres* (κατὰ τὸ τεῖχος) *aedificasse Archelaum contra Sullam etiam Appian. Mithr.* 31 *refert, sed nil de alumine.*

---

1. cito *et* mores *om. cod. Tross.* illosque ad *cod. Tross.* 3. ab eis se *cod. Tross.*

81, 6. quadrigarū *o* 7. silla *Rφ anthol. Thuan.* atica *φ* piracū *R* pyreum *φag anthol. Thuan. Vrsin.* 8. mithridatis *o* (s *a rec. m. add.*) opido *L* 9. ligneam ac def. *R* ligne ac def. *L* lignea def. *a ante corr. anth. Vrsin.* defendi *a* 9. 10. cum ex omni] cum *om. R* ex *om. pga* 10. quisse] quiq; *φ ante corr.* 11. ab Arch.] ab *om. pga* ab Archelao alumine *uulg.* 12. silla *LR anth. Thuan.* 13. tempore magno] opere magno *Lipsius.* impete magno *Gronou. ego quamquam uitium subesse suspicor, prima fragmenti uerba temptare nolui* 14. interposuit] imposuit *pa* inposuit *g* intempe *anthol. Thuan. ante corr.* 15. grecōs *R* (s *in ras.*) grecos *pφa* ammouit *anth. Thuan.* satis *om. L* 16. ita] item *R* ite *a ante corr.* 17. silla *LR anth. Thuan.* 18. redduxit *o.*

87/667 **82.** *Gell. X* 1, 3 Quintum Claudium in libro undeuicesimo C. Marium creatum 'septimo' consulem dixisse.

87/667 **83.** *Gell. XX* 6, 11 Quadrigarius in annali undeuicensimo uerba haec posuit: C. Mari, ecquando te nostrum et rei publicae miserebitur?

82/672 **84*.** *Oros. V* 20 *p.* 348 *Hau.* Syllae etiam et Marii adulescentis maximum tunc proelium apud Sacriportum fuit, in quo de exercitu Marii caesa sunt XXV milia, sicut Claudius scribit.

85. *Gell. VIIII* 1, 1 Quintus Claudius in undeuicesimo annali, cum oppidum a Metello proconsule oppugnari, contra ab oppidanis desuper e muris propugnari describeret, ita scripsit: Sagittarius cum funditore utrimque summo studio spargunt fortissime. sed sagittam atque lapidem deorsum an sursum mittas, hoc interest: nam neutrum potest deorsum uersum recte mitti, sed sursum utrumque optime. quare milites Metelli sauciabantur

---

82. 83. *Pertinere uidentur ad id tempus, quo* Cinna et Marius in urbem recepti sunt; qui uelut captam eam caedibus ac rapinis uastauerunt. — et citra ulla comitia consules in sequentem annum se ipsos renuntiauerunt (*Liu. per.* 80).

84. *Cf. Eutrop. V* 8 *(qui cum Orosio ex eodem fonte i. e. ex Liuio hausisse uidetur):* Sed cum Romae mutati consules essent, Marius, Marii filius, ac Papirius Carbo consulatum accepissent, Sulla contra Marium iuniorem dimicauit et uiginti milibus eius occisis quadringentos de suis perdidit. *Claudius fortasse ipso Sulla usus est, de numero certe hostium occisorum consentit cum eo (fr.* 19 *apud Plut. Sull.* 28*): ἐν ταύτῃ τῇ μάχῃ Σύλλας φησὶν εἰκοσιτρεῖς μόνους ἀποβαλεῖν, ἀποκτεῖναι δὲ τῶν πολεμίων δισμυρίους καὶ λαβεῖν ζῶντας ὀκτακισχιλίους. An etiam qui postea ab Orosio adlati sunt numeri inmensi hostium Sullae, ex Claudio et per eum e Sulla originem ducunt? constat enim eum morem fuisse Sullae (cf. Quellen des Plut. p.* 59*), ut numerum militum suorum interfectorum ridiculum in modum minueret, augeret hostium. atque hic Orosius militum Norbani nouem milia occisa esse refert, Quinctii decem milia, Samnitium ad portam Collinam etiam octoginta.*

85. *Q. Caecilius Metellus Pius (cons.* 80. 674*) pro consule bellum gessit in Hispania contra Sertorium ab anno* 79. 675 *usque ad annum* 72. 682.

82, 2. C. *deest in* *BLφ* creatum consulem septimo cons. *φ* consulem septimo consulem *a*

83, 4. C. Mari] e mari *φ* C. Marii *mo* ecquando] &quando *agmpφo*

84, 6. 7. aduliscentis *Rehd.*[1] 8. XXL milia *Port.*

85, 10. opidum *La* 11. opidanis *R ante corr.* 12. cur fund. *R*[1] fonditore *B* 12. 13. fortissimę *V* 13. amittas *BL* 14. *aut* hoc *aut* nam *delet Gronouius*

multo minus et, quod maxime opus erat, a pinnis hostis defendebant facillime funditores.

86. *Gell. XIII* 30 (29), 7 Praeterea memini, Quadrigarium in undeuicensimo faciem pro statura totiusque corporis figura dixisse.

LIB. XXI

87. *Gell. X* 13, 4 Sed Q. Claudius in uicesimo primo annali insolentius paulo hac figura est ita usus: Enim cum partim copiis hominum adulescentium placentium sibi.

88. *Nonius s. u. auariter p.* 510 Quadrigarius annali lib. XXI: Crudeliter ille, nos misericorditer; auariter ille, nos largiter.

LIB. XXIII

89. *Gell. X* 13, 4 Itemque Claudi in uicesimo tertio annali uerba haec sunt: Sed idcirco me fecisse, quod utrum neglegentia partim magistratum an auaritia an calamitate populi Romani euenisse dicam, nescio.

INCERTAE SEDIS

90. *Gell. V* 21, 6 Velim doceas nos, cur 'pluria' siue

---

86. *Eadem sententia haec uox utitur in fragm.* 10b *libri primi, sed audacius eam ob causam hunc Gellii numerum Mercerius ad Non. p.* 662 *mutat in* primo.

---

1. pennis *RLBgpma* 2. funditore *in Hertzi edit. min. ex libris* funditores *edit. Badian.*

86, 3. quadrigarii *L* 4. undeuicensimo *Hertz cum m* undeuicesimo *Rpφgao* undecimo *ceteri libri Hertzi.*

87, 6. Q] q̃ *RBφ* que *L* in XXI^{o}. *p* 7. partim] ptī *B* 7. 8. copiis] corpus *R* 8. adulescentium *Hertz cum Bpoam* adulescentum *φ* adholescenciū *R* adolescentem *ceteri libri Hertzi.*

88, 10. largimur *libri em. Bentin.*

89, 11. itemque] item.q. *mp* claudius *φ* in XXIII^{o} *p* 12. nec legentia *m* 13. ptī *B* magistratum *Hertz cum BLφmpo* magistratuum *ceteri libri Hertzi* ante auaritia ante cal. *L* an auarina a calamitate *φ (secund.* a *ex corr.)* calami ppti *B* 14. euenisse * * dicam *φ*

'compluria', nihil enim differt, non Latine sed barbare dixerint M. Cato, Q. Claudius, Valerius Antias, L. Aelius, P. Nigidius, M. Varro.

91. *Seru. ad Verg. georg. I* 103: Sane Rubellius Blandus et Quadrigarius historici dicunt, Gargarum flumen uocari in finibus Thurinis. Ad illud fuisse oppidum mediocre, quod Garga nunc uicus est, quem Troes obscuri centum quinquaginta ignoto et incerto duce insederunt, scilicet nomine a uertice Idaeo translato, a quo ciuitas etiam in finibus Troicis Gargara appellatur.

92. *Non. s. u. pedetemtim p.* 29 Quadrigarius annalibus: Exercitu instructo pedetemtim milites ducere coepit.

93. *Non. s. u. congermanescere p.* 90 Quadrigarius annalium: Facite exempla eorum, ut uos cum illis congermanescere sciatur.

94. *Non. s. u. lutum p.* 212 Claudius annalium: Pluuia, imbri, lutus erat multus.

95. *Non. s. u. populat p.* 471 Quadrigarius: Agrum Nolanum populare coeperunt.

96. *Priscian. VIIII p.* 869 *P.* 484 *H.* Claudius: pugna acriter commissa, multis utrimque interitis.

---

90. *Ex Sinnio Capitone has auctoritates translatas esse a Gellio suspicatus est Hertz Sinn. Cap. p.* 17.
91. *cf. Macrob. sat. V* 20.

90, 2. Q.] q̄ *VRP.*
91. *ex Thilonis libris solus Vossianus (saec. X) seruauit.* 8. Idaeo] ideo *Voss.*
93, 14. *an* exemplo? eorum *add.* F^2 germanescere *F* congerminascere *Salmas.*
94, 16. annali IIII: pluuia *Aldin.* pluuiae *Gifan. Vrsin.* pluuio *anonym. ap. Gerlach.* 17. luctus W^1 multis W^1
95, 19. popularet *V* coperunt *W*
96, 21. iacriter *Carolir.* utrĩque *ex* utrũque *corr. Bernens.* utrunque *Bamb.* (*sec. man. sup. alt.* u *scripsit* i) utrunque *Sangall.*

VALERII ANTIATIS ANNALES

EX LIB. I uel II

1*. *Gell. VII (VI) 7, 1* Accae Larentiae et Gaiae Taraciae, siue illa Fufetia est, nomina in antiquis annalibus celebria sunt. earum alterae post mortem, Taraciae autem uiuae amplissimi honores a populo Romano habiti. — Sed Acca Larentia corpus in uulgus dabat pecuniamque emeruerat ex eo quaestu uberem. Ea testamento, ut in Antiatis historia scriptum est, Romulum regem, ut quidam autem alii tradiderunt, populum Romanum bonis suis heredem fecit. ob id meritum a flamine Quirinali sacrificium ei publice fit et dies e nomine eius in fastos additus.

2*. *Dionys. II 13* *Ὄνομα δὲ κοινὸν ἅπαντες οὗτοι ἔσχον Κελέριοι, ὡς μὲν οἱ πλείους γράφουσιν, ἐπὶ τῆς ὀξύτητος τῶν ὑπηρεσιῶν, — ὡς δὲ Οὐαλέριος ὁ Ἀντιεύς φησιν, ἐπὶ τοῦ ἡγεμόνος αὐτῶν τοῦτ' ἔχοντος ὄνομα.*

---

1. *Antiatem presse nemo scriptor secutus est. uid. Caton. fr. 16. Licin. Mac. 1 cum notis. supra p. CCCXVIIII.*

2. *Vid. Seru. ad Aen. XI 603.* Quos Celeres appellauit *(Romulus)* uel a celeritate uel a duce Celere, qui dicitur Remum occidisse, in cuius gratiae uicem a Romulo fieri tribunus equitum meruit. *Hoc loco conparato cum Dionysiano Liebaldt p. 20 etiam quae antea Dionysius de Remo a Celere interfecto narrasset ex Valerio hausta esse (I 87) conclusit:* φασὶ δή τινες συγχωρῆσαι αὐτὸν τῷ Ῥωμύλῳ τὴν ἡγεμονίαν, ἀχθόμενον δὲ καὶ δι' ὀργῆς ἔχοντα τὴν ἀπάτην, ἐπειδὴ κατεσκευάσθη τὸ τεῖχος, φλαῦρον ἀποδεῖξαι τὸ ἔρυμα βουλόμενον ʽἀλλὰ τοῦτό γ' εἰπεῖν, οὐ χαλεπῶς ἄν τις ὑμῖν ὑπερβαίη πολέμιος, ὥσπερ ἐγώ', καὶ αὐτίκα ὑπεραλέσθαι. Κελέριον δέ τινα τῶν ἐπιβεβηκότων τοῦ τείχους, ὃς ἦν ἐπιστάτης τῶν ἔργων ʽἀλλὰ τοῦτόν γε τὸν πολέμιον οὐ χαλεπῶς ἄν τις ἡμῶν ἀμύναιτο' εἰπόντα

1, 4. accalarencia *V (RP hic desunt)* 5. peccuniamque *V* 6. anciatis *V* 7. aliis *V* 8. flammine *V*

2, 10. *post* ἅπαντες *uulgo legebantur* ὃ καὶ οἱ νῦν κατέστησαν. *om. Vrbin.*

3*. *Plut. Rom.* 14 Ἁρπασθῆναι δέ φασιν [θυγατέρας τῶν Σαβίνων] οἱ μὲν τριάκοντα μόνας, ἀφ' ὧν καὶ τὰς φρατρίας ὀνομασθῆναι, Οὐαλλέριος δὲ Ἀντίας ἑπτὰ καὶ εἴκοσι καὶ πεντακοσίας, Ἰόβας δὲ τρεῖς καὶ ὀγδοήκοντα καὶ ἑξακοσίας παρθένους.

EX LIBRO II

4*. *Macrob. sat. I* 4, 7 Iulius Modestus de feriis — 'Antias', inquit 'Agonaliorum repertorem Numam Pompilium refert.

5. *Macrob. sat. I* 13, 20 Antias libro secundo Numam Pompilium sacrorum causa id [*intercalationem*] inuenisse contendit.

6. *Arnob. V* 1 In secundo Antiatis libro, ne quis forte nos aestimet concinnare per calumnias crimina, talis proscripta est fabula: Numam illum regem, cum procurandi fulminis scientiam non haberet, essetque illi cupido noscendi, Egeriae monitu castos

---

πλῆξαι τῷ σκαφείῳ κατὰ τῆς κεφαλῆς καὶ αὐτίκα ἀποκτεῖναι. *cf. Ouid. fast. IIII* 843 (rutro Celer occupat ausum), *Aur. Vict. de uir. ill.* 1, 4 (quod Remus irridens transiluit et a Celere centurione rutro fertur occisus). *Diodor. fragm. Vatic. p.* 5 *(p.* 6 *Dind.)*

3. *In conpar. Thes. et Rom.* (6) *solam famam Valerianam Plutarchus respexit:* Ῥωμύλος δὲ πρῶτον μὲν ὀκτακοσίων ὀλίγον ἀριθμῷ δεούσας ἁρπάσας οὐ πάσας ἀλλὰ μίαν, ὥς φασιν, Ἑρσιλίαν ἔλαβεν. *Parem mulierum numerum postea ad Tatium pacis orandae causa migrasse Varro (ap. Dion. II* 47*) scripsit.*

4. *Vid. Mommsen C. I. L. I p.* 383.

5. *Vid. uerba Macrobii antecedentia* (§ 16 *sqq.*): Cum saepe eueniret, ut nundinae modo in anni principem diem, modo in nonas caderent — utrumque autem perniciosum rei publicae putabatur —, remedium quo hoc auerteretur excogitatum est, quod aperiemus, si prius ostenderimus, cur nundinae uel primis kalendis uel nonis omnibus cauebantur. — unde dies ille, quo abundare annum diximus, eorum est permissus arbitrio qui fastis praeerant, uti, cum uellent, intercalaretur, dum modo eum in medio Terminaliorum uel mensis intercalaris ita locarent, ut a suspecto die celebritatem auerteret nundinarum. atque hoc est quod quidam ueterum retulerunt, non solum mensem apud Romanos uerum etiam diem intercalarem fuisse. quando autem primum intercalatum sit, uarie refertur. *sequitur larga laudationum copia, Licinii fr.* 4. *Tuditani fr.* 7, *Cassii fr.* 18, *quam sumpsisse cum eis quae modo transscripsimus uerbis uidetur ex Varrone neque tamen distinxisse, utrum illi de mense an de die intercalari loquerentur. cf. Mommsen chronol. p.* 23 *sqq.*

6. *Valerium secuti eadem narrauerunt Ouidius fast. III* 285 *sqq. et Plutarchus Num.* 15. *Ouidii haec uerba sunt*: Ecce deum genitor rutilas per nubila flammas Spargit et effusis aethera siccat aquis Non alias missi

---

4, 6. 7. ancias *Paris.*
6, 13. egregiae *codex*

duodecim iuuenes apud aquam concelasse cum uinculis, ut, cum Faunus et Martius Picus ad id locorum uenissent haustum — nam illis aquandi solemne iter huc fuit — inuaderent, constringerent, conligarent. sed quo res fieri expeditius posset, regem pocula non parui numeri uino mulsoque complesse circaque accessus fontis insidiosam uenturis opposuisse fallaciam. illos more de solito bibendi adpetitione correptos ad hospitia nota uenisse. sed cum liquoribus odoratis offendissent fragrantia pocula, uetustioribus anteposuisse res nouas, inuasisse auiditer, dulcedine potionis captos hausisse plus nimio, obdormiuisse factos graues. tum bis senos incubuisse sopitis, iniecisse maditatis uincula, expergitosque illos statim perdocuisse regem, quibus ad terras modis Iuppiter posset et sacrificiis elici; et accepta regem scientia rem in Auentino fecisse diuinam, elexisse ad terras Iouem, ab eoque quaesisse ritum procurationis morem. Iouem diu contatum 'expiabis' dixe 'capite fulgurita'. regem respondisse 'caepitio'. Iouem rursus 'humano'. rettulisse regem 'sed capillo'. deum contra

---

cecidere frequentius ignes. Rex pauet, et uolgi pectora terror habet. Cui dea 'ne nimium terrere. piabile fulmen Est' ait 'et saeui flectitur ira Iouis. Sed poterunt ritum Picus Faunusque piandi Tradere, Romani numen uterque soli. Nec sine ui tradent. adhibeto uincula captis'. Atque ita qua possint erudit arte capi. Lucus Auentino suberat niger ilicis umbra, Quo posses uiso dicere 'numen inest'. In medio gramen muscoque adoperta uirenti Manabat saxo uena perennis aquae. Inde fere soli Faunus Picusque bibebant. Huc uenit et fonti rex Numa mactat ouem, Plenaque odorati disponit pocula Bacchi Cumque suis antro conditus ipse latet. Ad solitos ueniunt siluestria numina fontes Et releuant multo pectora sicca mero. Vina quies sequitur. gelido Numa prodit ab antro Vinclaque sopitas addit in arta manus. Somnus ut abscessit, pugnando uincula temptant Rumpere. pugnantes fortius illa tenent. Tunc Numa: 'Di nemorum, factis ignoscite nostris, Si scelus ingenio scitis abesse meo, Quoque modo possit fulmen monstrate piari'. Sic Numa, sic quatiens cornua Faunus ait: 'Magna petis nec quae monitu tibi discere nostro Fas sit. habent finis numina nostra suos. Di sumus agrestes et qui dominemur in altis Montibus. arbitrium est in sua tecta Ioui. Hunc tu non poteris per te deducere caelo, At poteris nostra forsitan usus ope.' Dixerat haec Faunus. par est sententia Pici. 'Deme tamen nobis uincula' Picus ait. 'Iuppiter huc ueniet ualida perductus ab arte, Nubila promissi Styx mihi testis erit.' Emissi laqueis quid agant, quae carmina dicant Quaque trahant superis

---

1. cum celasse *codex* concelasse *scripsi* 2. uenisset *cod. a pr. m.* 3. solemniter haec *codex* 8. flagrantia *cod.* 9. dulcedinem p. *cod.* dulcedine in p. *Hildebrand* 17. sed] scilicet *Roth*

'animali'. 'maena' subiecisse Pompilium. tunc ambiguis Iouem propositionibus captum extulisse hanc uocem: 'Decepisti me Numa; nam ego humanis capitibus procurari constitueram fulgurita, tu maena, capillo, caepitio. quoniam me tamen tua circumuenit astutia, quem uoluisti, habeto morem et his rebus, quas pactus es, procurationem semper suscipies fulguritorum'.

7. *Plut. Num.* 22 *Πυρὶ μὲν οὐκ ἔδοσαν τὸν νεκρὸν αὐτοῦ κωλύσαντος* (*Νομᾶ*), *ὡς λέγεται. δύο δὲ ποιησάμενοι λιθίνας σοροὺς ὑπὸ τὸ Ἰάνοκλον ἔθηκαν, τὴν μὲν ἑτέραν ἔχουσαν τὸ σῶμα, τὴν δὲ ἑτέραν τὰς ἱερὰς βίβλους. — οἱ δὲ περὶ*

---

sedibus arte Iouem, Scire nefas homini. nobis concessa canentur Quaeque pio dici uatis ab ore licet. Eliciunt caelo te, Iuppiter. unde minores Nunc quoque te celebrant Eliciumque uocant. Constat Auentinae tremuisse cacumina siluae Terraque subsedit pondere pressa Iouis. Corda micant regis, totoque e corpore sanguis Fugit, et hirsutae deriguere comae. Vt rediit animus 'Da certa piamina' dixit 'Fulminis, altorum rexque paterque deum: Si tua contigimus manibus donaria puris, Hoc quoque, quod petitur, si pia lingua rogat. Annuit oranti sed uerum ambage remota Abdidit et dubio terruit ore uirum. 'Caede caput' dixit. cui rex 'parebimus' inquit 'Caedenda est hortis eruta cepa meis'. Addidit hic 'Hominis'. 'summos' ait ille 'capillos'. Postulat hic animam. cui Numa 'piscis' ait. Risit 'et his' inquit 'facito mea tela procures, O uir conloquio non abigende meo. Sed tibi, protulerit cum totum crastinus Corbem ynthius, imperii pignora certa dabo'. Dixit et ingenti tonitru super aethera motum Fertur adorantem destituitque Numam. *Plut.*: *Μυθολογοῦσι γὰρ εἰς τὸν Ἀβεντῖνον λόφον οὔπω μέρος ὄντα τῆς πόλεως οὐδὲ συνοικούμενον ἀλλ' ἔχοντα πηγάς τε δαψιλεῖς ἐν αὐτῷ καὶ νάπας σκιεράς, φοιτᾶν δύο δαίμονας, Πῖκον καὶ Φαῦνον. — τούτους φασὶ χειρώσασθαι τὸν Νομᾶν οἴνῳ καὶ μέλιτι κεράσαντα τὴν κρήνην, ἀφ' ἧς ἔπινον συνήθως. Ληφθέντας δὲ πολλὰς μὲν ἰδέας τρέπεσθαι καὶ μετεκδύεσθαι τὴν αὐτῶν φύσιν, ἀλλόκοτα φάσματα καὶ φοβερὰ τῆς ὄφεως προβαλλομένους· ἐπεὶ δὲ ἔγνωσαν ἑαλωκότες ἰσχυρὰν καὶ ἄφυκτον ἅλωσιν, ἄλλα τε προθεσπίσαι πολλὰ τῶν μελλόντων καὶ τὸν ἐπὶ τοῖς κεραυνοῖς ἐκδιδάξαι καθαρμόν, ὃς ποιεῖται μέχρι νῦν διὰ κρομύων καὶ τριχῶν καὶ μαινίδων. ἔνιοι δὲ οὐ τοὺς δαίμονάς φασι ὑποθέσθαι τὸν καθαρμὸν ἀλλ' ἐκείνους μὲν καταγαγεῖν τὸν Δία μαγεύσαντας· τὸν δὲ θεὸν ὀργιζόμενον τῷ Νομᾷ προστάσσειν, ὡς χρὴ γενέσθαι τὸν καθαρμὸν κεφαλαῖς· ὑπολαβόντος δὲ τοῦ Νομᾶ 'κρομύων;' εἰπεῖν 'ἀνθρώπων'. τὸν δὲ αὖθις ἐκτρέποντος τὸ τοῦ προστάγματος δεινὸν ἐπερέσθαι 'θριξίν;' ἀποκριναμένου δὲ τοῦ Διὸς 'ἐμψύχοις' ἐπαγαγεῖν τὸν Νομᾶν 'μαινίσι;' ταῦτα λέγειν ὑπὸ τῆς Ἠγερίας δεδιδαγμένον. καὶ τὸν μὲν θεὸν ἀπελθεῖν ἵλεω γενόμενον, τὸν δὲ τόπον Ἰλίκιον ἀπ' ἐκείνου προσαγορευθῆναι καὶ τὸν καθαρμὸν οὕτω συντελεῖσθαι.*

7—9. *cf. Cass. fr.* 37. *Piso* 11 *(cum adn.). Tudit.* 3. *A Liuio ex errore Valerii nomen positum esse pro Pisone supra p. CC docuimus.*

---

1. animalia subiecisse Pompilium *cod. em. Hildebrand* 3. 4. fulgurita numa capillo caepitio *cod. em. Hildebrand.*

Ἀντίαν ἱστοροῦσι δώδεκα μὲν εἶναι βίβλους ἱεροφαντικὰς, δώδεκα δὲ ἄλλας Ἑλληνικὰς φιλοσόφους τὰς εἰς τὴν σορὸν συντεθείσας. Τετρακοσίων δέ που διαγενομένων ἐτῶν ὕπατοι μὲν ἦσαν Πόπλιος Κορνήλιος καὶ Μάρκος Βαίβιος. ὄμβρων δὲ μεγάλων ἐπιπεσόντων καὶ χώματος περιῤῥαγέντος ἐξέωσε τὰς σοροὺς τὸ ῥεῦμα· καὶ τῶν ἐπιθημάτων ἀποπεσόντων ἡ μὲν ἑτέρα κενὴ παντάπασιν ὤφθη καὶ μέρος οὐδὲν οὐδὲ λείψανον ἔχουσα τοῦ σώματος· ἐν δὲ τῇ ἑτέρᾳ τῶν γραμμάτων εὑρεθέντων ἀναγνῶναι μὲν αὐτὰ λέγεται Πετίλιος στρατηγῶν τότε, πρὸς δὲ τὴν σύγκλητον κομίσαι μὴ δοκεῖν αὐτῷ θεμιτὸν εἶναι λέγων μηδὲ ὅσιον ἔκπυστα τοῖς πολλοῖς τὰ γεγραμμένα γενέσθαι· διὸ καὶ κομισθείσας εἰς τὸ Κομίτιον τὰς βίβλους κατακαῆναι.

8. *Plin. n. h. XIII* 87 Antias secundo libros fuisse [*tradit*] XII pontificales Latinos, totidem Graecos praecepta philosophiae continentes.

9*. *Liu. XXXX* 29, 8 Adicit Antias Valerius, Pythagoricos [*libros Numae*] fuisse, uolgatae opinioni, qua creditur Pythagorae auditorem fuisse Numam, mendacio probabili adcommodata fide.

10*. (*Valer. Max.*) *de praenom.* 4 *p.* 746 *Kempf.* Ancum praenomen Varro e Sabinis translatum putat, Valerius Antias scribit, quod cubitum uitiosum habuerit, qui Graece uocatur *ἀγκών*.

11*. *Plin. n. h. III* 70 Praeterea auctor est Antias, op-

---

10. *Paul. p.* 19 *M.* Ancus appellatur qui aduncum bracchium habet et exporrigi non potest. *Seru. ad Aen. VI* 816 Ancus autem dictus *[Marcius] ἀπὸ τοῦ ἀγκῶνος*, id est a cubito, quem incuruum habuisse dicitur. *Zonar. VII* 7 p. 25 P. *ἦν δὲ [ὁ Μάρκιος] τὴν χεῖρα οὐκ ἄρτιος· τὴν γὰρ ἀγκύλην πεπήρωτο, ὅθεν καὶ Ἄγκος ἐπώνυμον ἔσχηκεν.*
11. *A Tarquinio Prisco Apiolas captas esse memorant Liuius I* 35 *et Dionysius III* 49. *ille tamen praedam inde reuectam ad ludos opulentius instructiusque faciendos conuersam esse scripsit, hic nihil de praeda.*

7, 1. *βύβλους Sangerm.* 2. *τὰς Sintenis addidit ex Sangerm. Par. A C* 2. 3. *συνταφείσας Par. C* 5. *τοὺς σοροὺς Par. A* 7. 8. *τοῦ σώματος ἔχουσα Par. C* 10. *κομίσαι Par. C ὁρμῆσαι ceteri libri* 11. *τοῖς om. Sangerm.*
8, 13. secundo *Ricc. II pal. Mon.* secundos *cet. codd. Dell.* libro *pal. Mon.* 14. XII] ex his *Vat. Par. E*
9, 19. accomodata fide *ed. alt. Basil. (ex Mogunt.?)* accomodat fidem *libri rec.* accommodans fidem *Drakenborch.*
10, 20. Antias] antea *Paris.* autem *Torr.*

pidum Latinorum Apiolas captum a L. Tarquinio rege, ex cuius praeda Capitolium is inchoaverit.

12*. *Plut. de fort. Rom.* 10 *Τοῦ γὰρ Κορνικολάνων ἄστεος ἁλόντος ὑπὸ Ῥωμαίων Ὀκρησία παρθένος αἰχμάλωτος, ἧς οὐδὲ τὴν ὄψιν οὐδὲ τὸν τρόπον ἠμαύρωσεν ἡ τύχη, δοθεῖσα Τανακυλλίδι, τῇ Ταρκυνίου γυναικὶ τοῦ βασιλέως, ἐδούλευσε· καὶ πελάτης τις εἶχεν αὐτήν, οὓς κλιέντης Ῥωμαῖοι καλοῦσιν· ἐκ τούτων ἐγεγόνει Σερούϊος. Οἱ δὲ οὔ φασιν ἀλλὰ παρθένον τὴν Ὀκρησίαν ἀπάργματα καὶ λοιβὴν ἑκάστοτε λαμβάνουσαν ἀπὸ τῆς βασιλικῆς τραπέζης ἐπὶ τὴν ἑστίαν κομίζειν· καί ποτε τυχεῖν μὲν αὐτήν, ὥσπερ εἰώθει, τῷ πυρὶ τὰς ἀπαρχὰς ἐπιβάλλουσαν, αἰφνίδιον δὲ τῆς φλογὸς μαρανθείσης μόριον ἀνδρὸς ἀνατεῖναι γόνιμον ἐκ τῆς ἑστίας, καὶ τοῦτο τὴν κόρην τῇ Τανακυλλίδι φράσαι μόνῃ περίφοβον γενομένην. τὴν δέ, συνετὴν οὖσαν καὶ φρενήρη, κοσμῆσαί τε τὴν κόρην, ὅσα νύμφαις πρέπει, καὶ συγκαθεῖρξαι τῷ φάσματι, θεῖον ἡγουμένην. οἱ μὲν ἥρωος οἰκουροῦ λέγουσιν, οἱ δὲ Ἡφαίστου τὸν ἔρωτα τοῦτον γενέσθαι· τίκτεται δ' οὖν Σερούϊος, καὶ βρέφους ὄντος ἡ κεφαλὴ σέλας ἀστραπῇ παραπλήσιον ἀπήστραψεν. Οἱ δὲ περὶ Ἀντίαν οὐχ οὕτω λέ-*

---

12. *Vulgo sola uerba* οἱ δὲ περὶ Ἀντίαν *et quae sec. inter Antiatis relliquias recipi solent. est tamen ex eodem hausta tota narratio, neque omnibus quae antecedunt Antiatis auctoritas opponitur, sed huic soli rei puero ei dormienti caput arsisse, illud eum iam adultum fuisse. sola igitur uerba* καὶ βρέφους ὄντος — ἀπήστραψεν *ex alio fonte tenori orationis Valerianae inserta sunt. Eundem autem Antiatem etiam Dionysius IIII 2 secutus est, ad uerbum saepe cum Plutarcho consentiens:* Φέρεται δέ τις ἐν ταῖς ἐπιχωρίοις ἀναγραφαῖς ἕτερος ὑπὲρ τῆς γενέσεως αὐτοῦ λόγος ἐπὶ τὸ μυθῶδες ἐξαίρων τὰ περὶ αὐτόν, ὃν ἐν πολλαῖς Ῥωμαϊκαῖς ἱστορίαις εὕρομεν, εἰ θεοῖς τε καὶ δαίμοσι λέγεσθαι φίλος τοιοῦτός τις· ἀπὸ τῆς ἑστίας τῶν βασιλέων, ἐφ' ἧς ἄλλας τε Ῥωμαῖοι συντελοῦσιν ἱερουργίας καὶ τὰς ἀπὸ τῶν δείπνων ἀπαρχὰς ἁγίζουσιν, ὑπὲρ τοῦ πυρὸς ἀνασχεῖν λέγουσιν αἰδοῖον ἀνδρός. τοῦτο δὲ θεάσασθαι τὴν Ὀκρισίαν πρώτην φέρουσαν τοὺς εἰωθότας πελάνους ἐπὶ τὸ πῦρ καὶ αὐτίκα πρὸς τοὺς βασιλεῖς ἐλθοῦσαν εἰπεῖν. τὸν μὲν οὖν Ταρκύνιον ἀκούσαντά τε καὶ μετὰ ταῦτα ἰδόντα τὸ τέρας ἐν θαύματι γενέσθαι, τὴν δὲ Τανακυλίδα, τά τε ἄλλα σοφὴν οὖσαν καὶ δὴ καὶ τὰ μαντικὰ οὐδενὸς χεῖρον Τυρρηνῶν ἐπισταμένην, εἰπεῖν πρὸς αὐτόν, ὅτι γένος ἀπὸ τῆς ἑστίας τῆς βασιλείου πέπρωται γενέσθαι κρεῖττον ἢ κατὰ τὴν ἀνθρωπείαν φύσιν ἐκ τῆς μιχθείσης τῷ φάσματι γυναικός. τὰ δὲ αὐτὰ καὶ τῶν ἄλλων τερατοσκόπων ἀποφηναμένων δόξαι τῷ βασιλεῖ τὴν Ὀκρισίαν, ἣ πρώτῃ

11, 1. Apeolas *libri.* 2. is inchoauerit] *Leid.* insinchoauerit *Vat. Ricc.* in fine choauerit *Par. E.*

γουσιν, ἀλλὰ τυχεῖν μὲν τῷ Σερουΐῳ τὴν γυναῖκα Γετανίαν θνήσκουσαν, αὐτὸν δὲ τῆς μητρὸς παρούσης εἰς ὕπνον ἐκ δυσθυμίας καὶ λύπης ἀποκλιθῆναι· καὶ καθεύδοντος αὐτοῦ ταῖς γυναιξὶν ὀφθῆναι τὸ πρόσωπον αὐτοῦ πυρὶ περιλαμπόμενον. ὅπερ ἦν μαρτύριον αὐτῷ τῆς ἐκ πυρὸς γενέσεως, σημεῖον δὲ χρηστὸν ἐπὶ τὴν ἀπροσδόκητον ἡγεμονίαν, ἧς ἔτυχε μετὰ τὴν Ταρκυνίου τελευτὴν Τανακυλλίδος σπουδασάσης.

13*. *Arnob. VI* 7 Regnatoris in populi Capitolium qui est hominum qui ignoret Oli esse sepulchrum Vulcentani? quis est, inquam, qui non sciat ex fundaminum sedibus caput hominis euolutum non ante plurimum temporis aut solum sine partibus ceteris (hoc enim quidam ferunt) aut cum membris omnibus humationis officia sortitum? Quod si planum fieri testimoniis postulatis auctorum, Sammonicus, Granius, Valerius Antias et Fabius indicabunt, cuius Aulus fuerit filius, gentis et nationis cuius, germani seruulo *ut* uita fuerit spoliatus et lumine, quid de suis commeruerit ciuibus, ut ei sit abnegata telluris paternae sepultura. condiscetis etiam, quamuis nolle istud publicare se fingant, quid sit capite resecto factum, uel in parte qua rei curiosa fuerit obscuritate conclusum, ut immobilis uidelicet atque fixa obsignati ominis perpetuitas staret. quod cum opprimi par esset

---

ἐφάνη τὸ τέρας, εἰς ὁμιλίαν αὐτῷ συνελθεῖν. καὶ μετὰ τοῦτο τὴν γυναῖκα κοσμησαμένην οἷς ἔθος ἐστὶ κοσμεῖσθαι τὰς γαμουμένας κατακλεισθῆναι μόνην εἰς τὸν οἶκον, ἐν ᾧ τὸ τέρας ὤφθη. μιχθέντος δή τινος αὐτῇ θεῶν ἢ δαιμόνων καὶ μετὰ τὴν μῖξιν ἀφανισθέντος εἴτε Ἡφαίστου, καθάπερ οἴονταί τινες, εἴτε τοῦ κατ' οἰκίαν ἥρωος, ἐγκύμονα γενέσθαι καὶ τεκεῖν τὸν Τύλλιον ἐν τοῖς καθήκουσι χρόνοις. τοῦτο τὸ μύθευμα οὐ πάνυ τι πιστὸν εἶναι δοκοῦν ἑτέρα τις ἐπιφάνεια θεία γενομένη περὶ τὸν ἄνδρα θαυμαστὴ καὶ παράδοξος ἧττον ἀπιστεῖσθαι ποιεῖ. καθημένου γάρ ποτε αὐτοῦ μεσούσης μάλιστα ἡμέρας ἐν τῇ παστάδι τῶν βασιλέων καὶ κατενεχθέντος ἐφ' ὕπνον πῦρ ἀνέλαμψεν ἐπὶ τῆς κεφαλῆς αὐτοῦ, ἥ τε μήτηρ αὐτοῦ καὶ ἡ τοῦ βασιλέως γυνὴ πορευόμεναι διὰ τῆς παστάδος ἐθεάσαντο καὶ πάντες ὅσοι σὺν ταῖς γυναιξὶν ἐτύγχανον τότε παρόντες, καὶ μέχρι τούτου διέμενεν ἡ φλὸξ ὅλην αὐτοῦ καταλάμπουσα τὴν κεφαλήν, ἕως ἡ μήτηρ προσδραμοῦσα διανέστησεν αὐτὸν καὶ ἡ φλὸξ ἅμα τῷ ὕπνῳ διασκεδασθεῖσα ἠφανίσθη. Ceteri scriptores puero Seruio caput arsisse tradunt. Liu. I 39. Cic. de diuin. I 53, 121. Plin. II 241. Seru. Aen. II 683. Aurel. Vict. de uir. ill. 7, 1. cf. Ouid. fast. VI 621 sqq. Plin. XXXIIII 204.

13. *cf. Fab. Pict. gr. ann. fr. 12 cum adn., in qua Plinii uerba secundum Valerium narrata iam adposuimus.*

---

13. *uid. comment. ad Fab. fr. 12.*

et uetustatis oblitteratione celari, compositio nominis iecit in medium et cum suis causis per data sibi tempora inextinguibili fecit testificatione procedere nec erubuit ciuitas maxima et numinum cunctorum cultrix cum uocabulum templo daret, ex Oli capite Capitolium quam ex nomine Iouis nuncupare.

14. *Charis. II p.* 186 *P.* 208 *K.* Valerius Antias libro II: Mater cum nouissime aegrotasset, inquit, uouisse fertur.

EX LIBRO III

181/573 **15.** *Plin. n. h. XIII* 87 Idem [*Antias*] tertio et senatus consultum ponit, quo comburi eos [*libros Numae*] placuerit.

EX LIBRO VI

16. *Priscian. VII p.* 767 *P.* 347 *H.* Valerius Antias in VI annalium: Hoc senatus consultum prior factum est.

EX LIBRO III—XXI

505/249 **17.** *Ascon. in Cic. Pis. p.* 13 *Or.*: Valerio Maximo, ut Antias tradidit, inter alios honores domus quoque publice aedificata est in Palatio, cuius exitus, quo magis insignis esset, in publicum uersus declinaretur, hoc est extra privatum aperiretur.

---

15. *Sunt libri, de quibus fr.* 7—9 *sermo fuit, quae conferas.*

17. *Annum adscripsi ex Plutarchi Popl.* 20: *Μετὰ δὲ ταῦτα Σαβίνων ἐμβαλόντων εἰς τὴν χώραν ὕπατος μὲν ἀπεδείχθη Μάρκος Οὐαλλέριος, ἀδελφὸς Ποπλικόλα, καὶ Ποστούμιος Τούβερτος. πραττομένων δὲ τῶν μεγίστων γνώμῃ καὶ παρουσίᾳ Ποπλικόλα δυσὶ μάχαις μεγάλαις ὁ Μάρκος ἐνίκησεν, ὧν ἐν τῇ δευτέρᾳ μηδένα Ῥωμαίων ἀποβαλὼν τρισχιλίους ἐπὶ μυρίοις (!) τῶν πολεμίων ἀνεῖλε. καὶ γέρας ἔσχεν ἐπὶ τοῖς θριάμβοις οἰκίαν αὐτῷ γενέσθαι δημοσίοις ἀναλώμασιν ἐν τοῖς Παλατίοις. τῶν δ' ἄλλων τότε θυρῶν εἴσω τῆς οἰκίας εἰς τὸ κλεισίον*

14, 6. uul. antias lib. II *Neap.* libro tertio *exc. Cauch.* 7. ęgrotasse *Neap. corr. ed. pr.*

15, 8. tertios *Vat. Par. E. numerus uidetur esse corruptus. uid. supr. p. CCCVI not.* et senatus consultum] *Urlichs uind. Plin. p.* 224 et s. c. *Ricc.* et se *pal. Mon. om. cet. libri Detl.*

16, 10. uallerius *Par. R* (l *del. s. m.*) ualearius *Sangall.* ualearius *Gruter. Karolir.* ancias *Par. R pr. m. corr. s. m.* 11. consultam *Bern. pr. m. corr. s. m.*

17, 14. esset et in *ed. princ.*

18. *Censor. de d. nat.* 17, 8 Nam ita institutum esse, ut centesimo quoque anno fierent [*ludi saeculares*], id cum Antias aliique historici auctores sunt tum Varro.

ἀνοιγομένων ἐκείνης μόνης τῆς οἰκίας ἐποίησαν ἐκτὸς ἀπάγεσθαι τὴν αὔλειον, ὡς δὴ κατὰ τὸ συγχώρημα τῆς τιμῆς ἀεὶ τοῦ δημοσίου προσεπιλαμβανομένου. *ex eodem Antiate etiam Dionysius* (*V* 39) *hausit:* ψηφίζεται κοινῇ μὲν [*ciuitas post Sabinorum uictoriam*] ἀμφοτέροις τοῖς ὑπάτοις θριάμβου καταγωγήν, ἰδίᾳ δὲ θατέρῳ τῶν ἀνδρῶν Οὐαλερίῳ δωρεὰν τόπον εἰς οἴκησιν ἐν τῷ κρατίστῳ τοῦ Παλατίου [τόπῳ] δοθῆναι, καὶ τὰς εἰς τὴν κατασκευὴν δαπάνας ἐκ τοῦ δημοσίου χορηγεῖσθαι. ταύτης τῆς οἰκίας, παρ' ἣν ὁ χαλκοῦς ἕστηκε ταῦρος, αἱ κλισιάδες θύραι μόναι τῶν ἐν τῇ Ῥώμῃ δημοσίων τε καὶ ἰδιωτικῶν οἴκων εἰς τὸ ἔξω μέρος ἀνοίγονται. *P. et M. Valeriis hunc honorem tributum esse Plinius XXXVI* 112 *tradidit, soli Marco (non Poplicolae) Varro ap. Ascon. l. s. uid. Schwegler II p.* 89. *Momms. in C. I. L. I p.* 285.

18. *cf. Paulus s. u. p.* 328. Saeculares ludi apud Romanos post centum annos fiebant, quia saeculum centum annos extendi existimabant. *cf. Verr. Flaccum ap. schol. Cruq. ad carm. saecul. cum correcturis Mommsen. chron. p.* 176 *not.* 351. — *Locum adtribui huic fr. secutus Plut. Popl. c.* 21: Τῷ δ' ἑξῆς ἔτει [504. 250] πάλιν ὑπάτευε Ποπλικόλας τὸ τέταρτον· ἦν δὲ προσδοκία πολέμου Σαβίνων καὶ Λατίνων συνισταμένων. καί τις ἅμα δεισιδαιμονία τῆς πόλεως ἥψατο· πᾶσαι γὰρ αἱ κυοῦσαι τότε γυναῖκες ἐξέβαλλον ἀνάπηρα καὶ τέλος οὐδεμία γένεσις ἔσχεν. ὅθεν ἐκ τῶν Σιβυλλείων ὁ Ποπλικόλας ἱλασάμενος τῷ Ἅιδῃ καί τινας ἀγῶνας πυθοχρήστους ἀναλαβὼν καὶ ταῖς ἐλπίσι πρὸς τὸ θεῖον ἡδίονα καταστήσας τὴν πόλιν, ἤδη τοῖς ἀπ' ἀνθρώπων φοβεροῖς προσεῖχε. *cf. Varro 'de scaenicis originibus libro primo' (ap. Censor. l. s. s.):* Cum multa portenta fierent, et murus ac turris, quae sunt inter portam Collinam et Esquilinam, de caelo tacta essent, et ideo libros Sibyllinos XV uiri [X uiri *Mommsen*] adissent, renuntiarunt, uti Diti patri et Proserpinae ludi Tarentini in campo Martio fierent tribus noctibus, et hostiae furuae immolarentur, utique ludi centesimo quoque anno fierent. *eadem fuit sententia Liuii (in lib. CXXXVI ap. Censor.* 17, 9), *ex quo sua sumpsit Zosimus* (*II* 4). *uid. de his ludis C. L. Roth Ueber d. röm. Saecularspiele in mus. Rhen. n. VIII* (1853) *p.* 365 *sqq. et Mommsen chron.* 174 *sqq.* — *Praeterea si script. uulg. Censorini fidem habes, etiam duo Valerii fragmenta cum Krausio aliisque addenda sunt, quibus primorum et secundorum ludorum anni adcurate definiuntur:* Primos enim ludos saeculares exactis regibus post Romam conditam annis CCXLV a Valerio Publicola institutos esse Valerius Antias ait *et* Secundos ludos, ut Antias uult, anno p. u. c. quinto trecentesimo, ut uero in commentariis XV uirorum scriptum est anno octauo et quadringentesimo M. Valerio Coruino II C. Poetilio coss. *at utroque loco Valerii Antiatis nomen nulla codicum auctoritate nititur. quam ob rem esti id lacunis, quibus hic locus misere corruptus est, haustum esse admodum uidetur probabile, tamen supra in certis Valerii testimoniis haec supplementa ponere non sum ausus. accedit quod priore loco annus u. c. CCXLV, quo primum Publicola consul fuit, etiam pugnat cum Plutarcho, apud quem nos habere Antiatis auctoritatem supra p. CCCXVIII sq. docuimus. hic enim a Publicola quartum consule i. e. anno CCV u. c. primos ludos celebratos esse rettulit. ergo post* institutos esse *et anni CCXLV testes (quos uid. in Momms. chr. p.* 177 *not.* 357) *et Valerii annus nomenque mihi hausta esse uidentur. altero loco etiam numeri in uulg. temere mutati sunt. ego in hac re a Rothio*

464/290 **19.** *Liu. III* 5, 12 Magnae clades ultro citroque illis diebus [*cum cum Aequis pugnaretur*] et inlatae et acceptae. difficile ad fidem est in tam antiqua re, quot pugnauerint ceciderintue, exacto adfirmare numero. audet tamen Antias Valerius concipere summas: Romanos cecidisse in Hernico agro quinque milia ac ducentos, ex praedatoribus Aequorum, qui populabundi in finibus Romanis uagabantur, ab A. Postumio consule duo milia et quadringentos caesos. ceteram multitudinem praedam agentem, quae inciderit in Quinctium, nequaquam pari defunctam esse caede, interfecta inde quattuor milia et exsequendo subtiliter numerum ducentos ait et triginta.

434/320 **20.** *Liu. IIII* 23, 2 Valerius Antias et Q. Tubero M. Manlium et Q. Sulpicium consules in eum annum edunt.

278/476 **21.** *Gell. III* 8 Cum Pyrrus rex in terra Italia esset et unam atque alteram pugnas prospere pugnasset, satisque agerent

---

(*l. s. p.* 371, *qui C. Lachmanni supplementa sequitur*) *et Mommseno* (*l. s. p.* 176) *discedens si minus uerba certe sententiam Censorini ita restituerim*: '*[Secundi ludi fuere Antiate Liuioque* (*VII* 27) *auctoribus M. Popilio IIII M. Valerio coss.]* anno post urbem conditam sexto et quadringentesimo [octauo et quadringinsimo *Darmst.* VIII et XL *Vat.*], ut uero in commentariis XV uirorum scriptum est anno CCCC et octauo [decimo *codd.*] M. Valerio Coruo [curmino *Darmst. Vatic.*] II C. Poetelio [poetaelio *Darmst.*] coss.' *non adcurate numeros respondisse regulis antea statutis ipse Censorinus* (§ 12) *animaduertit. Ceteros ludos saeculares ex Valerii sententia indicatos habes in fr.* 25 *et* 55.

19. *Lachmann de f. Liu. p.* 58 *et Weissenborn a. h. l. etiam totum cap.* 5 *et c.* 4 *ex Antiate originem ducere existumant.*

20. *Eidem et Seruius Cornelius Cossus a Diodoro XII* 53 *tribuni militum eius anni eduntur.*

21. *Sequitur apud Gellium Claudii fr.* 40. *Cum Valerio Antiate concinit Valer. Max. VI* 5, 1: Timochares Ambraciensis Fabricio consuli pollicitus est se Pyrrum ueneno per filium suum, qui potionibus eius praeerat, necaturum. ea res, cum ad senatum esset delata, missis legatis Pyrrum monuit, ut aduersus huius generis insidias cautius se ge-

---

19, 3. quot *Medic.*[2] *Par.* quod *Medic.*[1] 4. $\overline{V}$ ac cc *Medic. Paris. Harl.* 1 *Leid.* 1 5. 6. ac ducentos] DCCC *Weissenborn* 8. c$\bar{o}$s $\overline{\infty}$ $\overline{\infty}$ & CCCC caesos *Medic. Paris.* 10. interfectam *Medic.* IIII milia *Paris.* $\overline{IIII}$ mil̄. *Medic.* 11. cc ait et XXX *Med. Par.*

20, 12. uelerius *Medic.* antiates *Veron.* 12. 13. Manlium *Veron.* manilium *Med. Par. Leid.* 13. quinctium sulp. *Leid.*

21, 14. pirrus *VR* pyrrus *P* hitalia *R*

Romani, et pleraque Italia ad regem desciuisset: tum Ambraciensis quispiam Timochares, regis Pyrri amicus, ad C. Fabricium consulem furtim uenit ac praemium petiuit et, si de praemio conueniret, promisit regem uenenis necare; idque facile esse factu dixit, quoniam filius suus pocula in conuiuio regi ministraret. Eam rem Fabricius ad senatum scripsit. senatus ad regem legatos misit mandauitque, ut de Timochare nihil proderent sed monerent, uti rex circumspectius ageret atque a proximorum insidiis salutem tutaretur. Hoc ita, uti diximus, in Valeri Antiatis historia scriptum est.

22. *Censorin. de d. n.* 17, 10 Tertii ludi [*saeculares*] fuerunt Antiate Liuioque auctoribus P. Claudio Pulchro L. Iunio Pullo cons. 249/505

23. *Liu. XXV* 39, 11 Ita nocte ac die bina castra hostium expugnata ductu L. Marcii [*in Hispania post necem Scipionum*]. 212/542 — Valerius Antias una castra Magonis capta tradidit, septem millia caesa hostium, altero proelio eruptione pugnatum cum Hasdrubale, decem millia occisa, quattuor milia CCCXXX captos. — Apud omnis magnum nomen Marcii ducis est. et uerae gloriae

---

reret, memor urbem a filio Martis conditam armis bella, non uenenis gerere debere. Timocharis autem nomen suppressit, utroque modo aequitatem amplexus, quia nec hostem malo exemplo tollere neque eum, qui bene mereri paratus fuerat, prodere uoluit. — *Gellium descripsit Ioannes Saresberiensis* (*Policr. V* 7), *confudit tamen Valerios Antiatem et Maximum.*

22. *Liu. per. XXXXVIIII* Tertii Punici belli initium altero et sescentesimo ab urbe condita anno (= 605 *sec. Varr.*). — ludi patri Diti ad Tarentum ex praecepto librorum facti, qui *ante* annum centesimum primo Punico bello, quingentesimo et altero anno ab urbe condita (= 505 *sec. Varron.*) facti erant. *uid. fr.* 55.

23. *Liuium transscripsit Valerius Maximus I* 6, 2. *De eadem re Liuius testimonia Claudii Aciliani (fr. 3) et Pisonis (fr. 32) protulit. Mira-*

---

1. deciuisset *R* desciuissȝ *P* 1. 2. ambracienisis *R a corr.* 2. regis timochares *P* pirri *PR* pyrrhi (i *ex corr. in ras. duarum litt.*, us?) *V* C *om. P.* 3. et] ut *VPR* 4. idque *VPR* id quod *uulg.* 5. filii sui *VR* 5. 6. regi ministraret] reministrarent *V* 7. nichil *VP* 7. 8. dproderent *R* 8. circumspectacius *R* 10. ualerianciatis *V* ualeriantianis *P*

22, 11. 12. antiatae *Darmst.* 12. pulloi. c̄os. *Darmst.* pulloi cons̄ *Vat. post* cons. *intercidit* anno DV.

23, 15. tradit *Maduig cum lib. rec.* 16. purga|tum *Putean.* 18. *uid. comm. ad Acil. fr.* 4.

eius etiam miracula addunt, flammam ei contionanti fusam e capite sine ipsius sensu cum magno pauore circumstantium militum, monimentumque uictoriae eius de Poenis usque ad incensum Capitolium fuisse in templo clipeum Marcium appellatum cum imagine Hasdrubalis.

210/544 **24.** *Liu. XXVI* 49, 1 Tum obsides ciuitatium Hispaniae uocari iussit [*Scipio Carthagine noua expugnata*]: quorum quantus numerus fuerit piget scribere, quippe cum alibi trecentos ferme, alibi tria millia septingentos uiginti quattuor fuisse inueniam. aeque et alia inter auctores discrepant. praesidium Punicum alius decem, alius septem, alius haut plus quam duum millium fuisse scribit. capta alibi . . . . . . supra quinque et uiginti inuenias. scorpiones maiores minoresque ad sexaginta captos scripserim, si auctorem Graecum sequar Silenum; si Valerium Antiatem, maiorum scorpionum sex millia, minorum decem tria millia: adeo nullus mentiendi modus est. ne de ducibus quidem conuenit. plerique Laelium praefuisse classi, sunt qui M. Iunium Silanum dicant. Arinen praefuisse Punico praesidio deditumque Romanis Antias Valerius, Magonem alii scriptores tradunt. non de numero nauium captarum, non de pondere

---

culum illud Marcii diserte ad Valerii auctoritatem refert Plinius II 241: L. Marcio in Hispania interemptis Scipionibus contionanti et milites ad ultionem exhortanti *[sic Par. d* exortanti *Par. E*² *Ricc.*² exoranti *Voss. Vat. Leid.* exornanti *Ricc.*¹*]* arsisse simili modo *[caput ut Seruio Tullio]* Valerius Antias narrat. *caue tamen etiam qui antecedunt infinitiuos pendere ab hoc* narrat *existumes miraculaque, quae exponuntur, fluxisse ex Antiate, quae plurimorum qui haec fragmenta conlegerunt fuit opinio. nam id ipsum, quod ante hoc Marcii a Plinio narratum est, pugnat cum Valerii testimonio*: Seruio Tullio dormienti in pueritia ex capite flammam emicuisse. *cf. fr.* 12 *cum adn. est potius uerbum regens*: Reperitur apud auctores.

24. *Sine dubio praeter eas res, quibus Antiatis auctoritas adscripta est, etiam aliae ex eo originem ducunt. Polybium secutus est Liuius in hisce: trecentos ferme obsides fuisse Pol. X* 18, 3, *Laelium classi Romanae praefuisse X* 12, 1, *Magonem Punico praesidio X* 18, *fortasse praesidium Punicum decem milium fuisse, si quidem is est numerus Appiani in Hiber.* 19.

24, 6. opsides *Putean.* 11. cum *libri aliquot rec.* ubi *Putean. quod defendit Madvig ita:* quippe in ea re in qua. decem millia capitum, alibi *uulgo inseritur. om. Put. Medic. Bamb. aliique libri. cf. Weissenborni adnot.* 14. grecum *Putean.* 15. maiorum antiatemma scorp. *Put.* 20. deponere *Put.*

auri atque argenti et redactae pecuniae conuenit. si aliquis adsentiri necesse est, media simillima ueris sunt.

25. *Gell. VII (VI)* 8, 3 Lepide igitur agitari potest, utrum 210/544 uideri continentiorem par sit, Publiumne Africanum superiorem, qui Carthagine ampla ciuitate in Hispania expugnata, uirginem tempestiuam, forma egregia, nobilis uiri Hispani filiam captam perductamque ad se patri inuiolatam reddidit an regem Alexandrum. — His ego uersibus [*Cn. Naeuii*] credo adductum Valerium Antiatem aduersus ceteros omnis scriptores de Scipionis moribus sensisse et eam puellam captiuam non redditam patri scripsisse, contra quam nos supra diximus, sed retentam a Scipione atque in deliciis amoribusque ab eo usurpatam.

26. *Liu. XXVIII* 46, 14 Eisdem diebus naues onerariae 205/549 Poenorum ad octoginta circa Sardiniam ab Cn. Octauio, qui prouinciae praeerat, captae. *captas* eas Coelius frumento misso ad Hannibalem commeatuque onustas, Valerius praedam Etruscam Ligurumque et Montanorum captiuos Carthaginem portantis tradit.

27. *Liu. XXVIIII* 35, 2 Duos eodem nomine [*Hannonis*] 204/550 Carthaginiensium duces duobus equestribus proeliis [*ad Salaecam urbem*] interfectos, non omnes auctores sunt, ueriti, credo, ne falleret bis relata eadem res. Caelius quidem et Valerius captum etiam Hannonem tradunt.

---

25. *De re cf. Pol. X* 19. *Cass. Dion. fr.* 58, 2, *Frontin. II* 11, 5 *maximeque Liu. XXVI* 50, *Valerianae tamen narrationis nemo mentionem iniecit, id quod in Liuio eo magis mirabimur, quod in cap. antec. bis Valerium citauit.*
26. *Coel. fr.* 33.
27. *uid. Coel. fr.* 42 *c. adn.*

---

2. ueris] ueneris *Put.*
25, 3. lepida *V* lepida igitur quaestio (questio *al.*) agitari ς 4. affricanum *V* ς aphricanum *unus* ς 5. cartagineã *V* cartagine (carthagine *corr. in quibusdam*) *plerique* ς ciuitas *unus* ς 6. hyspania *aliquot* ς yspania *in* ispania *corr. unus* ς hyspani (*partim in* ispani *corr.*) *aliquot* ς 8. abductum *et* aductum ς *singuli* 9. anciatem *V aliq.* ς anxiatem *et* anthiatem ς *singuli* 10. et eum eam *aliquot* ς et extra eam *unus* ς[1] et cum eam *unus* ς 11. contra quem nos *V aliquot* ς retenta *aliquot* ς 12. delitii moribusq. *unus* ς *ante corr.*
26. *uid. comm. ad Coel. fr.* 33.
27. *uid. comm. ad Coel. fr.* 42.

203/551 **28.** *Liu. XXX* 3, 4 Inter haec ne Syphacis quidem reconciliandi curam ex animo miserat [*Scipio*], si forte iam satias amoris in uxore ex multa copia cepisset. ab Syphace magis pacis cum Carthaginiensibus condiciones, ut Romani Africa, Poeni Italia excederent, quam, si bellaretur, spes ulla desciturum adferebatur. haec per nuntios acta magis equidem crediderim (et ita pars maior auctores sunt) quam ipsum Syphacem, ut Antias Valerius prodit, in castra Romana ad conloquium uenisse.

203/551 **29.** *Liu. XXX* 19, 11 Idem consul [*Cn. Seruilius*] cum Hannibale in agro Crotoniensi acie conflixit. obscura eius pugnae fama est. Valerius Antias quinque milia hostium caesa ait. quae tanta res est, ut aut impudenter ficta sit aut neglegenter praetermissa. nihil certe ultra rei in Italia ab Hannibale gestum.

202/552 **30.** *Liu. XXX* 29, 7 Valerius Antias primo proelio uictum eum [*Hannibalem ante proelium Zamense*] a Scipione, quo duodecim milia armatorum in acie sint caesa, mille et septingenti capti, legatum cum aliis decem legatis tradit in castra ad Scipionem uenisse.

199/555 **31.** *Liu. XXXII* 6 Consul [*P. Villius Tappulus*] per Charopum Epiroten certior factus, quos saltus cum exercitu insedisset rex [*Macedonum Philippus*], et ipse, cum Corcyrae hibernasset, uere

---

30. *Idem proelium narrauit Zonaras VIIII* 14 *p.* 242 ὡς δ' ἔδοξε τῷ Σκηπίωνι μὴ διατρίβειν ἔτι ἀλλὰ καὶ ἄκοντα τὸν Ἀννίβαν εἰς τὸν ἀγῶνα προαγαγεῖν, ἐπὶ τὴν Οὐτίκην ὥρμησεν, ἵνα δεδιέναι καὶ φεύγειν δόξας σχοίη καιρὸν ἐπιθέσεως· ὃ καὶ ἐγένετο. ὁ γὰρ Ἀννίβας φεύγειν αὐτὸν οἰηθεὶς καὶ ἐπὶ πλέον ἐντεῦθεν θαρσήσας ἐπεδίωξε μόνοις τοῖς ἱππεῦσι. καὶ ὁ Σκηπίων ἀντέστη τε αὐτοῖς παρὰ δόξαν καὶ συμβαλὼν ἐνίκησε. τρέψας δ' αὐτοὺς οὐκ ἐπὶ τὸ διώκειν σφᾶς ἀλλὰ ἐπὶ τὰ σκευοφόρα αὐτῶν καθ' ὁδὸν τυγχάνοντα ὥρμησε καὶ πάντα συνέβαλε. ταῦτα τὸν Ἀννίβαν ἐτάραξε, *praeter Zonaram etiam Appianus Libyc.* 36, *is tamen, id quod numerorum dissensu docetur, non ex Valerio Antiate. legationis Hannibalis apud neminem scriptorem uestigia reperiuntur.*

31. *cf. Nissen Untersuch. p.* 93. 133.

28, 2. iam satis *Put.* iam satias *libri aliq. rec.* cum satias *I. Fr. Gronou.* 3. copia cum cep. *uulgo* 5. excederenquam (t *sup.* nq *scr.*) *Putean.* 8. per nuntios] perntios *Put. ante corr.*

29, 13. reinitalia *Putean. ante corr.*

30, 16. sunt *Putean. emend. I. Fr. Gronou.*

31, 20. insedit *Bamberg. a. corr.*

primo in continentem trauectus ad hostem ducere pergit. quinque millia ferme ab regiis castris cum abesset, loco munito relictis legionibus, ipse cum expeditis progressus ad speculanda loca postero die consilium habuit, utrum per insessum ab hoste saltum, quamquam labor ingens periculumque proponeretur, transitum temptaret, an eodem itinere, quo priore anno Sulpicius Macedoniam intrauerat, circumduceret copias. hoc consilium per multos dies agitanti ei nuntius uenit, T. Quinctium consulem factum sortitumque prouinciam Macedoniam maturato itinere iam Corcyram traiecisse. Valerius Antias intrasse saltum Villium tradit, quia recto itinere nequiuerit omnibus ab rege insessis, secutum uallem per quam mediam fertur Aous amnis; ponte raptim facto in ripam, in qua erant castra regia, transgressum acie conflixisse; fusum fugatumque regem, castris exutum; duodecim millia hostium eo proelio caesa, capta duo millia et ducentos et signa militaria centum triginta duo, equos ducentos triginta; aedem etiam Ioui in eo proelio votam, si res prospere gesta esset. ceteri Graeci Latinique auctores, quorum quidem ego legi annales, nihil memorabile a Villio actum integrumque bellum insequentem consulem T. Quinctium accepisse tradunt.

32. *Liu. XXXIII* 10, 8 Si Valerio qui credat omnium ue- 197/557
rum inmodice numerum augenti, quadraginta milia hostium eo die [*quo ad Cynoscephalas pugnatum est*] sunt caesa, capta (ibi modestius mendacium est) quinque milia septingenti, signa militaria ducenta undequinquaginta.

33. *Liu. XXXIII* 30, 1 Paucos post dies decem legati ab 196/558
Roma uenerunt, quorum ex consilio pax data Philippo in has

---

32. *Ex Liuio Valerii numerum transscripsit Orosius IIII* 20. — *Cum Valerio coniunxit Liuius Claudii* (*fr.* 62) *testimonium, sequitur tamen auctoritatem Polybii, qui de hostibus captis fere consentit cum Valerio.*

33. *Supra omisi eas pacis condiciones, quas Liuius ex Polybio sumpsit. uid. Claud. fr.* 63 *cum adnot.* — *De uectigali consentit Valerius cum Polybio XVIII* 27 [44 *Dind.*], *qui tamen adcuratius haec habet:* δοῦναι·δὲ

---

9. Macedonoam *Bamberg. a. corr.* 14. $\overline{\text{XII}}$ *Bamb.* 15. $\overline{\text{II}}$ *Bamb.* 16. 17. Ioui in *om. Bamb. spatio uacuo relicto* Iouis *uel* Iouis in *uel* Ioui in *libri rec.* 17. greci *Bamb.*

32, 21. uario *Bamberg.* 22. augenti] augeret *Bamb. a. corr.* 23. sint *Vossius* ibi] idque *F. Lachmann*

33. *uid. comment. ad Claud. fr.* 63.

leges est, — — ne plus quinque milia armatorum haberet neue elephantum ullum. bellum extra Macedoniae fines ne iniussu senatus gereret. — Valerius Antias quaternum milium pondo argenti uectigal in decem annos inpositum regi tradit. — in haec obsides accepti, inter quos Demetrius Philippi filius. adicit Antias Valerius Attalo absenti Aeginam insulam elephantosque dono datos et Rhodiis Stratoniceam Cariaeque alias urbes, quas Philippus tenuisset, Atheniensibus insulas datas Lemnum, Imbrum, Delum, Scyrum.

196/558 **34.** *Liu. XXXIII* 36, 4 Consules in provincias profecti sunt. Marcellum Boiorum ingressum finis, fatigato per diem totum milite uia facienda, castra inter tumulos quosdam ponentem Corolamus quidam regulus Boiorum cum magna manu adortus ad tria milia hominum occidit. et inlustres uiri aliquot in illo tumultuario praelio ceciderunt, inter quos praefecti socium T. Sempronius Gracchus et M. Iunius Silanus et tribuni militum de legione secunda M. Ogulnius et P. Claudius. castra tamen ab Romanis inpigre permunita retentaque, cum hostes prospera pugna elati nequiquam oppugnassent. statiuis deinde isdem per dies aliquot sese tenuit, dum et saucios curaret et *ex* tanto terrore animos militum reficeret. Boi, ut est gens minime

---

καὶ χίλια τάλαντα, τούτων τὰ μὲν ἡμίση παραυτίκα, τὰ δ' ἡμίση κατὰ φόρους, ἐν ἔτεσι δέκα. quingenta enim talenta respondent quadraginta milibus argenti pondo (*Weissenborn a. h. l. Nissen p.* 108). *de donationibus Valerii auctoritatem pro nihilo ducendam esse Nissen p.* 145 *sq. docuit.*

34. *Totam Liuii narrationem recepi, quia nisi hac praemissa ea uerba, quae ex Antiate inserta sunt, intellegi non poterant et eam ad Antiatis auctoritatem redire ueri est simillimum. cf. Claud. fr.* 64. *Nissen p.* 149 *sq., qui recte scriptores, quos extr. cap. Liuius conmemorat, Claudium et Valerium esse animaduertit.*

6. absente *Bamberg.* 7. Stratoniceam *Bamb.*[1], *postea* r *delet.* cariae atque *Mogunt.* 8. Lemnum] Paron *Mogunt.*

34, 10. prouintias *Bamb.* 12. in tumulo quodam *Mogunt.* 13. quidam *om. Mogunt.* 14. tria mil. *Bamb.* tria millia *Mog.* aliquod *Bamb.* 16. T.] Ti. *Sigonius* et *om. Mog.* Syllanus *Mog.* tr. mil. *Bamb.* 17. M. *om. Mog.* 18. 19. prospe pugna *Bamb.* 19. elati *om. Mog.* expugnassent *Bamb.* 20. aliquod *Bamb.* sautios *Mog.* ex *om. Bamb. Mog. add. Drakenb.*

ad morae taedium ferendum patiens, in castella sua vicosque passim dilapsi sunt. Marcellus Pado confestim traiecto in agrum Comensem, ubi Insubres Comensibus ad arma excitis castra habebant, legiones ducit. Galli feroces Boiorum ante dies paucos pugna in ipso itinere praelium committunt et primo adeo acriter inuaserunt, ut antesignanos inpulerint. quod ubi Marcellus animaduertit, ueritus, ne moti semel pellerentur, cohortem Marsorum cum opposuisset, equitum Latinorum omnis turmas in hostem emisit. quorum cum primus secundusque inpetus rettudisset inferentem se ferociter hostem, confirmata et reliqua acies Romana restitit primo, deinde signa acriter intulit. nec ultra sustinuere certamen Galli, quin terga verterent atque effuse fugerent. in eo praelio supra quadraginta milia hominum caesa Valerius Antias scribit, octingenta septem signa militaria capta et carpenta septingenta triginta duo et aureos torques multos, ex quibus unum magni ponderis Claudius in Capitolio Ioui donum in aede positum scribit. castra eo die Gallorum expugnata direptaque et Comum oppidum post dies paucos captum. castella inde duodetriginta ad consulem defecerunt. id quoque inter scriptores ambigitur, utrum in Boios prius an Insubres consul exercitum duxerit aduersamque prospera pugna oblitterauerit, an uictoria ad Comum parta deformata clade in Bois accepta sit.

35. *Liu. XXXIIII* 10, 1 Eodem tempore M. Heluio dece- 195/559

---

35. *Etiam relicua huius cap. pars, qua Heluii res exponuntur, ex Valerio originem ducere uidetur. Nissen p.* 155.

---

1. tedium *om.* ferendum *Mog.* paciens *Bamb.* 2. passim *om. Mog.* confertim *Bamb.* 4. ducat *Bamb. a. corr.* ducit — pugna *om. Mog.* 6. ut *om. Bamb.* Marcellus *om. Mog.* 7. semel p.] se inde pellerent *Mog.* 8. opposuit et equitem *Mog.* hostē misit *Bamb.* 10. hoste *Bamb.* extitit *Mog.* 13. Val. Antias *Bamb.* 14. otingenta *Bamb. a. corr.* octoginta *Kreyssig* et carpenta capta a DCCXXXII *Bamb.* et carpenta quadringenta triginta duo *Mog.* 16. in Capitolium *Bamb.* 16. 17. posita *Mog.* 17. castra eo die Gallorum *Bamb.* postero die Gallorum castra *Mog.* 18. post] intra *Mog.* 20. an in Ins. *Drakenb.* 21. induxerit *Mog.* an in u. *Mog.* 22. parata *Mog.*

35, 23. M. *om. Bamb. add. Mog.*

denti ex ulteriore Hispania cum praesidio sex milium dato ab Ap. Claudio praetore Celtiberi agmine ingenti ad oppidum Iliturgi occurrunt. uiginti milia armatorum fuisse Valerius scribit, $\overline{\text{XII}}$ ex iis caesa, oppidum Iliturgi receptum et puberes omnis interfectos.

195/559 **36.** *Liu. XXXIIII* 15, 9 Valerius Antias supra quadraginta milia hostium caesa eo die [*quo a Catone consule ad Emporias Hispani uicti sunt*] scribit.

194/560 **37.** *Ascon. in Cic. Cornel. p.* 69 *Or.* Hoc factum est secundo consulatu Scipionis [*Africani maioris*], post septimum annum quam Carthaginiensibus bello secundo data est pax. factum id esse autem Antias tradidit ludis Romanis, quos fecerunt aediles curules C. Atilius Serranus, L. Scribonius Libo, et id eos fecisse iussu censorum Sex. Aelii Paeti, C. Cornelii Cethegi. et uidetur in hac oratione hunc quidem auctorem secutus Cicero dixisse, passum esse Scipionem secerni a cetero consessu spectacula senatorum.

193/561 **38.** *Liu. XXXV* 2, 8 Valerius Antias et in Siciliam nauigasse dilectus causa C. Flaminium [*praetorem, qui a senatu in Hispaniam missus erat*] scribit et ex Sicilia Hispaniam petentem

---

36. *Additur ipsius Catonis testimonium* (*fr.* 92), *ex cuius libris pugnae descriptio esse hausta uidetur. Quadraginta hostium milia cum Catone pugnasse Appianus Hiber.* 40 *rettulit.*

37. *Liuius XXXIIII* 44, 4 *sequitur Antiatem*: creati censores Sex. Aelius Paetus et C. Cornelius Cethegus principem senatus P. Scipionem consulem, quem et priores censores legerant, legerunt. — gratiam quoque ingentem apud eum ordinem pepererunt, quod ludis Romanis aedilibus curulibus imperarunt, ut loca senatoria secernerent a populo. nam antea in promiscuo spectarant, *c.* 54, 3, *ubi de eadem re iterum loquitur, alium auctorem. cum hoc faciunt Cicero de harusp. resp.* 12, 24, *tum Valerius Max. II* 4, 3 *(ubi tamen falso res illa ad posteriorem Africanum refertur) et IIII* 5, 1. *cf. fr.* 40.

---

1. ex *om. Bamb.* 2. 3. Liturgī accurrunt *Bamb.* 3. uiginti *om. Bamb.* 4. his *Bamb.* Liturgi *Bamb.*

37, 13. Libo, et id eos *Baiter* libo . . . cideos *ed. princ.* Libo: id eos *uulg.* 14. ius censorum *ed. princ.* 15. secutum *ed. princ.*

38, 18. et] etiam *Mog.* sicilia *Bamb.* 20. scripsit *Mog.*

tempestate in Africam delatum uagos milites de exercitu P. Africani sacramento rogasse, his duarum prouinciarum dilectibus tertium in Hispania adiecisse. 191

39. *Liu. XXXVI* 19, 10 Romanus equitatus ipsum quidem 563 regem [*Antiochum ex pugna Thermopylensi fugientem*] Elatiae adsecutus non est; magnam partem agminis aut lassitudine subsistentis aut errore, ut qui sine ducibus per ignota itinera fugerent, dissipatos oppresserunt; nec praeter quingentos, qui circa regem fuerunt, ex toto exercitu quisquam effugit, etiam ex decem milibus militum, quos Polybio auctore traiecisse secum regem in Graeciam scripsimus, exiguus numerus. quid si Antiati Valerio credamus sexaginta milia militum fuisse in regio exercitu scribenti, quadraginta inde milia cecidisse, supra quinque milia capta cum signis militaribus ducentis triginta? Romanorum centum quinquaginta in ipso certamine pugnae, ab incursu Aetolorum se tuentes non plus quinquaginta interfecti sunt.

40. *Liu. XXXVI* 36, 3 Per idem fere tempus aedes matris 191/563 magnae Idaeae dedicata est, quam deam is P. Cornelius aduectam ex Asia P. Cornelio Scipione, cui postea Africano fuit cognomen, P. Licinio consulibus in Palatium a mari detulerat. locauerant aedem faciendam ex senatus consulto M. Liuius C. Claudius censores M. Cornelio P. Sempronio consulibus; tredecim annis post quam locata erat dedicauit eam M. Iunius Brutus, ludique ob

---

39. *Orosius IIII* 20 *numeros Valerii ex Liuio transscripsit.*
40. *cf. fr.* 37.

---

1. 2. P. Affricani de exercitu *Bamb.*[1] de exercitu P. Affricani *Bamb.*[2] 2. prouintiarum *Bamb.* 3. tercium *Bamb.* adiecisse *Mog.* adlegisse *Bamb.*

39, 6. 7. subsistentes *uel intellegendum uel scribendum esse monuerunt Creu. et Madu.* 9. ex isto ex. *Bamb.* ex toto ex. *Mog.* 10. quod *Bamb.* traiecisse cum *Bamb.* 11. quod si *Bamb.* 13. quadraginta inde m.] centum quadraginta m. *Mog.* 15. in ipso cert. — non plus quinquaginta *om. Bamb. add. Mog.*

40, 18. Idaeae] *Mogunt.* deae *Bamb. aut* magnae *aut* Idaeae *abundare uidetur Weissenbornio* is *om. Bamb.* 19. post *(Mog.)* Affricano *Bamb.* 22. P. *Sigonius* T. *Bamb.* 22. 23. XXX annis postquam locauerat *Bamb. in lit.* tredecim annos post quam locata erat *Mogunt.* 23. dedecauit *Bamb.*

dedicationem eius facti, quos primos scaenicos fuisse Antias Valerius est auctor, Megalesia appellatos.

191/563 **41.** *Liu. XXXVI* 38, 5 Duobus fere post mensibus P. Cornelius consul cum Boiorum exercitu signis conlatis egregie pugnauit. duodetriginta milia hostium occisa Antias Valerius scribit, capta tria milia et quadringentos, signa militaria centum uiginti quattuor, equos mille ducentos triginta, carpenta ducenta quadraginta septem, ex uictoribus mille quadringentos octoginta quattuor cecidisse. ubi ut in numero scriptori parum fidei sit, quia in augendo eo non alius intemperantior est, magnam tamen uictoriam fuisse adparet, quod et castra capta sunt et Boi post eam pugnam extemplo dediderunt sese, et quod supplicatio eius uictoriae causa decreta ab senatu uictimaeque maiores caesae.

189/565 **42.** *Liu. XXXVII* 48 M. Fuluio Nobiliore et Cn. Manlio Volsone consulibus Valerius Antias auctor est rumorem celebrem Romae fuisse et paene pro certo habitum, recipiendi Scipionis adulescentis causa consulem L. Scipionem et cum eo P. Africanum in conloquium euocatos regis [*Antiochi*] et ipsos comprehensos esse, et ducibus captis confestim ad castra Romana exercitum ductum eaque expugnata et deletas omnis copias Romanorum esse. ob haec Aetolos sustulisse animos et abnuisse imperata

---

41. *Eundem Valerii numerum Liuius c.* 40, 5 *Scipionem significantem facit*: Plus partem dimidiam ex quinquaginta milibus hominum caesam, multa milia capta, senes puerosque Bois superesse. *unde etiam c.* 39 *et* 40, *quibus de Scipionis triumpho agitur, ad Antiatis auctoritatem redire elucet. Nissen p.* 186. — *Viginti milia occisa esse minus adcurate Orosius IIII* 20 *exscripsit.*

42. *Scipionem adulescentem captum esse Liuius c.* 34, 5 *secundum duos auctores narrauerat*: alii principio belli a Chalcide Oreum petentem circumuentum ab regiis nauibus tradunt, alii, postquam transitum in

---

1. 2. Valerius Antias *(Mogunt.)*

41, 3. fere *om. Bamb.* 4. consul *om. Bamb. add. Aldus ex Mog.* collatis signis *Bamb. a. corr.* 6. capta III et ccc *Bamb.* 7. equos — quadraginta septem *om. Bamb. suppl. Aldus ex Mog.* 8. ex uictoribus ∞ CCCCLXXXIII *Bamb.* mille quadringentos octoginta quatuor *Aldus ex Mog.* mille et CCCCLXXXVI *lib. aliq. rec.* 9. ut *om. Bamb. add. Mog.* scriptori *Bamb.*

42, 15. Valerio Flacco Antio auctor *Bamb. ante corr.* 18. 19. compħensos *Bamb.* 21. imperata *Aldus ex Mog.* imperia *Bamb.*

facere, principesque eorum in Macedoniam et in Dardanos et in Thraeciam ad conducenda mercede auxilia profectos. haec qui nuntiarent Romam, A. Terentium Varronem et M. Claudium Lepidum ab A. Cornelio propraetore ex Aetolia missos esse. subtexit deinde fabulae huic, legatos Aetolos in senatu inter cetera hoc quoque interrogatos esse, unde audissent imperatores Romanos in Asia captos ab Antiocho rege et exercitum deletum esse; Aetolos respondisse ab suis legatis se, qui cum consule fuerint, certiores factos. rumoris huius quia neminem alium auctorem habeo, neque adfirmata res mea opinione sit nec pro uana praetermissa.

43. *Liu. XXXVII* 60, 2 Cogitanti Q. Fabio [*praetori*] cui 189/565
rei potissimum insisteret, ne otiosam prouinciam habuisse uideri posset, optimum uisum est in Cretam insulam traicere. Cydoniatae bellum aduersus Gortynios Gnosiosque gerebant, et captiuorum Romanorum atque Italici generis magnus numerus in seruitute esse per totam insulam dicebatur. classe ab Epheso profectus cum primum Cretae litus attigit, nuntios circa ciuitates misit, ut armis absisterent captiuosque in suis quaeque urbibus agrisque conquisitos reducerent et legatos mitterent ad se, cum quibus de rebus ad Cretensis pariter Romanosque pertinentibus ageret. nihil magnopere ea Cretenses mouerunt. captiuos, praeter Gortynios, nulli reddiderunt. Valerius Antias ad quattuor milia

---

Asiam est, cum turma Fregellana missum exploratum ad regia castra effuso obuiam equitatu cum reciperet sese, in eo delapsum tumultu, ex equo cum duobus equitibus oppressum, ita ad regem deductum esse. *eorum prior est Polybius* (*XXI* 12), *alter fortasse item Antias. Nissen p.* 195. 197.

43. *Triumphi Fabiani meminit Liuius etiam XXXVIII* 47, 5. *cf. num. apud Mommsen de re num. n.* 146 *C. I. L. n.* 343 *(in quo triumphus Iouis imagine et prora nauis significatur). Du Rieu de Fab. p.* 366 *sqq.*

---

1. Tardanos *Bamb.* 4. 5. subtexit *Bamb.* adiecit *Mog.* 5. senatū *Bamb.* coetera *Bamb.* 6. imperatotores *Bamb. a. corr.* 7. delectu *Bamb. s. lin.* 9. rumores *Bamb. a. corr.* 10. opione *Bamb.*

43, 12. cogitantiq; Fabio *Bamb. em. ex Mog.* 14. 15. Gydoniatae *Bamb.* 15. cortynos gnosios g. *Bamb.* 17. insulam] Italiam *Bamb.* 18. circa *in Bamb. bis positum in fine u. et in princ. seq.*

captiuorum, quia belli minas timuerint, ex tota insula reddita scripsit, eamque causam Fabio, cum rem nullam aliam gessisset, naualis triumphi impetrandi ab senatu fuisse. a Creta Ephesum Fabius redit; inde tribus nauibus in Thraciae oram missis ab Aeno et Maronia praesidia Antiochi deduci iussit, ut in libertate eae ciuitates essent.

189/565 **44.** *Liu. XXXVIII* 23, 6 Numerus interfectorum [*Gallorum in Olympo monte a Cn. Manlio consule*] haud facile iniri potuit, quia late per omnis amfractus montium fugaque et caedes fuit, et magna pars rupibus inuiis in profundae altitudinis conualles delapsa est, pars in siluis uepribusque occisa. Claudius, qui bis pugnatum in Olympo monte scribit, ad quadraginta milia hominum auctor est caesa; Valerius Antias, qui magis immodicus in numero augendo esse solet, non plus decem milia. numerus captiuorum haud dubie milia quadraginta expleuit, quia omnis generis aetatisque turbam secum traxerant demigrantium magis quam in bellum euntium modo.

187/567 **45.** *Liu. XXXVIII* 50, 4—55, 7. 58—60 Oppressit deinde mentionem memoriamque omnem contentionis huius maius et

---

44. *Captiuorum numerus esse Polybianus uidetur. cf. Claud. fr.* 66 *cum adn. ad eundem Valerium respici censet Nissen p.* 212 *Liuii c.* 47, 6, *ubi Manlium haec dicentem facit*: qui plus quadraginta milia hominum cepi aut occidi, qui bina castra eorum expugnaui.

45. *Quae apud Liuium exstat Scipionum iudicii narratio (XXXVIII* 50, 4—60), *ex tribus conposita est partibus: I* 50, 4—55, 7. *II* 55, 8—57. *III* 58—60. *earum prima et tertia arte inter se cohaerent neque quidquam altera parte seclusa in eis desideratur, immo oratio sic egregie procedit. altera pars quasi amplioris cuiusdam adnotationis locum obtinet, quales Liuius plus minusue apte inspergere solebat, ne, quae apud alios auctores inuenta excerpserat et cum fonte primario pugnare uidebat, omnino abiceret. itaque hic primo dubitationem profert de summa pecuniae a Valerio relata, tum narrationis tenore intermisso adnectit rem quandam (c.* 55, 10 *sqq.) ex Polybio (XXIIII* 9ª, 2 *sqq.), ut uidetur, depromptam, conqueritur scriptorum rerum et orationum discrepantiam, quae tanta esset, ut, cui famae adsentiretur, non haberet, denique aliam ʿserit' fabulam, quae cum Gracchi oratione conueniret. hanc Claudii esse Mommsen* (*uid. supra p.CCCLXXXXIII*) *admodum probabiliter coniecit, neque tamen huius famae, quamuis distet, ulla uestigia in narrationis tenore, quam Liuius c.* 58 *producit, reperiuntur, ut tum demum, cum illa iam pertexta esset, altera pars intermissa esse uideatur.*

---

1. IIII capt. *Bamb.* timuerunt *libri corr. Bekker* redditas *Bamb.* 3. triumphi naualis *uulgo* a creta] ac *Bamb. em. ex Mog.* 4. rediit Fabius *(Mog.)*

44. *uid. comm. ad Claud. fr.* 66.

cum maiore et clariore uiro certamen ortum. P. Scipioni Africano, ut Valerius Antias auctor est, duo Q. Petillii diem dixerunt. id, prout cuiusque ingenium erat, interpretabantur. alii non tribunos plebis, sed uniuersam ciuitatem, quae id pati posset, incusabant: duas maximas orbis terrarum urbes ingratas uno prope tempore in principes inuentas, Romam ingratiorem, si quidem uicta Carthago uictum Hannibalem in exsilium expulisset, Roma uictrix uictorem Africanum expellat. alii neminem unum ciuem tantum eminere debere, ut legibus interrogari non possit; nihil tam aequandae libertatis esse quam potentissimum quemque posse dicere causam. quid autem tuto cuiquam, nedum summam rem publicam, permitti, si ratio non sit reddenda? qui ius aequum pati non possit, in eum uim haud iniustam esse. haec agitata sermonibus, donec dies dicendae causae uenit. nec alius b antea quisquam nec ille ipse Scipio consul censorue maiore

---

In primae uero partis et initio et fine Valerii Antiatis auctoritas ita posita est, ut uel ex hac re eam totam ad Valerium redire ueri sit simile. sed etiam certo nos hic Valerium apud Liuium legere inde docemur, quod Liuius ipse in libro insequenti (uid. adnot. ad fr. 49) *ad eam famam, qua Africanus in Liternino a.* 187. 567 *mortuus sit, in qua haec narratio nititur, ut Valerianam reuocat. idem dicendum est de tertia parte, quam ex eodem auctore ex quo primam fluxisse per se adparet. confirmatur uero haec sententia Gellii testimonio. quae enim ab eo adumbrantur huius partis narrationis Valerianae lineamenta, eadem exornata habes apud Liuium. Quae cum res ita sint, non solas duas res, quibus a Liuio Antiatis auctoritas adscripta est, ex orationis tenore auulsas supra exstare uoluimus, sed totam narrationem recepimus eaque testimonia, quibus eam Valerii esse aliunde confirmatur, hic suo loco adnotauimus. — Ex magno uirorum doctorum numero, qui de hoc iudicio disputarunt, nunc duos satis est nominasse, Nissenum Untersuch. p.* 213—220 *et Mommsenum in Herm. uol. I p.* 161—216, *cuius sententiam fere totam amplexus sum.*

a. *Duos Petillios Africano diem dixisse habes etiam apud Gellium IIII* 18, 7, *qui tamen in ceteris (Cornelium Nepotem secutus) magis a Claudii Quadrigarii sententia stat, duos tribunos apud Appianum Syr.* 40, *a quo Liuium descriptum esse Mommsen censet. Petillio Actaeo (nisi* a Petillio aut Naeuio tribuno plebis *scribendum est, cf. Valer. Max. III* 7, 1) *cognomen fuisse addit Aurelius Victor de uir. ill.* 49, 16, *quem et ob hanc rem et quod solus morientem Africanum ab uxore petiisse memoriae prodidisset, ne corpus suum Romam referretur, non Liuio sed ipso Valerio usum esse Mommsen p.* 168 *suspicatus est. Alter auctor, cui quae postea inseruit Liuius debet, M. Naeuium, qui tribunus pl. fuit a.* 184. 570, *diem dixisse scripsit (c.* 56, 2. *cf. Gell. IIII* 18, 3).

b. *Similiter App. Syr.* 40 ἐς τὸ δικαστήριον αὐτὸς παρῆλθεν ἐπὶ

45, 1. et clariore *additum ex Moguntino* 8. unum tantum eminere ciuem *codd. aliquot rec. nos recepimus cum Maduig. scr. ed. alt. Froben.* 11. quoiquam *Mogunt.*

omnis generis hominum frequentia, quam reus illo die in forum est deductus. iussus dicere causam sine ulla criminum mentione orationem adeo magnificam de rebus ab se gestis est exorsus, ut satis constaret neminem umquam neque melius neque uerius laudatum esse. dicebantur enim ab *eo* eodem animo ingenioque, quo gesta erant, et aurium fastidium aberat, quia pro periculo, c non in gloriam referebantur. (*c.* 51.) tribuni plebis vetera luxuriae crimina Syracusanorum hibernorum et Locris Pleminianum tumultum cum ad fidem praesentium criminum rettulissent, suspicionibus magis quam argumentis pecuniae captae reum accusarunt. filium captum sine pretio redditum, omnibusque aliis rebus Scipionem, tamquam in eius unius manu pax Romana bellumque esset, ab Antiocho cultum. dictatorem eum consuli, non legatum in prouincia fuisse, nec ad aliam rem eo profectum, quam ut, id quod Hispaniae, Galliae, Siciliae, Africae iam pridem persuasum esset, hoc Graeciae Asiaeque et omnibus ad orientem uersis regibus gentibusque adpareret, unum hominem caput columenque imperii Romani esse, sub umbra Scipionis ciuitatem dominam orbis terrarum latere, nutum eius pro decretis patrum, pro populi iussis esse. infamia intactum inuidia, qua possunt, d urgent. orationibus in noctem perductis prodicta dies est. Vbi ea uenit, tribuni in rostris prima luce consederunt. citatus

---

λαμπροῦ σχήματος ἀντὶ οἰκτροῦ καὶ ταπεινοῦ τῶν ὑπευθύνων, ὡς εὐθὺς ἐπὶ τῷδε πάντας ἐκπλῆξαί τε καὶ ἐς εὔνοιαν, ὡς ἐπὶ χρηστῷ δὴ συνειδότι μεγαλοφρονούμενον προσαγαγέσθαι. λέγειν δὲ ἀρξάμενος τῆς μὲν κατηγορίας οὐδ᾽ ἐπεμνήσθη, τὸν δὲ βίον ἑαυτοῦ καὶ ἐπιτηδεύματα καὶ ἔργα πάντα ἐπεξῄει καὶ πολέμους ὅσους ἐπολέμησεν ὑπὲρ τῆς πατρίδος κτλ. *tum uero a Liuio discedit, quod non altero die sed continuo post hanc orationem Africanum populum cohortatum esse tradit, ut se in Capitolium sequerentur. facit cum eo Gellius IIII* 18, 3 *sqq., quam ob rem non leuiter haec ab Appiano ex Liuio descripta esse cum Mommseno censeo sed pendere eum ab altera fama.*

c. *cf. Zonaras VIIII* 20 *p.* 264 *(ex Liuio)* κατεψηφίσθη — Ἀφρικανὸς — ὡς ἐπιεικεστέρας τὰς συνθήκας διὰ τὸν υἱὸν ποιησάμενος. *cf. fr.* 42.

d. e. *Ex Liuio descripserunt Valerius Max. III* 7, 1 *et Plutarchus*

---

5. eo *addidit P. Burmann* 6. quo] a quo *libri* a *del. Burmann* 7. plebis] *uulg.* uel *aut* illis *aliquot libri rec., plerique om.* 19. nutum *Mogunt.* nutus *plerique libri rec.* patrum] parum *falso adnotari ex Mogunt. monuit Kreyssig Liu. lib. XXXIII p. CVII*

reus magno agmine amicorum clientiumque per mediam contionem ad rostra subiit, silentioque facto ‘hoc’ inquit ‘die, tribuni plebis uosque Quirites, cum Hannibale et Carthaginiensibus signis conlatis in Africa bene ac feliciter pugnaui. itaque cum hodie litibus et iurgiis supersederi aequum sit, ego hinc extemplo in Capitolium ad Iouem optimum maximum Iunonemque et Mineruam ceterosque deos, qui Capitolio atque arci praesident, salutandos ibo hisque gratias agam, quod mihi et hoc ipso die et saepe alias egregie gerendae rei publicae mentem facultatemque dederunt. uestrum quoque quibus commodum est, Quirites ite mecum et orate deos, ut mei similes principes habeatis, ita, si ab annis septemdecim ad senectutem semper uos aetatem meam honoribus vestris anteistis, ego uestros honores rebus gerendis praecessi.’ ab rostris in Capitolium escendit. simul se uniuersa c
contio auertit et secuta Scipionem est, adeo ut postremo scribae uiatoresque tribunos relinquerent, nec cum iis praeter servilem comitatum et praeconem, qui reum ex rostris citabat, quisquam esset. Scipio non in Capitolio modo, sed per totam urbem omnia templa deum cum populo Romano circumiit. celebratior is prope dies fauore hominum et aestimatione uerae magnitudinis eius fuit, quam quo triumphans de Syphace rege et Carthaginiensibus urbem est inuectus.

(*c.* 52.) Hic speciosus ultimus dies P. Scipioni inluxit. post f
quem cum inuidiam et certamina cum tribunis prospiceret, die longiore prodicta in Literninum concessit certo consilio, ne ad causam dicendam adesset. maior animus et natura erat ac maiori fortunae adsuetus, quam ut reus esse tunc sciret et submittere se in humilitatem causam dicentium. ubi dies uenit g
citarique absens est coeptus, L. Scipio morbum causae esse cur

---

apophth. Scip. mai. 10. *cf. App. et Gell. l. s. etiam alio modo haec narrauit Polyb. XXIIII* 9, 6—7.

---

8. iisque *Maduig* 10. Quirites, ite mecum *Maduig cum octo libr. rec.* ite mecum, Quirites *uulgo* 15. ut uiatores tribunos rel. *in edd. ante Ald. et in aliq. lib. rec., suppleuit Mogunt.* 20. uera *Perizonius* 27. reus] res, *quod adnot. est ex Mogunt., typothetae errori deberi uidetur. uid. Kreyssig l. s. p.* 393 inciperet *Mogunt.* sciret *uulg.* tunc sciret *scripsi* 27. 28. submittere *Mogunt. et aliq. libri rec.* submitteret *uulg.*

abesset excusabat. quam excusationem cum tribuni, qui diem dixerant, non acciperent et ab eadem superbia non uenire ad causam dicendam arguerent, qua iudicium et tribunos plebis et contionem reliquisset, et quibus ius sententiae de se dicendae et libertatem ademisset, his comitatus, uelut captos trahens, triumphum de populo Romano egisset, secessionemque eo die in Capitolium a tribunis plebis fecisset — 'habetis ergo temeritatis illius mercedem. quo duce et auctore nos reliquistis, ab eo ipsi relicti estis, et tantum animorum in dies nobis decrescit, ut ad quem ante annos septemdecim exercitum et classem habentem tribunos plebis aedilemque mittere in Siciliam ausi sumus, qui prenderent eum et Romam reducerent, ad eum priuatum ex uilla sua extrahendum ad causam dicendam mittere non audeamus' — tribuni plebis adpellati ab L. Scipione ita decreuerunt, si morbi causa excusaretur, sibi placere accipi eam causam diemque a collegis prodici. [h] tribunus plebis eo tempore Ti. Sempronius Gracchus erat, cui inimicitiae cum P. Scipione intercedebant. is cum uetuisset nomen suum decreto collegarum adscribi, tristioremque omnes sententiam exspectarent, ita decreuit, cum L. Scipio excusasset morbum esse causae fratri, satis id sibi uideri. se P. Scipionem, priusquam Romam redisset, accusari non passurum. tum quoque, si se adpellet, auxilio ei futurum, ne causam dicat. ad id fastigium rebus gestis, honoribus populi Romani P. Scipionem deorum hominumque consensu peruenisse, ut sub rostris reum stare et praebere aures adolescentium conuiciis [i] populo Romano magis deforme quam ipsi sit. (*c.* 53.) adiecit decreto indignationem: 'Sub pedibus uestris stabit, tribuni, do-

---

h—k. *A Graccho etiam Africanum defensum esse scripsit Dio* (*fr.* 65), *Liuium secutus. uid. etiam Dion. fr.* 63. *Altera fama haec Gracchi intercessio, si quidem facta est, non esse conmemorata uidetur.*

---

6. de Po. Romano *Mog.* populi Romani *aut* P. R. *libri rec.* secessionem eo die *uel* secessionem Romae eo die *uel* concessionem eodem die *libri rec.* 9. ut *additum ex Mog., in lib. rec. om.* 9. 10. ad quem antea exercitum *libri rec.* 10. ante annos quindecim *Mogunt.* ante annis septemdecim *Aldus* ante annos septemdecim *Creuer. nam quae res obuersatur tribunis, incidit in a.* 204. 550. *an error est Liuii seu Valerii?* 11. tribunum *Mogunt. at cf. Liu.* 29, 20 20. excusasset *Mogunt.* excuset *uulg.*

mitor ille Africae Scipio? ideo quattuor nobilissimos duces Poenorum in Hispania, quattuor exercitus fudit fugauitque, ideo Syphacem cepit, Hannibalem deuicit, Carthaginem uectigalem nobis fecit, Antiochum — recepit enim fratrem consortem huius gloriae L. Scipio — ultra iuga Tauri emouit, ut duobus Petilliis succumberet, uos de P. Africano palmam peteretis? nullisne meritis suis, nullis uestris honoribus umquam in arcem tutam et uelut sanctam clari uiri peruenient, ubi, si non uenerabilis, inuiolata saltem senectus eorum considat?' mouit et decretum et adiecta oratio non ceteros modo, sed ipsos etiam accusatores, et deliberaturos se, quid sui iuris et officii esset, dixerunt. k senatus deinde concilio plebis dimisso haberi est coeptus. ibi gratiae ingentes ab uniuerso ordine, praecipue a consularibus senioribusque, Ti. Graccho actae sunt, quod rem publicam priuatis simultatibus potiorem habuisset, et Petilii uexati sunt probris, quod splendere aliena inuidia uoluissent et spolia ex Africani triumpho peterent. silentium deinde de Africano fuit. l uitam Literni egit sine desiderio urbis. morientem rure eo ipso loco

---

1. *Haec a Valerio narrata esse, insuper demonstratur ipsius Liuii uerbis XXXVIIII* 52, 1, *ubi sententia mutata alteram famam amplexus eam, quam in libro XXXVIII secutus erat, ut Valerianam refutat*: Scipionem et Polybius et Rutilius hoc anno mortuum esse scribunt. ego neque his neque Valerio adsentior. — Antiatem auctorem refellit tribunus plebis M. Naeuius, aduersus quem oratio inscripta P. Africani est [*cf. XXXVIII* 56, 6]. hic Naeuius in magistratuum libris est tribunus plebis P. Claudio L. Porcio consulibus [184. 570], sed iniit tribunatum Ap. Claudio M. Sempronio consulibus [185. 569] ante diem quartum idus Decembres. inde tres menses ad idus Martias sunt, quibus P. Claudius L. Porcius consulatum inierunt. ita et uixisse in tribunatu Naeuii uidetur diesque ei dici ab eo potuisse, decessisse autem ante L. Valerii et M. Porcii censuram. *Oblitus igitur esse uidetur Liuius se in libro XXXVIII ipsum de orationis a P. Scipione contra Naeuium habitae fide et*

---

1. fugauitque *aut* fugauit *libri rec.* necauitque *Mog.* 4. recipit *Maduig emend. p.* 448. 5. Tauri iuga *libri aliq. rec.* 6. succumberet? Vos — peti feretis? *Maduig em. p.* 447 de P. Africano *Aldus ex Mogunt.* de pacis Africani *libri rec.* peteretis *Aldus ex Mogunt.* impetraretis *M. Seyffert in Iahn. annal.* 83 *p.* 829 7. uestris *libri* nostris *Maduig em. p.* 448, *delet Hertz* *post* honoribus *lacunae signum posuit Weissenborn, aut plura aut* Quirites *intercidisse arbitratus.* umquam — saltem *libri rec. om., add. ex Mogunt.* umquam] cum qua *Mogunt.* 11. et *om. quattuor libri rec.*

sepeliri se iussisse ferunt monumentumque ibi aedificari, ne funus m sibi in ingrata patria fieret. uir memorabilis bellicis tamen quam pacis artibus memorabilior *et illustrior* prima pars uitae quam postrema fuit, quia in iuuenta bella adsidue gesta, cum senecta res quoque defloruere, nec praebita est materia ingenio. quid ad primum consulatum secundus, etiam si censuram adicias? quid Asiatica legatio, et ualetudine aduersa inutilis et filii casu deformata et post reditum necessitate aut subeundi iudicii aut simul cum patria deserendi? Punici tamen belli perpetrati, quo nullum neque maius neque periculosius Romani gessere, unus praecipuam gloriam tulit.

n (*c.* 54.) Morte Africani creuere inimicorum animi, quorum princeps fuit M. Porcius Cato, qui uiuo quoque eo adlatrare magnitudinem eius solitus erat. hoc auctore existimantur Petillii et uiuo Africano rem ingressi et mortuo rogationem promulgasse. fuit autem rogatio talis: 'uelitis iubeatis, Quirites, quae pecunia capta, ablata, coacta ab rege Antiocho est quique sub imperio eius fuerunt, quod eius in publicum relatum non est, uti de ea re Ser. Sulpicius praetor urbanus ad senatum referat, quem eam o rem uelit senatus quaerere de iis, qui praetores nunc sunt.' huic

---

auctoritate dubitasse atque Valerio teste non Naeuium sed Petillios Scipionibus diem dixisse. cf. supra p. CXIII adn. 2 *et Nissen p.* 50 *sq. In libro XXXXV* 38, 7 *Liuius regressus ad Valerium Literni Africani sepulcrum ostendi memorat. Scipionem in Liternino procul a patria mortuum esse secundum Liuium narrauerunt Dio fr.* 63 (*Zonar. VIIII* 20 *p.* 265), *Oros. IIII* 20, *Valer. Max. V* 3, 2. *praeterea Aur. Vict. de uir. ill.* 49, 17.

n. *Catone auctore Petillios* (*τοὺς περὶ Πετίλλιον*) *et Africano et Asiatico diem dixisse habes etiam apud Plutarchum Cat.* 15. — *Crimen acceptae ab Antiocho pecuniae sumpsit ex Liuio Valerius Max. VIII* 1 *damn.* 1. *cf. Aurel. Vict. de u. ill.* 53, 2.

---

3. *post* memorabilior *lacuna haustum esse* clarior *uel* nobilior *primus perspexit Weissenborn. tum Maduig inseruit* et illustrior prima pars — nec praebita] *sic Mogunt.* cui par habita *libri rec.* 6. quid ad] *Gelen. in alt. Froben.* quoad *Aldus ex Mogunt. et lib. al. rec.* qui ad *lib. al. rec.* 10. nullum maius neque per. *et* nullum neque per. *libri aliq. rec.* 11. unus] *Mogunt.* unam (uiam *Voss.*) *libri rec.* 13. adlatrare *uel* allatrare *uulg. Quintil. inst. VIII* 6, 9 ac lacerare *et* lacerare *lib. rec.* 15. rem ingressi *Mogunt.* reo causam ingratam *et* rem ingratam *et* rem ingrato *et* rem inisse *libri rec.* 16. Quirites *Brisson.* quaeratur *libri*

rogationi primo Q. et L. Mummii intercedebant, senatum quaerere de pecunia non relata in publicum, ita ut antea semper factum esset, aequum censebant. Petillii nobilitatem et regnum in senatu Scipionum accusabant. L. Furius Purpurio consularis, qui in decem legatis in Asia fuerat, latius rogandum censebat, non quae ab Antiocho modo pecuniae captae forent, sed quae ab aliis regibus gentibusque, Cn. Manlium inimicum incessens. et L. Scipio, quem magis pro se quam aduersus legem dicturum p
adparebat, dissuasor processit. is morte P. Africani fratris, uiri omnium fortissimi clarissimique, eam exortam rogationem est conquestus. parum enim fuisse non laudari pro rostris P. Africanum post mortem, nisi etiam accusaretur. et Carthaginienses exilio Hannibalis contentos esse, populum Romanum ne morte quidem P. Scipionis exsatiari, nisi et ipsius fama sepulti laceretur et frater insuper, accessio inuidiae, mactetur. M. Cato suasit rogationem — exstat oratio eius de pecunia regis Antiochi —, et Mummios tribunos auctoritate deterruit, ne aduersarentur rogationi. remittentibus ergo his intercessionem omnes tribus uti rogassent iusserunt. (*c.* 55.) Ser. Sulpicio deinde referente, q
quem rogatione Petillia quaerere uellent, Q. Terentium Culleonem patres iusserunt. ad hunc praetorem, ⟨adeo amicum Corneliae familiae, ut, qui Romae mortuum elatumque P. Scipionem — est enim ea quoque fama — tradunt, pileatum, sicut in triumpho ierat, in funere quoque ante lectum isse memoriae prodiderint, et ad portam Capenam mulsum prosecutis funus dedisse, quod

---

q. *Quae uncis ⟨ ⟩ inclusi, ex altera fama inserta sunt. cf. uerba* adeo amicum Corneliae familiae, ut, qui Romae mortuum elatumque P. Scipionem — est enim ea quoque fama — tradunt *et c.* 56, 2 conuenit — non de anno quo mortuus sit, non ubi mortuus aut elatus sit: alii Romae, alii Literni et mortuum et sepultum.

---

1. Nummii *et* Numini *et* Minutii *libri* Mummii *Sigonius* 4. Furius *add. Mogunt. et aliquot libr. rec.* Purpureo *Sigonius* 9. morte *libri (Maduig.)* post mortem *uulgo* 15. et *accessit ex Mogunt.* 16. exstat] *(Mog.)* esse et *et* exstat et *libri rec.* 17. Mummios] *libri uariant ut supra u.* 1 18. uti rogassent *plerique libri rec.* uti rogasset *ed. alt. Froben. et aliq. libr. rec.* uti rogas *Sigonius* 20. rogatione Petilia *(Mog.)* quam rogationem Petilii *et* quem rogatione Petilii *et* quem rogatione pecuniarum *libri rec.*

ab eo inter alios captiuos in Africa ex hostibus receptus esset; aut⟩ adeo inimicum eundem, ut propter insignem simultatem ab ea factione, quae aduersa Scipionibus erat, delectus sit potissimum ad quaestionem exercendam —; ceterum ad hunc nimis ⟨aequum aut⟩ iniquum praetorem reus extemplo factus L. Scipio. simul et delata et recepta nomina legatorum eius, A. et L. Hostiliorum Catonum et C. Furii Aculeonis quaestoris et, ut omnia contacta societate peculatus uiderentur, scribae quoque duo et [r] accensus. L. Hostilius et scribae et accensus, priusquam de Scipione iudicium fieret, absoluti sunt, Scipio et A. Hostilius legatus et C. Furius damnati: quo commodior pax Antiocho daretur, Scipionem sex milia pondo auri, quadringenta octoginta argenti plus accepisse quam in aerarium rettulerit, A. Hostilium octoginta pondo auri, et argenti quadringenta tria, Furium quaestorem auri pondo centum triginta, argenti ducenta. has ego summas auri et argenti relatas apud Antiatem inueni. — —

[s] (*c.* 58.) Iudiciis a Q. Terentio praetore perfectis, Hostilius et Furius damnati praedes eodem die quaestoribus urbanis dederunt; Scipio cum contenderet omnem quam accepisset pecuniam in aerario esse, nec se quicquam publici habere, in uincula duci

---

r. *de pecuniae summa uid. Mommsen de re num. p.* 402. *Ceterum de summa auri et argenti dubitat Liuius, cum u. s. transcriptis haec addat*: In L. Scipione malim equidem librarii mendum quam mendacium scriptoris esse in summa auri atque argenti. similius enim ueri est argenti quam auri maius pondus fuisse, et potius quadragiens quam ducentiens quadragiens litem aestimatam, eo magis, quod tantae summae rationem etiam ab ipso P. Scipione requisitam esse in senatu tradunt, librumque rationis eius, cum Lucium fratrem adferre iussisset, inspectante senatu suis ipsum manibus concerpsisse, indignantem, quod, cum bis milliens in senatum intulisset, quadragiens ratio ab se posceretur.

s. *Gell. VI (VII)* 19, 8 Valerius autem Antias [ancias *R*] contra hanc decretorum memoriam contraque auctoritates ueterum annalium post Africani [affricani *VP*] mortem intercessionem istam pro Scipione Asiatico factam esse a Tiberio Graccho [gracco *R*] dixit, neque multam irrogatam Scipioni, sed dampnatum eum [meum *R a. corr.*] peculatus [speculatus *R* pecculatus *V*] ob Antiochinam [antiochiam *R* antiochiam *spscr.* n *P*] pecuniam [peccuniam *V*], quia [qui *VPR*] praedes [predes *P*] non daret, in carcerem duci coeptum [ceptum *VP* coeptū *altera* c *sup.* c *scr. R*] atque ita intercedente Graccho exemptum.

---

7. Aculeonis *Gelenius* Culleonis *Mogunt.* 10. A. *add. ex Mogunt.* 13. retulerit *Aldus ex Mog.* retulerat *libri rec.* 18. Furius] L. Furius *Mogunt.*

est coeptus. P. Scipio Nasica tribunos adpellauit orationemque habuit plenam ueris decoribus non communiter modo Corneliae gentis, sed proprie familiae suae. parentes suos et P. Africani ac L. Scipionis, qui in carcerem duceretur, fuisse Cn. et P. Scipiones, clarissimos uiros. eos, cum per aliquot annos in terra Hispania aduersus multos Poenorum Hispanorumque et duces et exercitus nominis Romani famam auxissent non bello solum, sed quod Romanae temperantiae fideique specimen illis gentibus dedissent, ad extremum ambo pro re publica morte occubuisse. cum illorum gloriam tueri posteris satis esset, P. Africanum tantum paternas superiecisse laudes, ut fidem fecerit, non sanguine humano sed stirpe diuina satum se esse. L. Scipionem, de quo agatur, ut quae in Hispania, quae in Africa, cum legatus fratris esset, gessisset, praetereantur, consulem et ab senatu dignum uisum, cui extra sortem Asia prouincia et bellum cum Antiocho rege decerneretur, et a fratre, cui post duos consulatus censuramque et triumphum legatus in Asiam iret. ibi ne magnitudo et splendor legati laudibus consulis officeret, forte ita incidisse, ut, quo die ad Magnesiam signis conlatis L. Scipio Antiochum deuicisset, aeger P. Scipio Elaeae dierum aliquot uia abesset. non fuisse minorem eum exercitum quam Hannibalis, cum quo in Africa esset pugnatum. Hannibalem eundem fuisse inter multos alios regios duces, qui imperator Punici belli fuerit. et bellum quidem ita gestum esse, ut ne fortunam quidem quisquam criminari possit, in pace crimen quaeri, eam dici uenisse. hic decem legatos simul argui, quorum ex consilio data pax esset. quamquam exstitisse ex decem legatis qui Cn. Manlium accusarent, tamen non modo ad criminis fidem, sed ne ad moram quidem triumphi eam accusationem ualuisse. (*c.* 59.) at hercule in Scipione leges ipsas pacis, ut nimium adcommodatas Antiocho, suspectas esse, integrum enim ei regnum relictum, omnia possi-

---

11. superiecisse *plerique lib. rec.* subiecisse *unus lib. rec.* superauisse *uulg.* 15. uisum] habitum *coni. Weissenborn* 23. regios] regulos *Mogunt.* reges ducesque *marg. ed. Ascens.* egregios *Maduig.* 26. argui *Gelenius (ex Mog. ut uid.)* arguique *et* argui quoque *libri rec.* 27. quamquam extitisse *Mog.* quum exstitisse *et* quem exstitisse *libri rec.* quin extitisse *ed. Mediol. a.* 1480 quin exstitisset *Ascensius* quamquam exstitissent *Drakenborch* quin exstitisse et *Kreyssig*

dere eum uictum quae ante bellum eius fuerint, auri et argenti cum uim magnam habuisset, nihil in publicum relatum, omne in priuatum uersum. an praeter omnium oculos tantum auri argentique in triumpho L. Scipionis, quantum non decem aliis triumphis, si omne in unum conferatur, est latum? nam quid de finibus regni dicam? Asiam omnem et proxima Europae tenuisse Antiochum. ea quanta regio orbis terrarum sit, a Tauro monte in Aegaeum usque prominens mare, quot non urbes modo sed gentes amplectatur, omnes scire. hanc regionem dierum plus triginta in longitudinem, decem inter duo maria in latitudinem patentem usque ad Tauri montis iuga Antiocho ademptam, expulso in ultimum angulum orbis terrarum. quid, si gratuita pax esset, plus adimi ei potuisse? Philippo uicto Macedoniam, Nabidi Lacedaemonem relictam nec Quinctio crimen quaesitum: non enim habuisse eum Africanum fratrem, cuius, cum gloria prodesse L. Scipioni debuisset, inuidiam nocuisse. tantum auri argentique iudicatum esse in domum L. Scipionis inlatum, quantum uenditis omnibus bonis redigi non posset. ubi ergo esse regium aurum, ubi tot hereditates acceptas? in domo, quam sumptus non exhauserint, exstare debuisse nouae fortunae cumulum. at enim quod ex bonis redigi non possit, ex corpore et tergo per uexationem et contumelias L. Scipionis petituros inimicos, ut in carcere inter fures nocturnos et latrones uir clarissimus includatur, et in robore et tenebris exspiret, deinde nudus ante carcerem proiciatur. non id Corneliae magis familiae V quam urbi Romanae fore erubescendum. (*c.* 60.) Aduersus ea Terentius praetor rogationem Petilliam et senatus consultum et iudicium de L. Scipione factum recitauit: se, ni referatur pecunia in publicum quae iudicata sit, nihil habere quod faciat, W nisi ut prendi damnatum et in uincula duci iubeat. tribuni cum

---

2. cum uim magnam habuisset *Mog.* uim magnam habuerit *libri rec.* 3. an] *libri* an non *Ascensius uulg.* 5. omnes — conferantur *Vossianus Creuier.* sit *libri del. Creu. Maduig.* est *Weissenb. Seyffert l. s. p.* 830 10. in longitudinem *Mog.* longitudinem *lib. rec.* iter in longitudinem *Weissenborn* maria in latitudinem *Mogunt.* maria latitudinem *et* in mare lat. *et* maria *libri rec.* 15. cum *add. Gelenius (ex Mog.?)* 18. ubi *Gelenius (ex Mog.?)* id ubi *libri rec.* 23. in carcerem *aliquot libri rec.* 27. et s. c.] *(Mog.)* ex s. c. *lib. rec.*

in consilium secessissent, paulo post C. Fannius ex sua collegarumque aliorum praeter Gracchum sententia pronuntiauit praetori non intercedere tribunos, quo minus sua potestate utatur. Ti. x Gracchus ita decreuit, quo minus ex bonis L. Scipionis quod iudicatum sit redigatur, se non intercedere praetori: L. Scipionem, qui regem opulentissimum orbis terrarum deuicerit, imperium populi Romani propagauerit in ultimos terrarum fines, regem Eumenem, Rhodios, alias tot Asiae urbes deuinxerit populi Romani beneficiis, plurimos duces hostium in triumpho ductos carcere incluserit, non passurum inter hostes populi Romani L. Scipionem in carcere et uinculis esse, mittique eum se iubere. tanto adsensu auditum est decretum, adeo dimissum Scipionem laeti homines uiderunt, ut uix in eadem ciuitate uideretur factum iudicium. in bona deinde L. Scipionis possessum publice quae- y stores praetor misit. neque in iis non modo uestigium ullum comparuit pecuniae regiae, sed nequaquam tantum redactum est quantae summae damnatus fuerat. conlata ea pecunia ab cognatis z amicisque et clientibus est L. Scipioni, ut, si acciperet eam, locupletior aliquanto esset, quam ante calamitatem fuerat. nihil accepit. quae necessaria ad cultum erant, redempta ei a proximis cognatis sunt. verteratque Scipionum inuidia in praetorem et consilium eius et accusatores.

46. *Liu. XXXVIIII* 22, 8 L. Scipio ludos eo tempore, 186/568 quos bello Antiochi uouisse sese dicebat, ex conlata ad id pecunia

---

x. *Ex Liuio sua habet Valerius Max. IIII* 1, 8. *cf. Gell. VI (VII)* 19, 7, *qui haec Gracchi decreti uerba fuisse dicit*: Cum L. Cornelius Scipio Asiaticus triumphans hostium duces in carcerem coniectarit, alienum uidetur esse dignitate rei publicae, in eum locum imperatorem populi Romani duci, in quem locum ab eo coniecti sunt duces hostium: itaque L. Cornelium Scipionem Asiaticum a collegae ui prohibeo. *breuiter hanc rem tetigit Plutarch. Cat. mai.* 15.

y. *Eadem ex Liuio apud Zonar. VIIII* 20 *p.* 265.

46. *cf. Plin. XXXIII* 138 Populus Romanus stipem spargere coe-

---

7. propagauerit *Mog.* prorogauerit *lib. rec.* 11. *ante* in carcere *quidam libri inserunt* L. Scipionem, *alii omittunt* et in uinculis *uulg.* 12. *L. ante* Scip. *quidam libri add., plures om.* 17. ea *quidam lib. rec. om., alii add., alii* illa *habent*, tanta *Heumann* 19. amicisque *Mog.* amicis *libri rec.* 22. accusatores *Mog.* accusatorem *libri rec.*

ab regibus ciuitatibusque per dies decem fecit. legatum eum post damnationem et bona uendita missum in Asiam ad dirimenda inter Antiochum et Eumenem reges certamina Valerius Antias est auctor; tum conlatas ei pecunias congregatosque per Asiam artifices, et quorum ludorum post bellum, in quo uotos diceret, mentionem non fecisset, de iis post legationem demum in senatu actum.

184/570 **47.** *Liu. XXXVIIII* 41, 5 Secundum comitia censorum consules praetoresque in prouincias profecti praeter Q. Naeuium, quem quattuor non minus menses, priusquam in Sardiniam iret, quaestiones ueneficii, quarum magnam partem extra urbem per municipia conciliabulaque habuit, quia ita aptius uisum erat, tenuerunt. si Antiati Valerio credere libet, ad duo milia hominum damnauit.

184/570 **48.** *Liu. XXXVIIII* 43, 1 Valerius Antias, ut qui nec orationem Catonis legisset et fabulae tantum sine auctore editae credidisset, aliud argumentum, simile tamen et libidine et crudelitate peragit. Placentiae famosam mulierem, cuius amore deperiret [*L. Quinctius Flamininus*], in conuiuium accersitam scribit. ibi iactantem sese scorto inter cetera rettulisse, quam acriter quaestiones exercuisset et quam multos capitis damnatos

---

pit Sp. Postumio Q. Marcio coss., tanta abundantia pecuniae erat, ut eam conferret L. Scipioni, ex qua is ludos fecit.

47. *Etiam quae secuntur apud Liuium uerba, Weissenborn a. h. l. ad Antiatem rettulit. eundem cf. de re.*

48. *Aliter antea Liuius narrauerat, cur L. Quinctius senatu motus esset. Plutarchus (Flamin.* 18) *Οὐαλλέριος δὲ Ἀντίας οὐκ ἐρωμένῳ φησὶν ἀλλ' ἐρωμένῃ τοῦτο χαρίσασθαι τὸν Λεύκιον Liuium uertit (Quellen d. Plut. p.* 82). *ex eodem sua hausit Valerius Maximus II* 9, 3 *(hunc, non Antiatem adhibuit et citauit Ioannes Saresberiensis Policr. VIII* 9), *solam tamen famam Antiatis secutus. Forsitan etiam Aurelius Victor de u. ill.* 47, 4 *Antiate usus sit, cum ita scriberet:* Censor *[Cato]* L. Flamininum consularem senatu mouit, quod ille in Gallia ad cuiusdam scorti spectaculum eductum quendam e carcere in conuiuio iugulari iussisset *et Cicero de sen.* 12, 42 Inuitus feci, ut fortissimi uiri T. Flaminini fratrem L. Flamininum e senatu eicerem, septem annis postquam consul fuisset, sed notandam putaui libidinem. ille enim, cum esset consul, in Gallia exoratus in conuiuio a scorto est, ut securi feriret aliquem eorum, qui in uinculis essent damnati rei capitalis. *Tertia narratio exstat apud Plutarchum (Flamin.* 18. *Cat. mai.* 17*), contaminata ex Liuio et Cicerone.*

48, 17. et libidini et crudelitati *Mog. corr. Ald.* 18. 19. deperierat *Mogunt.*

in uinculis haberet, quos securi percussurus esset. tum illam infra eum adcubantem negasse umquam uidisse quemquam securi ferientem et peruelle id uidere. hic indulgentem amatorem unum ex illis miseris adtrahi iussum securi percussisse.

49. *Liu. XXXVIIII* 56, 7 Hannibalem hoc anno Antias 183/571 Valerius decessisse est auctor legatis ad eam rem ad Prusiam missis praeter T. Quinctium Flaminінum, cuius in ea re celebre est nomen, L. Scipione Asiatico et P. Scipione Nasica.

50. *Liu. XXXXI* 27, 1 Censores eo anno creati Q. Ful- 174/580 uius Flaccus et A. Postumius Albinus legerunt senatum; princeps lectus M. Aemilius Lepidus, pontufex maximus. de senatu nouem eiecerunt. insignis notae fuerunt M. Corneli Maluginensis, qui biennio ante praetor in Hispania fuerat, et L. Corneli Scipionis praetoris, cuius tum inter ciuis et peregrinos iuris dictio erat, et L. Fului, qui frater germanus et, ut Valerius Antias tradit, consors etiam censoris erat.

---

49. *Falso Perizonius animadu. c.* 9 *p.* 378 *ea re deceptus, quod antea creatos esse consules anni* 182. 572 *Liuius* (§ 4) *rettulerat, Antiate teste Hannibalem eo anno mortuum esse contendit. creati enim sunt anno* 183. 571, *ingressos eos esse consulatum sequenti libro Liuius memorat.* — *Ceterum etiam hoc Liuius earum rerum, quas antea scripserat, inmemor adnotauit, quoniam c.* 51 *eodem anno Hannibalem ueneno se necasse (fortasse secundum Polybium, Nissen Unters. p.* 227 *sqq. Quellen d. Plut. p.* 83 *sqq.) pluribus enarrauerat. Polybii* (*cf. Nipperdey ad Corn. Hann. c.* 13) *uel Antiatis auctoritatem secutus est Atticus* (*ap. Corn. Hann. c.* 13): Quibus consulibus interierit, non conuenit. namque Atticus M. Claudio Marcello Q. Fabio Labeone [183. 571] consulibus mortuum in annali suo scriptum reliquit. *Liuium exscripsit Plutarchus* (*Flamin.* 21): *διὸ καί φασιν ἔνιοι Τίτον οὐκ ἀφ' ἑαυτοῦ ταῦτα πρᾶξαι, πεμφθῆναι δὲ πρεσβευτὴν μετὰ Λευκίου Σκηπίωνος, οὐδὲν ἄλλο τῆς πρεσβείας ἐχούσης ἔργον ἢ τὸν Ἀννίβου θάνατον. cf. Sulp. Blith. fr.*

50. *cf. Vellei. I* 10, 6 Aspera circa haec tempora censura Fului Flacci et Postumi Albini fuit; quippe Fului censoris frater et quidem consors, Cn. Fuluius, senatu motus est ab iis censoribus. *Alium fratrem Q. Fuluii censoris, cui M. praenomen tribuitur, cum iniussu consulis legionem, in qua tribunus militum erat, dimisisset, in Hispaniam ultra Carthaginem*

---

3. feriri *I. Fr. Gronou.* 4. ex illis miseris] *(Mog.)* ex damnatis *libri rec.*

50, 12. magulinensis *Lauresh.* quisibiennio *Laur.* 13. in Hispania *del. Perizonius coll. Liu. c.* 15 L.] Cn. *Valer. Max. IIII* 5, 3. 14. iurisdictio *Laur.* 15. l. *Laur.* Cn. *Velleius l. s. l.* M. *Hertz at cf. Weissenborn ad Liu. XXXXI* 47 *et a. h. l.* 16. consortis *Laur.*

172/582 **51.** *Liu. XXXXII* 11, 1 Attalum, regis Eumenis fratrem, legatum uenisse Romam Valerius Antias his consulibus [*C. Popillio P. Aelio Ligure*] scribit ad deferenda de Perseo crimina indicandosque apparatus belli. plurium annales et quibus credidisse malis, ipsum Eumenem uenisse tradunt.

169/585 **52.** *Liu. XXXXIIII* 13, 12 De Eumene rege longe diuersa tradunt. si Valerio Antiati credas, nec classe adiutum ab eo praetorem [*Marcium Figulum*] esse, cum saepe eum litteris accersisset, tradit, nec cum gratia ab consule profectum in Asiam, indignatum, quod ut isdem castris tenderet permissum non fuerit. ne ut equites quidem Gallos, quos secum adduxerat, relinqueret, impetrari ab eo potuisse. Attalum fratrem eius et remansisse apud consulem, et sinceram eius fidem aequali tenore egregiamque operam in eo bello [*Persico*] fuisse.

167/587 **53.** *Liu. XXXXV* 40, 1 Summam omnis captiui auri argentique translati [*triumpho Persico*] *sestertium* milliens ducentiens fuisse Valerius Antias tradit, qua haut dubie maior aliquanto summa ex numero plaustrorum ponderibusque auri argenti generatim ab ipso scriptis efficitur. alterum tantum aut in bellum proximum absumptum aut in fuga, cum Samothracen peteret, dissipatum tradunt, eoque id mirabilius erat, quod tantum pecuniae intra triginta annos post bellum Philippi cum Romanis partim ex fructu metallorum, partim ex uectigalibus aliis coaceruatum fuerat.

---

nouam relegatum esse narrauit Liuius XXXX 41, 7. *quod propter hoc crimen hunc fratrem (Marcum) consortem a Quinto fratre censore Valerius Maximus II* 7, 5 (*ex eo Pseudo-Front. strat. IIII* 1, 32) *senatu motum esse scripsit, Liuium neglegenter excerpsisse uidetur.*

51. *uid. Weissenborn a. h. l.*

52. *uid. Nissen p.* 260.

53. *uid. Nissen p.* 278. *Weissenborn a. h. l.*

51, 2. uenisse] uidisse *Laur.* 3. Perseo] persona *Laur.*

52, 6. *Sunt qui* de E. — tradant *Seyffert, sed* de E. — traduntur *Hertz alii* tradunt *Maduig* 7. anciaci *Laur.* 10. tendeset *Laur.* 11. adduxeretreliquerat *Laur.* 13. 14. aegregiamque *Laur.* 14. bello suisse *Laur.*

53, 15. nam omnis *Laur.* summam omnis *Gryn.* 16. sestertium *addit. in pr. ed. Basil.* 17. que aut dubiae *Laur.* qua *I. Fr. Gronou.* quae *ed. pr. Basil.* summae *Laur.* 18. plaustrorum] Philippeorum *Perizonius* 18. 19. scripto *Laur.* 20. samotracliem *Laur. corr. I. Gronou.* 23. coercebatur f. *Laur.*

54. *Liu. XXXXV* 43, 8 Sestertium ducentiens ex ea praeda [*Illyrica ab Anicio*] redactum esse auctor est Antias praeter aurum argentumque, quod in aerarium sit latum. quod quia unde redigi potuerit, non apparebat, auctorem pro re posui. 167 / 587

55. *Censorin. de d. n.* 17, 11 De quartorum ludorum [*saecularium*] triplex opinio est. Antias enim et Varro et Liuius relatos esse prodiderunt L. Marcio Censorino M'. Manilio consulibus post Romam conditam anno DCV. 149 / 605

56. *Oros. V* 3 *p.* 289 *Hau.* Cum Metellus praetor Achaeos Boeotiosque coniunctos duobus bellis, hoc est primum apud Thermopylas, iterum in Phocide uicisset, quorum priore bello occisa esse uiginti milia, secundo septem milia caesa Claudius historicus refert, Valerius Antias in Achaia pugnatum et uiginti milia Achaeorum cum duce suo Diaeo cecidisse confirmat: — igitur post extincta totius Achaiae praesidia, destitutarum euersionem urbium Metello praetore meditante, consul Mummius repentinus cum paucis uenit in castra, qui dimisso statim Metello Corinthum sine mora expugnauit. 146 / 608

EX LIBRO XXII

57. *Gell. VI (VII)* 9, 12 Idem Probus Valerium Antiatem libro historiarum XXII 'speponderant' scripsisse aduotauit uerba- 136 / 618

55. *Eosdem consules exhibet Zosimus II* 4, 4 *(Liuium ut uidetur secutus): ὑπάτων ὄντων Λουκίου Κηνσωρίνου καὶ Μάρκου Μαλλίου † Πουηλίου. cf. Iahn ad Cens. l. s. l. et fr.* 22 *c. adn. secuntur apud Censorinum Pisonis* (*fr.* 39) *Cn. Gellii* (*fr.* 28) *Cassii Heminae* (*fr.* 39) *testimonia.*

56. *cf. Claud. fr.* 68 *cum adnot.*

57. *Forsitan haec scripserit Antias:* Mancinus Numantinis est deditus. Tiberius Gracchus — et ceteri — inpune abierunt. *de re cf. Aur. Victor. d. u. ill.* 59, 5 Mancinus auctore Tiberio Graccho quaestore suo in leges hostium foedus percussit. quo per senatum improbato Mancinus Numantinis deditus nec receptus, augurio in castro deductus, praeturam

54, 1. hs̄· cc· ex *Laur.* 2. antiantias *Laur.*
55, 6. L. Martio *Darmst. Vatic.* 7. m̄ manlio *Darmst. Vat.*
56. *cf. conment. ad Claud. fr.* 68. 13. ualerius et antias *Laurent.* ualerius et anthias *Port. Rehd.* pugna pugnatum *Rehd.* 14. diaeo (VN) *Laur.* (VN *man. recentior addidit*) confirmant *Laur. Rehd.*
57, 19. probum *VRP* 20. ystoriarum *V* hystoriarum *P*

que eius haec posuit: Tiberius Gracchus, qui quaestor C. Mancino in Hispania fuerat, et ceteri qui pacem speponderant.

58. *Charis. II p.* 186 *P.* 208 *K.* Idem [*Valerius Antias*] XXII: Quod nouissime nobiscum foedus fecissent.

EX LIBRO XXIIII

59. *Gell. I* 7, 10 Item in Valerii Antiatis libro quarto uicesimo simili modo scriptum esse [*amicus quidam Gellii dixit*]: Si eae res diuinae factae recteque perlitatae essent, haruspices dixerunt, omnia ex sententia processurum esse.

EX LIBRO XXXXV

60. *Gell. VI (VII)* 9, 9 'Peposci' quoque, non 'poposci' Valerius Antias libro annalium XLV scriptum reliquit: Denique Licinius tribunus plebi *propter* perduellionem ei diem dixit et comitiis diem a M. Marcio praetore peposcit.

---

postea consecutus est *(quae res notissima a multis scriptoribus conmemorata est), tum uero c.* 64 Tiberius Gracchus, Africani ex filia nepos, quaestor Mancino in Hispania, foedus eius flagitiosum probauit. periculum deditionis eloquentiae gratia effugit. *Plut. Tib. Gracch.* 7 *ἐπεὶ δὲ εἰς Ῥώμην ἐπανῆλθεν, ἡ μὲν ὅλη πρᾶξις ὡς δεινὴ καὶ καταισχύνουσα τὴν Ῥώμην αἰτίαν εἶχε καὶ κατηγορίαν. οἱ δὲ τῶν στρατιωτῶν οἰκεῖοι καὶ φίλοι μέγα μέρος ὄντες τοῦ δήμου συνέτρεχον πρὸς τὸν Τιβέριον, τὰ μὲν αἰσχρὰ τῶν γεγονότων ἀναφέροντες εἰς τὸν ἄρχοντα, δι' αὐτὸν δὲ σώζεσθαι τοσούτους πολίτας φάσκοντες. — τὸν μὲν γὰρ ὕπατον ἐψηφίσαντο γυμνὸν καὶ δεδεμένον παραδοῦναι τοῖς Νομαντίνοις, τῶν δὲ ἄλλων ἐφείσαντο πάντων διὰ Τιβέριον. Flor. II* 2 *[III* 14*]* 2 set hic siue Mancinianae deditionis, quia sponsor foederis fuerat, contagium timens *et q. s.*

60. *Pighius ann. III p.* 121 *hanc rem rettulit ad a.* 110. 644, *pro M. Marcio Quintum substituens, utrumque nulla auctoritate.*

---

1. graccus *V R* 2. 3. mancina *P*

58, 4. foedis *Neap. corr. edit. pr.*

59, 5. uale ruāti atis *R* 7. eae res] *V exc. Scioppii* ea eres *R* ea res *P* hae (*s.* hee) res ς factae recteque] ς facte recteque *P* V^2ς facta erecteque *R* recteque facte *V* factae rectaeque ς factae riteque *Stephanus* aruspices *P*ς

60, 10. āciās *R* annalio *R* 11. tributnus *R* plebi *om. V* per duellionē *V* per duellionem *P* pdio duellionē eȝ·ei diēc dīc˜ 7 comigit^us 7 diē *R* perduellionem ei iudicauit et *I. Gronou.* propter *inserui* 12. a] .a. *V* martio *P* p̄tor e possicit *R* pretore poscit *P* poscit *V*

EX LIBRO LXXIIII

61. *Prisc. VIIII p.* 872 *P.* 489 *H.* Antias in LXXIIII: Eo omnes hostiae, uituli uiginti et septem coniecti, et ita omnia adulta sunt.

EX LIBRO LXXV

62. *Gell. VII (VI)* 9, 17 Valerius Antias in libro historiarum LXXV uerba haec scripsit: Deinde funere locato ad forum descendidit.

EX EIS LIBRIS QVI POST XXII ERANT

63. *Oros. V* 16 Anno ab urbe condita DCXLII Gaius Manlius consul et Q. Caepio pro consule aduersus Cimbros et Teutonas et Tigurinos et Ambronas, Gallorum Germanorum*que* gentes, quae tunc, ut imperium Romanorum extinguerent, conspirauerant, 105/649

---

62. *Referrem ad Q. Marcium consulem a.* 118. 636 (*cf. Val. Max. V* 10, 3: Q. Marcius Rex, superioris Catonis in consulatu collega, filium summae pietatis et magnae spei et, quae non parua calamitatis accessio fuit, unicum amisit, cumque se obitu eius subrutum et euersum uideret, ita dolorem altitudine consilii coercuit, ut a rogo iuuenis protinus curiam peteret senatumque, quem eo die lege habere oportebat, conuocaret), *sed repugnat libri numerus.*

63. *Vid. Liu. per. LXVII* Ab isdem hostibus *[Cimbris]* Cn. Manlius cos. et Q. Seruilius Caepio procos. uicti proelio castris quoque binis exuti

---

61, 1. in — coniecti et *om. Sangall.* LXX *Par. R pr. m.* IIII *suprscr. s. m.* LXX IIII *Bern.* LXXUII *Grut. Karolir.* 2. uiginti et septem] *Par. R pr. m.* uiginti septem *Bamb. Par. R s. m.* XXVII *rell. libri* 3. adulta *Halberst. pr. m.* combusta *supscr. s. m.*

62, 4. ancias *V* 6. descendit *P*

63, 7. 8. sescentesimo. XL. secundo G̅. manlius *Laur.* DCLXII *Port. Orosius scripsisse uidetur* DCXLU. C. Manlius *habent Orosius et epit. Cassiod.* (*Momms. C. I. L. I p.* 537), Cn. *grauiores testes Sallust. Iug.* 114 *(Iord.)*, *Cicero pro Mur.* 17, 36. *pro Planc.* 5, 12. *Liuius per.* 67. *Valerius Max. II* 3, 2. 9. *an* Germanorum *est delenda? semper enim in hoc cap. hi populi Galli dicuntur.* que *om. Laur. Port. Rehd. a pr. m.* et *ante* Germ. *add. sec. m. Rehd.* 10. ut *deest in Port. Rehd.* conspirauerant] coniurauerunt *Laur.*

missi prouincias sibi Rhodano flumine medio diuiserunt. ubi dum inter se grauissima inuidia et contentione disceptant, cum magna ignominia et periculo Romani nominis uicti sunt, si quidem in ea pugna M. Aemilius consularis captus atque interfectus est. duo filii consulis caesi, octoginta milia Romanorum sociorumque ea tempestate trucidata, quadraginta milia calonum atque lixarum interfecta, *ut* Antias scribit. ita ex omni penitus exercitu decem tantum modo homines, qui miserum nuntium ad augendas miserias reportarent, superfuisse referuntur.

91/663 **64.** *Plin. n. h. XXXIIII* 14 Antias quidem [*auctor est*] heredes L. Crassi oratoris multa etiam triclinia aerata uendidisse.

INCERTAE SEDIS FRAGMENTVM

65. *Gell. V* 21, 6 Velim doceas nos, cur 'pluria' siue 'compluria', nihil enim differt, non Latine sed barbare dixerint M. Cato, Q. Claudius, Valerius Antias, L. Aelius, P. Nigidius, M. Varro, quos subscriptores approbatoresque huius uerbi habemus.

---

sunt, militum milia octoginta occisa, calonum et lixarum quadraginta secundum Arausionem. (*ex Liu. Eutrop. V* 1. *Flor. I* 38 [*III* 3] 4.) *Orosius exscripsit Liuium, Liuius Antiatem.*

---

1. rhodanio *Laur. ante corr.* 2. discertant *Laur. Port. Rehd. a pr. m.* disceptant *Rehd. a sec. m. uulg.* decertant *Lautius* 4. m̄. aemilius *Laur.* marcus emilius *Port.* marcus aemelius *Rehd. (postea* e *in* i *corr.)* M. Aurelius *uulg. M. tamen Aurelius* (*cos. a.* 108. 646) *iam ante hanc pugnam, de qua hoc l. sermo est a Boiorige* (*Liu. per.* 67) *trucidatus erat. quam ob rem reuocaui libr. scripturam* 5. consulis] consularis *Port.* que *om. Laur.* ·XL· milia *Laur. Port. Rehd.* 6. atq. elixarum *Laur.* 7. ut *addidi* anthias *Laur. Port. Rehd.* paenitus *Laur. Port. Rehd. a pr. m.*

64, 11. heredes *Bamb.* heredem *Par. d h Voss. b. Ricc.* L. Crassum *Par. d h.* oratorem *Par. h.*

65, 15. ancias *VR*

L. CORNELII SISENNAE HISTORIAE

EX LIBRO I

1*. *Seru. ad Verg. Aen. I* 242 Aeneas et Antenor Troiam prodidisse dicuntur secundum Liuium —. Sisenna tamen dicit, solum Antenorem prodidisse [Troiam]. — Ob hoc autem creditur Graecis Antenor patriam prodidisse, quia [sicut superius dictum est et auctor reddendae Helenes] et legatos, qui propter Helenam uenerant, suscepit hospitio, et Vlixen mendici habitu agnitum non prodidit.

2*. *Seru. ad Verg. Aen. XI* 316 Vnde sequenda est potius Liuii, Sisennae et Catonis auctoritas. Nam paene omnes antiquae historiae scriptores in hoc consentiunt. Cato enim in originibus dicit, Troianos a Latino accepisse agrum, qui est inter Laurentum et castra Troiana.

3*. *Non. s. u. iuxtim p.* 127 Sisenna ab urbe condita: Iuxtim Numicium flumen obtruncatur.

4*. *Seru. ad Verg. Aen. I* 108 Haec autem saxa inter

---

1. *cf. Seru. ad Aen. I* 647.
2. *Cat. fr.* 8. *Liu. I* 1.
3. *De Aeneae morte esse sermo uidetur.*

1, 3. Troiam *deest in Thilonis libris* 4. sicut superius dictum est *in solo Cassell. scripta fuerunt test. Vers. et Sciopp.* 5. et auctor reddendae Helenes *in Cassell. scripta fuerunt (desunt in Bern.). Ceterum Paris. haec habet:* Antenor autem ob hoc creditur patriam prodedisse quia et auctor reddende helene fuit et legatos ab hoc uenientes susciperat et ulixe mendici habitu apud troiam agnitum non prodedit.

2, 8. sequanda *Paris.* 9. sisenne *Regin.* 10. nam paene] nempe *Regin.*

3, 13. Sisenna: urbe *Mercer. uid. s. p. CCCXXVIII.*

Africam, Siciliam et Sardiniam et Italiam sunt, quae saxa ob ob hoc Itali aras uocant, quod ibi Afri et Romani foedus iniecrunt et fines imperii sui illic esse uoluerunt. — quae arae a Sisenna propitiae uocantur.

90/664 **5*.** *Cicer. de diuin. I* 44, 99 Caeciliae Q. filiae somnio modo Marsico bello templum est a senatu Iunoni Sospitae restitutum. Quod quidem somnium Sisenna cum disputauisset mirifice ad uerbum cum re conuenisse, tum insolenter, credo ab Epicureo aliquo inductus disputat, somniis credi non oportere. idem contra ostenta nihil disputat exponitque, initio belli Marsici et deorum simulacra sudauisse et sanguinem fluxisse et discessisse caelum et ex occulto auditas esse uoces, quae pericula belli nuntiarent, et Lanuuii clipeos, quod haruspicibus tristissimum uisum esset, a muribus esse derosos.

6. *Non. s. u. protinus p.* 376 Sisenna historiae lib. I: Nocte consumpta postero die per incertas uias Aeserniam, inde Romam protinus profugerant.

---

5. *Eadem ostenta II* 27, 58 *repetit:* Sanguine pluisse senatui nuntiatum est, Atratum etiam fluuium fluxisse sanguine, deorum sudasse simulacra. (*cf.* 25, 54: Multa me consule a me ipso scripta recitasti, multa ante Marsicum bellum a Sisenna collecta attulisti.) *Mures* adrosis Lanuui clipeis argenteis Marsicum portendisse bellum *etiam Plin. n. h. VIII* 221 *tradidit.* (*Alia prodigia exponit Oros. V* 18.)

6. *Si de numero dubitare licet, refero ad proelium, quo initio belli L. Iulius Caesar* apud Aeserniam uictus aufugit (*Oros. V* 18). *uid. App. bel. ciu. I* 41: *Οὐέττιος μὲν Κάτων [i. e. Scato] Σέξτον Ἰούλιον τρεψάμενός τε καὶ δισχιλίους κτείνας ἐπὶ Αἰσερνίαν ἤλασε ῥωμαΐζουσαν. a.* 90. 664. *cf. Kiene, d. röm. Bundesgenossenkrieg p.* 194. *Riese p.* 55 *Romanos intellegit qui ex Apulia siue ex Samnio interiore, antequam Aesernia ab hostibus obsideretur, exeunte a.* 91. 663 *fugerint.*

4, 1. Siciliam *deest in Bern.* et Italiam *deest in Bern.* 4. propitiae uocantur] dictae sunt propitiae *Bern.*

5, 5. q. f. *Voss. A B* que *Leid. H Vind.* 6. iunonis hospite *Voss. B Leid. H* 6. 7. restitum *Voss. B* 8. uenisse *Voss. A pr. m.* tum *libri* tamen *Vrsinus* 9. epicuro *Voss. B* 10. idemque *Leid. H* belli marsici initio *Leid. H* 12. oculto *Voss. A pr. m.* 13. lanuini *Vindob.* lanuii *Voss. B (sed* ii *in ras.)* clipeum *Leid. H* tristis sumum *Voss. A*

6, 15. hist. *W* 16. eserniã *L* eserniam *W* unde *W*[1] 17. protenus *L*[1]

EX LIBRO II

7. *Macrob. sat. VI* 4, 15 Sed et Sisenna in secundo dixit: Et Marsi propius succedunt atque ita scutis proiectis tecti saxa certatim † lenta manibus coniciunt in hostes. **8.** Et in eodem: Vetus atque ingens erat arbor ilex, quae circum proiectis ramis maiorem partem loci summi tegebat.

9. *Non. s. u. remulcare p.* 57 Sisenna historiae lib. II: Si quae celeriter solui poterat, in altum remulco retrahit.

EX LIBRO III

10. *Non. s. u. nolitote p.* 480 Sisenna historiarum lib. III: Nolitote mirari, quam desperata uoluntate ad unam belli faciendi uiam . . . .

11. *Non. s. u. imbrices p.* 125 Sisenna historiarum libro III: Dissipatis imbricum fragminibus ac testis tegularum.

12. *Non. s. u. sagum p.* 538 Sisenna histor. lib. III: Senatus auctoritate sagaria nunc.

13. *Non. s. u. mittere p.* 348 Sisenna hist. lib. III: Mulierem missa fide ac pietate propter amoris nefarii lubidinem extitisse.

---

10. *Popma:* Verba legatorum aut ducum Italicorum sollicitantium populos uicinos ad belli societatem.

11. *Popma refert ad caedem Romanorum Asculi initio belli factam et de fr.* 11—13 *conferri iubet Liu. per.* 72: Initio belli a Picentibus moto Q. Seruilius proconsul in oppido Asculo cum omnibus ciuibus Romanis, qui in eo oppido erant, occisus est. saga populus sumpsit. Seruius Galba a Lucanis comprehensus, unius feminae opera, ad quam deuertebatur, e captiuitate receptus est. *ego tamen uehementer dubito propter libri numerum. uid. supra p. CCCXXVIIII.*

7, 2. tectis *Paris.* 3. lecta *Roth, an* ingentia?

9, 6. I *F* 7. que F^1 remulcare trahit L^2 *WF* remulco retrahit L^1 remulcat id est remulco retrahit *Iunius, recte hic quidem, nisi cod.* L^1 *scripturam ita defendere uis, ut etiam hic Nonium exempla excerpentem dormiuisse censeas. lemma enim est* remulcare *uid. supra p. LXIIII.*

10, 9. mirare *V*

11, 12. fracminibus *L*

12, 14. saga induunt *Schott.* s. sumuntur *uel* sumpta *Popma* saga ponunt *Riese p.* 60. *uid. s. p. CCCXXVIIII.*

13, 16. piaetate *L* nepharii *F* libidinem L^1 *F*

14. *Non. s. u. agilem p.* 58 Sisenna historiarum libro III: Agilem dari facilemque uictoriam neque fossas aut uallum remoraturum.

15. *Non. s. u. apertum p.* 236 Sisenna historiarum libro III: Adoriuntur auersos ut apertis lateribus.

16. *Non. s. u. adesum p.* 70 Sisenna historiarum libro III: Isdem temporibus Aesernini duplici fossa ualloque circumdati frumento adeso, quod ex areis in oppidum portatum est.

17. *Non. s. u. senati uel senatuis p.* 484 Sisenna histor. lib. III: Lucius Calpurnius Piso ex senati consulto duas nouas tribus.

18. *Non. s. u. multifariam p.* 141 Sisenna historiarum libro III: Quod loca palustria . . . . . que erant et alte multifariam confossa.

19. *Non. s. u. funditores p.* 553 Sisenna hist. lib. III: Ac post armatos funditores ac sagittarios ponit.

---

14 et **15.** *Popma pertinere censet ad proelium a L. Iulio Caesare consule contra Papium ad Acerras commissum. cf. App. b. c. I* 42: *τοὺς μὲν λοιποὺς τῶν Νομάδων ὡς ὑπόπτους ὁ Καῖσαρ ἐς Λιβύην ἀπέπεμψε, Παπίου δὲ πελάσαντος αὐτῷ σὺν καταφρονήσει καὶ μέρος ἤδη τοῦ χάρακος διασπῶντος τοὺς ἱππέας ἐκπέμψας κατ᾽ ἄλλας πύλας ἔκτεινε τοῦ Παπίου περὶ ἑξακισχιλίους. Kiene p.* 195.

16. *cf. Liu. per.* 73: L. Iulius Caesar consul feliciter aduersus Samnites pugnauit. [*fr.* 14. 15.] ob eam uictoriam Romae saga posita sunt, et ut uaria belli fortuna esset, Aesernia colonia cum M. Marcello in potestatem Samnitium uenit. *App. b. c. I* 41: *καὶ αὐτὴν (Αἰσερνίαν) οἱ μὲν συντάττοντες, Λεύκιός τε Σκιπίων καὶ Λεύκιος Ἀκίλιος, θεραπόντων ἐσθῆτας ὑποδύντες ἀπέδρασαν, χρόνῳ δὲ καὶ λιμῷ παρεστήσαντο οἱ πολέμιοι. Kiene p.* 196.

17. *De hac lege Calpurnia, de qua nihil aliunde traditum est, cf. Kiene p.* 224 *sq. et* 229 *sq.*

14, 1. liber *W* in libro *F* 2. 3. bellum remoratum *LWF emend. Mercer.*

15, 4. liber W^1 IIII *L* (III *WF*) 5. adoriunter W^1 aduersos L^2F ut] *an* et?

